MONUMENTA SAECULI XVI.

HISTORIAM ILLUSTRANTIA

EDIDIT, COLLEGIT, ORDINAVIT

PETRUS BALAN,

SS. DOMINI NOSTRI PRAELATUS DOM. COMMENDATOR IMP. ORDINIS FRANC. JOS.

VOLUMEN I.

CLEMENTIS VII. EPISTOLAE PER SADOLETUM SCRIPTAE,

QUIBUS ACCEDUNT

VARIORUM AD PAPAM ET AD ALIOS EPISTOLAE.

OENIPONTE.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1885.

Pierce fund.
(I)

OENIPONTE, TYPIS WAGNERIANIS.

AD LECTOREM.

Sextodecimo saeculo a Chr. nat. plura quidem et, quam quae maxime, memoratu digna evenere. Civilium atque sacrarum rerum conversio, pertinacissimae Caroli V. et Francisci I., cupidissimorum regum, contentiones, calamitas Italiae in servitutem paene redactae exterorumque in hanc regionem crescens dominatus, pontificum Romanorum adversus heterodoxorum reformationem acerrimae pugnae, virorum principum, sanctissima Ecclesiae Catholicae iura sibi arrogantium, inexhausta aviditas, doctrinarum denique corruptio integritati morum nimis adversantium, quo plus momenti studio illius aetatis addunt, eo maiorem facessunt historico difficultatem. Idcirco operae pretium esse arbitramur, aliquot edere non exigui ponderis documenta ac testimonia, quorum ope historiae illorum temporum lucem affundere possimus. Haec utique dumtaxat sumpsimus colligenda; sed sapienti cuique perspicuum esse debet, quam magnam quamque firmam vim habeant ad facta, vel ementita vel non probe cognita, declaranda, ad summam Clementis VII., pontificis maximi tunc regnantis, non solum in sacris, verum etiam in civilibus politicisve negotiis pertractandis prudentiam aequitatemque dignoscendam, ad Caroli V. imperatoris mentem et consilia, aequaliumque acta, uti par est, expendenda ac diiudicanda.

Haec vero a nobis collecta documenta ac testimonia fuere omnia ex archetypis descripta, quae vel in archivo Vaticano, vel in Mutinensi et Mantuano adservantur. Primum in eorum serie sibi vindicant locum breves, quos a Jacobo Sadoleto conscriptos, misit ad viros principes Clemens VII., tum argumento, tum rerum gravitate, tum etiam lingua ac stilo plurimi aestimandos, ita ut non modo historicum, sed et litte-

rarium monumentum praeclarissimum iure optimo haberi queant. Verum ex his vix aliquot per id tempus edebantur; nec semper constabat, a quo essent exarati: in libro autem impresso epistolarum, quas scripsit Sadoletus, paene omnes desiderantur. Itaque nemo non videt, quantum pretii ac momenti, litterario respectu, nostrae huic editioni ex eo accedat, quod nobis licuit illos ex ipso Sadoleti autographo describere, uti sunt in primis perscriptionibus, atque adeo observare et veluti arripere lituras, immutationes, additamenta vel minima; unde fit, ut interdum intima mentis cogitata ac penitiora sensa facile innotescant, quibus pontificis max. animus afficiebatur, quaeque ex rerum adiunctis oportebat quodam quasi velo operire.

Profecto litterae ad Angliae et Lusitaniae reges datae gravissimarum rerum notitias ac documenta et effata praebent nobilissima; immo, quas legimus ad Franciscum I., ad Lanoy proregem, et maxime ad Carolum V. missas, eae sunt, ut nullo modo possint ab historico praeteriri, qui temporum rerumque naturam funditus cognoscere ac penetrare velit. Enimvero ex iis, quae a nonis Januariis anni 1525[1]) scripsit Clemens Carolo, dein Anglis et Venetis[2]) ac potissimum Germaniae principibus[3]) iterumque Carolo[4]) sui purgandi gratiâ, causae eruuntur illarum mutationum, quibus quod in politica agendi ratione plus aequo indulserit, ipse a nonnullis historicis falso accusatur. Qui, quum Carolus celebrem illam ad Ticinum de Gallicis exercitibus victoriam reportasset ipsumque Galliae regem cepisset, dum ad captivi matrem scribebat,[5]) ut aliquid solatii in tanta aerumna eius animo afferret, impense curabat, ut potentissimi adversarii, alter cum altero, pacem componerent, tum etiam, ut victor successu armorum caveret abuti, sed, prosperâ fortunâ moderate usus, victoriae fructus in Christianae reipublicae commodum utilitatemque converteret.[6]) Quocirca idem pontifex non dubitavit Carolum libere fortiterque reprehendere, quod is, suo tantum nomini suaeque potentiae in dies magis augendae intentus, de averruncando periculo Turcarum, Europam invadere minitantium, nullam curam capesseret; uti docet epistola nonis Maiis anni

[1]) Doc. 85, fol. 48 et seq. [2]) Doc. 86, 87, 88. [3]) Doc. 47, fol. 63.
[4]) Doc. 48, fol. 67. [5]) Doc. 72 et 86. [6]) Doc. 87, 88, 98 etc.

1525 [1]) data, mirificum eloquentiae et magnanimitatis argumentum. Verum saepenumero hortabatur Clemens imperatorem ad opem Christianae reipublicae ferendam; ut factum est, quum imminenti Hungariae calamitate vehementissime commotus, quinto idus Febr. anni 1526, eum, quam faedam ignominiae notam subiret, si communem hostem plus virium sumere pateretur, hisce verbis admonuit: „*Quae* (Christianorum salus), *si illa inclyta natione amissâ, manca et mutila facta fuerit, deformatoque corpore, hanc etiam notam tuae aetatis saeculo inusserit, ut, te usque adeo florente et praepollente, immanissimis tamen hostibus prodita et abiecta fuisse videatur; quid te, quaesumus, opes tuae, quid imperium, quid victoriae insignes adiuvabunt ad diluendam maculam nominis tui? Quam ad Deum omnipotentem causam dicturus es?*" [2])

Quanto autem robore, quantâque animi firmitate eluceret Clemens in defendendis tutandisque Ecclesiae iuribus contra praepotentium audaciam, patet ex litteris, quas Carolo scripsit ob sumptum de episcopo Zamorensi supplicium. [3]) Porro summum in eo fuisse iustitiae amorem summamque pro salute ac libertate Italiae curam et sollicitudinem, omnes testantur epistolae tanti pontificis; quas inter illa, brevis quidem sed gravissima, ubi Carolum obsecrabat, uti publicae saluti provideret „*pacem aequis conditionibus amplectendo, et continendis suorum cupiditatibus ac iniuriis intra legum et aequitatis fines*" operam daret, [4]) patientiae, qua nimium Carolus abutebatur, testimonium est luculentissimum. Iamdudum namque Clemens eum enixe, sed frustra, adhortatus erat, ut ab aulicorum vaferrimis consiliis ac machinationibus caveret, studueratque, ut is et ceteri Europae reges, consociatis armis, saevissimum Christianorum hostem invaderent ac profligarent. Siquidem ea aetate, qui summo magistratu praeerant, exitiosis dissensionibus ac discordiis agitati, inter se dimicabant, et Christianas provincias omnibus praesidiis destitutas arbitrio hostium permittebant, quas idcirco unus Romanus pontifex curabat pecunia, armis, militibus communiendas. Hoc sane apparet ex epistola, quam Clemens ad viros Europae

[1]) Doc. 102, pag. 187. [2]) Doc. 164, fol. 215. [3]) Doc. 176, fol. 228 et seq.
[4]) Doc. 178, fol. 233.

principes misit, quibusdam historicarum rerum scriptoribus ignota, qui eum arguunt proinde ac si periculum Hungariae impendens neglexisset. „*Ad hunc diem*, inquit pontifex, *spes illarum nationum nostris maxime praesidiis*, *nostris pecuniis sustentata est*, *nuncque peditum quinque millia*, *equites ducentos sub signis in Hungaria habemus.*“[1]) At Carolus, pontificis hortamenta consiliaque aspernatus, Columnenses, homines turbulentos et ad omnia facinora paratos, stimulabat, ut populum Romanum ad rebellionem incitarent.

Cuius rei argumento est tum epistola Clementis ad regem Lusitaniae,[2]) ubi huiusmodi artes et immania scelera narrantur in perpetuum istorum dedecus atque ignominiam; tum epistolae Bonifacii VIII. aliorumque pontificum Romanorum, qui Columnenses perhibent dominandi libidine nobilitatem generis turpiter foedasse.

Interim Jacobus Sadoletus Urbe profectus, Carpentoractum, ad suam episcopalem sedem se contulerat; idcirco a mense Aprili anni 1527 nullam in Vaticano archivo invenire est scriptam ab eo epistolam; quamquam, quae supersunt, non omnes opportunum duximus integras exscribere, sed nonnullarum argumentum tantummodo praebere, quae vel parvi sunt ponderis, vel iisdem fere formulis constant.

In extremo codicis, ubi primae Sadoleti perscriptiones continentur, invenimus epistolas alias, quae Blosio tribuendae videntur; unde utiliores excerpsimus, illam praesertim, ad summum equitum Rhodiorum magistrum datam, in qua multa dicuntur de Melitae insulae occupatione deque Jerosolymitanorum equitum post amissam Rhodum deliberationibus et consiliis.[3]) Deinceps alias addidimus desumptas ex voluminibus epistolarum ad viros principes, et ex tribus voluminibus, ubi sunt epistolae variorum ad Clementem VII., in archivo Vaticano adservatis. Haec autem tria volumina, quum ex coniunctis epistolarum autographis archetypisque composita sint, nullum dubium potest oriri, quin genuinum ac sincerum opus esse debeant, quippe quae magna ex parte sigilla adhuc perspicua et ferme integra prae se ferunt. Ex iis occurrunt epistolae, quas scripsere Carolus V., Franciscus I., Ferdinandus archidux Austriae, Hadrianus de Croy, foederati Helvetiae, marchiones

[1]) Doc. 182, fol. 237. [2]) Doc. 185, fol. 241—246. [3]) Doc. 195, fol. 257.

Brandeburgenses, Carolus III. dux Sabaudiae, rex Sigismundus, regina Bona, Petrus Salamanca, Joh. Matthaeus Giberti, Mercurinus a Gattinaria, prorex Lanoy, cardinalis Salviati, dux Geldriae, cardinalis Campeggius, comes Ortemburgensis, Richardus Paceus, cardinalis Lotharingiae, Ludovica regina Galliae, Wolsey archiepiscopus Eboracensis, Williers del'Isleadam, magnus equitum Jerosolymitanorum magister, Stephanus Rorarius legatus pontificius, episcopus Colociae, Andreas Doria, Robertus Boschetti, anno 1527 Parmae et Placentiae rector, cardinalis Trivultius, nec solum privati homines sed etiam Italicae et externae civitates. Iam vero omnibus hisce epistolis declarantur et complentur Clementinae, earumque magna pars sunt historica documenta ac testimonia non parvi habenda. Epistola cardinalis Trivultii, quae in Gualterii serie deest omnino,[1]) refert, pontificias copias Frusinoni, anno 1527 a proregis Lanoy exercitu obsessae, opem paravisse.[2]) Praeterea plurimum ad historiam conferunt ea, de quibus Clemens, exeunte anno 1526, cum comite Roberto Boschetti, pontificio legato ad ducem Urbini et ad Venetos, communicavit,[3]) itemque aliquid utilitatis percipitur ex epistolis ab eodem Boschetti mense Januario, Februario, Maio et Junio anni 1527 datis, ubi illorum temporum eventus describuntur.

Verum ceteris necessario sunt complemento non paucae Caroli V. et Clementis VII. epistolae, ad earum seriem haud pertinentes, quas Sadoletus exaravit. Has inter notatu dignam putamus, quae de vitrarii arte, Bononiae anno 1524 exercita, et de immunitatibus agit ad illam exercendam domui Malvezziorum ab eo tempore concessis,[4]) quaeque memorabiles notitias tradit de quibusdam Malvezziorum aemulatoribus et de commercio vitri. At longe huic rerum gravitate praestat epistola, a Clemente ad Carolum missa nono cal. Julias anni 1526,[5]) qua bellum prope indixit pontifex mitissimus contumaci imperatori, sed frustra, quandoquidem is ad sacrum cardinalium collegium acerrime iudicium provocavit. Res erat satis cognita, verum ex lectione cognoscebatur a Sabellico edita et a Raynaldo relata[6]): e contra nos eam exhibemus

[1]) Corrisp. secr. di G. M. Giberto col card. A. Trivulzio, Torino 1845.

[2]) Doc. 288, fol. 385—388. [3]) Doc. 279, fol. 378 et seq.

[4]) Doc. 224, fol. 295 et seq. [5]) Doc. 275, fol. 364—371.

[6]) Raynald ann. eccl. ad 1526 § 11.

integram, prouti exstat in Vaticano archivo, atque adeo maiore, quam prior est, vi sententiarum et perspicuitate praeditam.

Nobis autem videtur non parum ornamenti huic libro accedere ex additis epistolis, quas Hieronymus Naselli, orator Alphonsi ducis Ferrariensis, ad suum dominum misit e castris praetoris de Burbone, qui, Romam miserrime vastaturus, Italiam pervadebat. Itaque, hoc duce, singula paene facinora, quae a septimo cal. Febr. ad tertiumdecimum cal. Maii anni 1527, ab immanissimis latronum, non militum, turbis patrata sunt, persequi et quasi oculis intueri possumus; siquidem, principum Italorum socordiâ, ducis Urbinatis proditionibus ducisque Ferrariensis subsidiis, licuit efferatorum hominum catervis hanc nostram pulcherrimam aeque ac aerumnosissimam terram impune irrumpere et populari, qui facili negotio ubique conteri ac disperdi potuissent. Post nonas Junias idem Naselli alias quoque epistolas scripsit, iisque tot tantarumque rerum historiae ultimam veluti manum imposuit.

Denique tanquam documentorum, quae in hoc libro prostant, coronidem, optimum factu censuimus instrumentum illud in medium afferre, unde scimus, Romanum pontificem curavisse archivum Ravennatem perscrutandum, ut Ravennatis exarchatûs partem fuisse Mutinam inde eliciti testes comprobarent. Profecto ex hoc fonte id saltem deduci potest, quam praefracte Alphonsus obstiterit, quominus pontificiorum iurium documenta ac testimonia inquirerentur et in lucem prodirent. Inde etiam liquet, tempore Caroli magni et Othonum, pariter ac superiore aetate, Mutinam, Regium Lepidi, Parmam et Placentiam fuisse Aemiliae urbes ad Ravennam quodammodo spectantes. Quod si quis dubitet, an genuina sint omnia, tamen sibi persuadeat, plura ibidem esse digna, quibus plena habeatur fides, et, si quid fortasse vitii insit, id non aliis nisi Ravennatibus esse adscribendum, quum ii ad defendenda, quae sibi arrogaverant, iura his instrumentis uterentur.

Confidimus igitur, nostrum opus studiosis cultisque hominibus haud inutile fore, atque adeo historicae veritati, heu nimium oppugnatae et vel partium studio vel ignoratione fontium corruptae ac tenebris obsitae, non parum utilitatis allaturum.

Dabam Pragatti in Bononiensi dioec. 1 Oct. 1884.

Petrus Balan.

INDEX RERUM.

Brevia ad principes Clementis VII. 1524.

Brevia ad principes Clementis VII. 1525.

Brevia ad principes Clementis VII. 1526.

Brevia ad principes Clementis VII. 1527.

Brevia ad principes Clementis VII. 1528.

Variorum epistolae et acta Clementis VII. epistolas et gesta illustrantia.

Exerpta de itinere ducis Borbonii contra Romam.

BREVIA AD PRINCIPES CLEMENTIS VII.

1524.

1.

Raynaldo Polo.[1])

Dilecte filj etc. Grave nobis testimonium dederunt literae tuae cum virtutis et doctrinae tuae tum erga nos amoris; in quibus quod nobis de tanta ad nos delata dignitate gratularis, facis amice tu quidem, sed est hec omnis ad Deum ipsum omnipotentem referenda gratulatio; is enim inenarrabili sua benignitate, cum non merita nostra (que nulla sunt), sed tantum bonitatem suam respiceret, magis ut nos dignos faceret, quam quod dignos cognosceret, summo hoc honore esse ornatos voluit, cuius tanto beneficio utinam grati esse aliqua ex parte possimus, conabimur quidem certe, maiusque ab illo donum agnoscemus si grati erimus, quam illud ipsum pro quo gratia debeatur. De nostra vero singulari et perpetua erga clarissimum regem tuum et cunctam illam inclitam nationem voluntate sentis tu optime, magnis enim semper meritis provocati, non inferiora illis amoris nostri studia praestitimus, manemusque in sententia et semper permanebimus. Dilectum quoque filium Richardum Paceum regium oratorem non solum paterno ex eo amore complectimur, quod omnibus virtutum ornamentis mirifice preditus est, sed etiam quod cernimus, qua is prudentia, quo studio regis sui amplitudini et rebus inserviat. Itaque quae nostra cura praecipua et onus est maxime proprium, ut afflictis Christianitatis rebus consulamus eius officii explendi, maximam quidem et summam in Deo

[1]) Illustris admodum vir fuit Raynaldus seu Reginaldus Polo (Pool) sanguine regio ortus, Henrico VIII angliae regi amicus, sed post huius apostasiam ab ipso acerrimo odio habitus, tanquam invictus catholicae religionis defensor.

spem, deinde vero in carissimo filio nostro Henrico Angliae rege illustri ponimus. Tu ut quam de te commoves expectationem eam expleas studio et diligentia, literisque, quemadmodum quidem facis, et omni egregiae virtuti incumbas te magnopere in Domino hortamur: Erunt enim tibi et ab inclyto rege tuo, et a nobis, et imprimis ab ipso Deo parata premia. Datum Romae ultima Januarii. dmxxiv. Anno primo.

2.

Episcopo Aversano.

Venerabilis frater etc. Cum pro nostra benevolentia erga dilectos filios nobilem virum Carolum de la Noy viceregem et nobilem mulierem (*sic*) vicereginam in Siciliae regno citra pharum nihil non utriusque eorum causa cupiamus, atque illis nuper Deus gratiarum largitor filium spe perpetuandi generis concesserit, Nos eodem filio e sacro baptismatis fonte levando compaternitatis vinculum cum eis contrahere libenter annuentes, Fraternitati tuae de cuius virtute et erga nos fide exploratum habemus, committimus et mandamus, ut quando nobis huic officio adesse praesentibus non liceat, tu vices in hac parte nostras perferens illuc te conferas, ac dicta viceregina nostro nomine in domino salutata et plene edocta quo amore et studio erga eam et viceregem eius coniugem simus, ubi ipsis opportunum fuerit, devote ac reverenter praedictum filium ad sacrum coelestis regenerationis lavacrum oblatum manibus tuis suscipias, reliquaque illa sancta et solemnia perficias, omniaque ita geras ut et dexteritas tua et diligentia merito a nobis debeat commendari. Quibus rite per te nostro nomine gestis compaternitatis nos cum eis vinculum [illegible] nunc decernimus. Datum [illegible] Februarii mdxxiv. Anno primo.

3.

Vice reginae Siciliae citra pharum.[1]

Dilecta in Christo filia etc. Licet de tuae [illegible] amore et studio erga nos numquam [illegible] habuerimus [illegible] cognitum tamen semper [illegible] et benevolentiam volun-

[1] [illegible]

tatem, tamen hoc etiam magis in eadem opinione confirmati sumus, quod vidimus quo amoris studio apud nos institeris ut filio tibi per Dei gratiam nuper concesso compaternitatis tecum vinculo et cum dilecto filio nobili viro Carolo de la Noy vicerege coniuge tuo iungeremur. Quod nos prompte et libenter facimus istumque ipsum filium iam in filii loco instituimus habere, Deum ac Dominum nostrum deprecantes, ut is ex suae benignitatis abundantia, non solum illi salutem incolumitatemque prebeat, sed et paternarum maternarumque virtutum in illo repraesentet imaginem. Quod ita eventurum non modo optamus, verum etiam in Domino confidimus. Sed cum praesentes huic officio adesse nos non possemus, elegimus ven.lem fratrem A. episcopum Aversanum prelatum nostrum domesticum ac magistrum cappellae nostrae nobis valde probatum et gratum, qui nostras in hoc vices perferens istuc se conferret ad illudque sacrum et solemne regenerationis lavacrum filium tuum nostro nomine sisteret; quem Nobilitas tua nostro quidem praecipue sed ipsius etiam intuitu humaniter excipiet, sibique ita de nobis spondebit omnia quecumque nos cum Dei voluntate tua caussa agere oportebit libenter et studiose esse facturos Datum ii. Februarii mdxxiv. Anno primo: —

4.

Guido de Rangonibus.[1])

Dilecte fili etc. Postulat tua virtus, quam pluribus quidem locis, sed nobis et Sanctae Sedi apostolicae cui divina nunc providentia praesidemus, saepe eximiam prestitisti, ut vicissim nos de tuis honoribus ac emolumentis eam curam habeamus, qua et gratam nostram erga te voluntatem, et studium ceteros ad similia facta invitandi nostrum ostendamus. Sumus enim memores fe. re. Leone Xmo. praedecessore et fratre patruele nostro pontificatum obtinente, cum aliquot bella et

[1]) Guidus de Rangonibus mutinensis optime meruerat etiam de Leone X; fidelissimus et strenuus dux equitum, miles non tam audax quam prudens, a Leone et a Clemente variis privilegiis et honoribus fuerat insignitus. Mutinam Pontifici difficillimis temporibus servavit; bellum contra Urbini ducem Franciscum Mariam Roboreum gessit et propria virtute arcem San Leo fere inexpugnabilem superavit astu et subito insultu.

gravia discrimina sedi apostolicae accidissent te in eis omnibus, ita fortem et strenuam operam pro ipso praedecessore et fratre nostro sanctaque hac sede prebuisse, ut fide et fortitudine nemine apparueris inferior. Deinde dicto Leone pontifice ex humanis rebus erepto: cum respublica florentinorum difficilibus suis periculosisque temporibus opem tuam ac virtutem ad propulsandas inimicorum minas, neque id semel expetivisset, nosque etiam pro nostra summa in illam civitatem quam in terris patriam carissimam habemus, benivolentia, idem a te tum postulavissemus; non possumus oblivisci qua tu fide animique praestantia securitati et saluti illius civitatis consulueris, hostiumque arma represseris et summoveris: in quo facile apparebat te tam fidelem et strenuam operam tum fidei tuae, qua te illi reipublicae obstrinxeras tribuere, tum erga nos amori. Secutum est tempus omnium maxime anceps: quo sede apostolica per mortem piae me. Adriani pontificis tempus solito longius vacante, cum nostra et S. R. E. civitas Mutinae ad defectionem sollicitaretur ac vis extra hostilis ingrueret, intus vero, neque firmo praesidio, neque ceteris rebus ad defensionem idoneis, urbs satis munita esset: tua tamen singulari vigilantia et virtute, ac civium illorum fide et studio incredibili, tunc illa est civitas ecclesiasticae ditioni et potestati conservata. Pro quibus omnibus nos paulo post Dei omnipotentis consilio ac celesti beneficio ad summi apostolatus apicem evecti, cum de tuis premiis cogitandum nobis iure statuerimus, id potissimum elegimus quod militaribus studiis tuis ac bellicae virtuti, cum nostro et eiusdem S^tae^. Sedis commodo consentaneum esset. Quapropter te gubernatorem generalem nostrorum et S. R. E. exercituum tenore praesentium constituimus facimus ac deputamus. Volentes atque decernentes ut eis honoribus, commodis, emolumentis, iurisdictionibus, facultatibusque omnibus fruare potiare, quibus qui maximam potestatem habuerunt exercituum S. R. E. gubernatores generales, uti, frui, potiri soliti sunt aut iure ipso potuerunt. Mandantes omnibus in universo statu S. R. E. tam stipendia nostra habentibus militibus quam illorum prefectis et capitaneis, aut quocumque alio nomine militarem ullam potestatem obtinentibus, ut tibi tanquam gubernatori generali in omnibus pareant ac obtemperent, eumque tibi honorem obedientiamque deferant quae praedecessoribus tuis in hoc imperio deferri

solita est aut debuit. Volumus autem ut antequam huiusmodi gubernii nomen et auctoritatem exerceas de eo fideliter, fortiter, strenueque exercendo, ac nostra et huius Stae. Sedis dignitate ac potestate in omnibus defendenda, debitum praestes in manibus nostris iuramentum. Tu ergo dilecte fili ita semper ad altiores virtutum gradus ascendere studeas, ut et nostra et reliquorum de te augeatur opinio, quae etiam ampliorem quotidie nostram et Sedis apostolicae provocet liberalitatem. Datum Romae die xxv. Februarii mdxxiv. Anno primo.

5.

Carissime in Christo fili noster[1]). Decet nos dono Dei altissimi in ea positos specula unde omnium ac presertim eorum qui principatus et imperia a Deo Optimo Maximo obtinuerunt, longe et late merita prospicere possimus: ita benemerentibus habere promptam gratiam, ut sive nostra sit iudicatio, quid et quantum unicuique tribuendum sit et in iudicando simus et in remunerando liberales; sive praedecessorum nostrorum romanorum pontificum id fuit arbitrium, quae ab illis recte instituta fuerunt, nos quoque libentissimo animo comprobemus. Cum igitur tu fili noster carissime Henrice non uno aut altero praeclare facto, sed perpetuo instituto vitae tuae regis maximi virtutem ita undique perfectam et absolutam praestiteris, ut et arma quibus plurimum vales et doctrinam ac sapientiam ex qua summam laudem es adeptus ad Deum et Dei religionem defendendam semper contuleris, fideique sanctae etiam libro adversus Lutheri heresim mira eruditione ac eloquentia edito extiteris defensor ac pene patronus, fe. re. Leo X. praedecessor et frater patruelis noster de venerabilium fratrum suorum, in quorum numero tunc eramus, sententia, te ad cetera tua nomina regalia atque ampla, fidei defensorem voluit appellari; atque hoc eximio titulo non tam ex laude hominum quam ex celesti comendatione deprompto serenitatem tuam insignivit; quod nos ab illo factum iustissime et sapientissime agnoscimus, cum enim tuam et in regendis populis

[1]) Deest titulus; sed clare liquet hanc epistolam Henrico VIII Angliae regi scriptam esse, qui eo tempore se devotissimum apostolicae Sedi praebebat paratumque ad omnia pro catholica religione tuenda. Attamen ut eventus probavit magis verbis quam operibus, magis promissionibus quam pecunia ipsius devotio, nec omnino sincera, manifestabatur.

tibi creditis iustitiam, et in amplissima potestate pari clementia temperanda moderationem, et christianae religionis integram puram inviolatamque observantiam, in Deum quoque ipsum et omnia quae Dei sunt admirabilem sumere pietatem respicimus: cum intelligimus et cernimus quantum in bello consiliis et virtute polleas, in pace ut omnia ad subditorum salutem dirigenda putes, quemadmodum in unum propemodum regum omnium inaudita quadam magnitudine ingenii duo diversa studia in unum coniuncta habeas, et quod in doctrina ac sapientia positam quietem et suavitatem huiusmodi contemplationis, et quod in tumultu actionibusque civilibus agitatum curam suscipias rationis, in utroque vero usque adeo excellas ut possis cum iis qui in singulis elaborarunt maximis et prudentissimis principibus aequiparari: haec in quibus de te cum cogitamus et agnoscimus, omnem humanam laudem tua incredibili virtute inferiorem statuamus necesse est. Atque haec tanto in te praestantiora admirabilioraque sunt, quod nulla unquam querela violata, nulla commutatione voluntatis fuerunt interrupta, neque vero aut privatae cupiditatis causa simulata; aut populari gloriae data, sed vera et incorrupta virtus nec praemium aliud requisivit quam semetipsam et theatrum unicum suae gloriae voluit esse Deum, itaque in divinis firme versare rebus incredibili quodam modo et communi naturae repugnanti celebritatem assecuta est. Nam cum belli labores et pericula ob eas causas suscipiantur ut aut ultio iniuriae ab hostibus repetatur, aut plus habendi cupiditas expleatur, tu nulla privatim laesus iniuria nullius rei alienae appetens, ubi primum sensisti sanctam sedem apostolicam et ecclesiasticam libertatem vocari in discrimen, tanquam pius filius matris tuam implorantis opem, non excitatus, bellum difficile atque arduum suscepisti, tuamque praestantissimam virtutem suis affectibus placatam, liberam alienis, veram et animosam praebuisti: deinde vero cum reconciliatis animis eorum qui Sedi Ap^cae^. vim afferebant expediret christianae reipublicae arma ubique poni, tu quanquam victor et in hostium agro pluribus eorum iam urbibus expugnatis castra habens, in obtemperando tum publicae utilitati voluisti esse princeps, neque arma solum, id quod alii quoque egerunt, sed victoriam ipsam dimisisti, longe maiorem et diviniorem victoriam nactus; vicisti enim tuum animum qui ceterorum omnium potuisset esse victor: ita cum

ceteri principes humanis quibusdam gradibus ad nobilitatem famae ascendant, tu ad singularem et inusitatam laudem celestibus operibus pervenisti. Secutum est tempus non minus damnosum christianae fidei quam turpe, quo turbante Germaniam impiis et pravis opinionibus Luthero, non mediocris in animabus fidelium labes facta est, quo tempore tu cum armorum movendorum pro fidei tutela occasionem non haberes, ei praestantiora et ad simile opus accomodatiora tui ingenii et doctrinae arma tribuisti, libroque in fidei christianae sacramentorum defensionem scripto ac divulgato, impiis hereticorum conatibus obviam ivisti, qui quidem liber sancto dictante Spiritu eis luminibus ingenii scientiaeque refertus est, ut facile appareat optimam naturam quocumque se verterit ad omnia aptam esse, optimam vero voluntatem cum Dei ope et munere in cunctis felicem esse et fortunatiorem. Propter quae omnia titulum illum et cognomen fidei defensoris serenitati tuae per supradictum predecessorem nostrum iustissimis et plurimis rationibus delatum, nos quoque in apostolicae potestatis plenitudine beati Petri et illius veri successores, ex certa scientia et propria voluntate nostra approbamus confirmamus tibique perpetuum et proprium deputamus, Deum optimum maximum servatorem iustorum regum supplicibus votis deprecantes ut tantum et fidei suae sanctae tam beneficum regem cum diuturna salute et vita in ipsius consiliis et factis omnibus secundans, ad extremum immortali sibi gloria parata largiatur, ut cum ceteris tuis titulis prestantibus et magnis pii, victoris, semper felicis, hoc precipuum et maximum fidei defensoris decus et nomen te in coelum usque et ad perennem illam beatitudinem comitetur. Datum Romae iii kalendas Martii mdxxiv. Anno primo. Sub bulla aurea.

6.

Regi Angliae.

Carissime in Christo fili noster. Et si dilectum filium Ricardum Paceum tuae serenitatis oratorem et videbamus et audiebamus libenter, quod eius virtutem ac fidem erga te, aliorum etiam temporibus cum in alma urbe hac, tum alibi in Italia ubicumque eum tua negotia tractare contigit bene cognitam nunc nos ipsi experiebamur; tamen

vocante illum serenitate tua et ad reditum invitante. existimavimus te optima ratione quaecumque faceret omnia agere, doctissimique hominis et tibi fidelissimi virtutem non minus tibi praesentem fore commodam ac quae absens extitisset. Sed cum eo homine prudente et nobis valde probato, etsi in quotidianis sermonibus nostris libere et aperte communicavimus quantum serenitati tuae omnibus de causis omnia deberemus, qui tua innumerabilia propemodum erga nos dum in minoribus essemus beneficia, in hanc sanctam sedem officia possumus commemorare, quibus si ii sumus qui esse debemus omni gratia simus obstricti; tamen voluimus redeunti ipsi has nostras ad te dare litteras quibus nos, non necessario (satis enim iam testata apud te est voluntas nostra) sed ut animo ipsi nostro morem gereremus, significaremus tibi nunquam nos posituros memoriam tuae perpetuae erga nos voluntatis: et cum omnia quae aut Dei ope aut nostra facultate poterimus (quamquam omnis nostra facultas a Deo est) in tui honoris amplitudinem egerimus, longe etiam tum inferiora tuis meritis studia nostra esse existimaturos. Sed haec scripta a nobis nunc breviter multaque praeterea in sermonibus tractata, eidem Ricardo oratori tuo latius tuae serenitati exponenda commisimus, cui ser^{tas}. tua fidem adhibebit. Datum Romae iiii Martii mdxxiv. Anno primo.

7.

Eboracensi.[1])

Dilecte fili noster. Redeunte ad istum ser^{mum}. regem et ad te dilecto filio Ricardo Paceo qui oratoris personam magna cum fide et in omnibus rebus prudentia tenuit, etsi cum eo saepe de iis rebus quae in dies eveniebant locuti animum nostrum illi patefecimus conversum totum ad benevolentiam erga nos istius invictissimi regis et

[1]) Thomas Wolsey Cardinalis Eboracensis tunc potentissimus Henrici VIII administer, humili, sed honesto genere natus, maximum favorem apud Henricum VII adeptus est ob felices tractatus cum imperatore Maximiliano habitos. Ad supremum pontificatus apicem non dubia ambitione anhelasse fertur, atque hac sua spe destitutus praecipue post Hadriani V mortem, ac sciens electionem suam a Caesare aversis artibus fuisse frustratam,

ad circumspectionis tuae virtutem omnibus rebus anteponendam, noluimus tamen sine nostris eum litteris isthuc reverti, quamquam quae alicuius momenti et ponderis tractata et communicata inter nos fuissent de his eum esses commodius narrantem auditurus; sed omnem commemorationem nostri erga te amoris putavimus nostris litteris tibi significatam fore iucundiorem. Scito igitur nos plurimorum et maximorum officiorum quae per te fe. re. Leone X. predecessore et fratre patruele nostro sedem Petri obtinente in eum ipsum et sanctam hanc sedem collata, ac nobis dum in minoribus essemus praestita fuerunt, memoriam eam conservare quam gratae naturae probitas et multis de causis conciliata benevolentia postulat, summeque optare ut haec nostrae dignitatis amplificatio tibi aeque commoda ac nobis metipsis sit, quam voluntatem nostram factis tibi melius quam litteris ostendemus. De his speciatim egimus cum supradicto Ricardo ut animum erga cir^nem^. tuam nostrum penitus tibi aperiret, quem nos hominem multis quidem de causis singulariter diligimus vel propter laudem ingenii ac litterarum quam etiam in hac urbe apud omnes doctos eximiam consecutus est, vel quod probitate fidelitate prudentia in rebus vestris et hic et alibi ubicumque in Italia eum versari contigit nobis plane satisfecit sed aliquanto etiam amplius quod in sermone nostro, sitientibus nobis audire de te, omnia mihi tua plenissima sapientiae et gravitatis cum sua magna voluptate narrabat. Igitur ad reliquas rationes nostri in illum amoris haec quoque praecipua accessit quod intelleximus cir^nem^. tuam non in amore solum illi sed etiam in admiratione esse, quod praecipue sede vacante omnibus operibus in honorem tuum indicavit tua circumspectio. Ut suam erga nos perpetuam benevolentiam conservet de qua nobis omnia sibi polliceatur, magnopere illam in Domino hortamur, sicut de his eidem Ricardo nostro nomine narranti fidem poterit habere: Datum Romae. Die iiii. Martii mdxxiv. Anno primo.

hostem Carolo V se praebuit et matrimonium inter Henricum et Catherinam Aragoniae non satis tutatus est, imo ipsius solutioni ab initio se non opposuit, quamvis deinde Annam Boleyn Henrici superinductam renuens, ipsius odio omnibus bonis spoliatus esset. Antiquam tamen virtutem recipiens, episcopatum suum Eboracensem dum bene regit, ad captivitatem raptus, apud Leicestrium morbo confectus anno 1530 catholice et pie diem supremum obiit.

8.

Helvetiorum oratoribus in Lucerna congregatis.[1])

Dilecti filij. Congratulationi vestrae quam ob hanc nostram Dei omnipotentis beneficio ad summi apostolatus culmen assumptionem nobis praebuistis, respondimus per alias nostras, paterno amore et animo fidem ac benevolentiam vestram in nos et sanctam hanc Sedem plurimum commendantes: vestrae autem postulationi quam pro dilecto filio Carolo Bonromeo protonotario nostro vobis confederato in aliis litteris facitis nunc respondemus. probantes et laudantes gratam vestram, in hominem et suis virtutibus dignum et dominatione vestra benemeritum, voluntatem: quem nos quoque paterna in domino charitate complectimur, aptumque magnis honoribus iudicamus. Quumque vestra commendatio tanti est apud nos ut cuiusvis dignitatem amplificare posset, ostenderemus quam libenter quam vobis cupidi gerendi morem in cunctis iustis petitionibus simus; verum hoc tempore is est status Sedis apostolicae ut nihil minus opportunum videatur quam novorum cardinalium creatio. Cum autem ita sit non gravaremur vobis scribere tanquam veris rationibus acquieturis, nisi existimaremus nostram apud vos affirmationem satis magnum pondus habituram esse. Quare nobis affirmantibus ut credatis volumus, propensos nos valde esse ad vestra honesta desideria nostris beneficiis amplectenda: sic enim et vestra eximia virtus et perpetuus noster in istam fortissimam nationem amor postulat. Quominus vero nunc ita libere annuamus, magnis et multis causis profecto impedimur; quae si quo tempore cessaverint, re ipsa experiemini vestram plurimi apud nos esse voluntatem. Datum Romae die vi. Martii mdxxiv. Anno primo.

9.

Erasmo.[2])

Dilecte fili etc. Ex litteris tuis et ex eo libro quem ad nos in apostolorum acta conscriptum misisti, facile perspeximus tuam erga

[1]) Helvetii petieranta Pontifice ut Carolum Borromaeum Cardinalium collegio inscriberet; Carolus hic non est celeberrimus ille Mediolani archiepiscopus qui tantum anno 1588 Aronae ortus est.

[2]) Erasmus, jam propriis casibus variis maestissimisque in varia actus, tempore

nos observantiam coniunctam pari benivolentia: spemque magnam cepimus, te, quem Deus omnipotens doctrine ornamentis insignem esse voluisset, pro eiusdem Dei causa arma sumpturum, que essent tuo tanto ingenio, et ei pietati quam profiteris consentanea. Sic enim etiam ad nos multis ex locis afferebatur tibi ita agere in animo esse, iamque susceptum vel potius institutum quoddam opus, quo multorum prave sentientium erroribus patefaciendis tuae scientiae lumen accederet: quod nobis fuit auditu iucundissimum; magni enim semper fecimus litteras et doctrinam tuam: inque hac sententia et nostro paterno animo erga te, sive in hanc urbem te contuleris, sive constiteris alibi uspiam, ubicunque certe fueris, nos intelliges manere constantes. Itaque et quod ad te ab obtrectationibus liberandum attinet, interposuimus auctoritatem nostram: et quoniam non est nostri, neque iudicii neque animi, tuam virtutem, et eam quam in nos demonstras huius egregii voluminis dicatione optimam voluntatem irremuneratam relinquere, mandavimus dilecto filio Laurentio tit.li S. Anastasiae presbytero cardinali Campegio, nostro et apostolicae Sedis de latere legato, ut is tibi nostro nomine quoddam munusculum deferret, ex quo nunc quidem, ut arbitramur, quieti tuae aliquantum consulatur. Mox vero honesta nobis occasione oblata, consuletur etiam dignitati. Quod ut promptius et maiore etiam tuo merito facere debeamus, tuum erit in Dei gratiam ac nostram et levamentum laboris nostri, eos qui a sensu verae pietatis aversi sunt, corrigere, nobiscum una, et docendo et monendo et scribendo, ut et nos benivolentia tua et christiana res doctrina eruditioneque perfrui possit. Datum Romae iii.a Aprilis mdxxiv. Anno primo.

Lutheranae reformationis animo nutanti hinc inde variis affectibus trahebatur. Aleander nuntius in Germaniam ipsum saepe accusaverat de occulta haeresi, illique prae ceteris Hollandiae defectionem a catholica ecclesia et Germaniae pervicaciam tribuerat. Attamen Leo X, et Hadrianus VI, atque deinde Clemens VII maximum favorem illi docto et erudito viro ostenderant. Varios commentarios in Novi Testamenti libros ediderat Erasmus, non omnino a labe novatorum immunes, summa tamen arte conscriptos. Quidam Stunica contra ipsum novos Testamenti commentarios scripserat. De his Erasmus Clementi pontifici conquestus fuerat in litteris que de ipsius exaltatione, deque propria ob eam laetitia, festinanter miserat. In his enim totus semper fuerat ut Romae omnem de se suspicionem tolleret.

10.

Erasmo.

Dilecte fili etc. Et litteras tuas legimus libenter et librum libentissime: atque ex utrisque eis percepimus non solum specimen doctrinae quam in te iampridem cognoveramus egregiam, verum etiam illam quae nobis non minus iucunda fuit, et quam praeclare exprimis in tuis litteris erga nos, observantiam: itaque quod nobis de tanta hac ad nos Dei beneficio delata dignitate gratularis, nos gratulationem tuam ab optimo animo profectam grate accipimus, eundemque nobis ad ferendam opem atque auxilium Deum advocamus quo valeamus quae curae et vigiliae nostrae ab eo ipso commissa sunt vel integra conservare vel labefacta restituere: ad illius quidem omnia gloriam. Nam nos sat magnum fructum laboris nostri assecutos nos arbitrabimur, si diligentiae nostrae exitum habuerimus quem optamus. Quare si de nobis sentis quemadmodum scribis honorifice, quod bona voluntate, quae in nobis est, potes una esse contentus, praestabimus profecto, ut vere recteque sentias: nec te de nobis fallet expectatio. Sin autem, quod nos ingenio ac sapientia pares tanto oneri ferendo esse iudicas, neque agnoscimus laudem hanc; et Dei tamen freti benignitate, non diffidimus daturum eum nobis facultatem, aliquid salutare et commodum conficiendi, qui dedit et voluntatem. Pro cuius honore et nomine, quod tu quoque assidue laborasti et laboras, fers tu iam quidem non mediocre praemium singularis apud omnes commendationis: ut mirum non sit, te a multis propter famam ingenii ac litterarum flagitari et expeti. Quibus quod anteponis urbem hanc, domicilium vere doctorum atque prudentum, gratissimum nobis est; inque ea, si huc te contuleris, visuri sumus te libentissime; quamquam ubicumque fueris locorum, nec tua virtus ex animo nostro, neque memoria elabetur: habebimusque semper monumentum apud nos, tum perpetuam nostram de tua praestanti doctrina opinionem; tum hoc donum recens atque novum, eius, quem misisti ad nos, in acta apostolorum, non minus pie, quam erudite perscripti libri; quem nos, inter carissimas res nostras habituri sumus. Ac cogitantibus nobis iamdudum, quo te honestare possemus, pro tuarum virtutum meritis, ornamento, quoniam

adhuc res non obtulit occasionem, qualem vellemus; visum interea nihilominus est, quoddam tibi munusculum deferre: de quo ad dil. fil. Laurentium tit. S.tae Anastasiae S. R. E. praesbiterum cardinalem Campegium nostrum et sedis apostolicae de latere legatum scripsimus; ut is quamprimum ad te, et voluntatem nostram, et indicium deferret. Tu ut maiora ex nobis quotidie speres, et eos quos tibi obtrectare conquestus es, qui tamen per nos cohibiti et compressi sunt, studeas dignitate atque elegantia factorum scriptorumque tuorum refutare; te magnopere adhortamur. Quod efficies, si in gratiam Dei atque nostram, ac levamentum laboris nostri, eos qui a sensu verae pietatis aversi sunt, corrigere conaberis; et docendo, et monendo, et scribendo: valetudinique servies, quo tua sedulitate et opera, christiana res frui diutius possit. Datum. *(sic)*.

11.

Regi portugalliae.[1])

Carissime fili. Nisi honoris et nominis tui eam curam gereremus quam noster paternus in tuam serenitatem amor postulat, quae ad nos delata sunt et quotidie deferuntur, non ita movissent animum nostrum sicut moverunt, ut hac de re primum cum serenitate tua agendum putaremus: cum enim ab initio illorum temporum quibus clarae memoriae Emanuel genitor tuus a regionibus orientis omnium fere genera aromatum ad nostras partes afferre cepit in omnium animis spes et laetitia quaedam exorta fuisset, quod illorum et uberiorem copiam et faciliorem comparationem omnes fore arbitrabantur, res in contrarium ita conversa est, ut ad nos et ad sedem apostolicam quotidie veniant querelae: nec iam singulatim sed populariter implorantium auctoritatem nostram et obsecrantium ut huic tanto totius Italiae ac fere reliquae christianitatis incommodo succurrere velimus: quorum nos preces iustas praesertim non possumus negligere. Itaque ad serenitatem tuam scribendum duximus, illam in domino plurimum hortantes ut, re diligenter considerata, remedium aliquod adhibere velit, quo tantum populorum ac gentium hoc intolerabile onus levetur: praeter enim

[1]) Joannes III qui anno 1521, XIV kal. Januarii regi Emmanueli I successerat.

aequum et debitum cui tu satisfacere imprimis debes, Deoque esse gratus qui te ad regiam evexit dignitatem ut esses populis omnibus proficuus et salutaris; nos praeterea ad veram utilitatem tuam et ad veram laudem pertinere arbitramur diminuere aliquantum de iniusto lucro et multum iusti honoris acquirere. Hac de re multum locuti sumus cum dilecto F. Michaele Silva oratore apud nos tuo qui vir prudens et admodum probus audire potuit huiusmodi querelas et praesens intelligere quantum ob eam causam de serenitatis tuae fama et gloria detrahatur, cui etiam commisimus ut ad te scriberet: nos si tu, quemadmodum quidem decet et fas est, auctoritatem et gratiam nostram in re hac valere apud animum tuum permiseris, adhibuerisque operam et diligentiam ut horum incommodorum levatio fiat, prestabimus tibi hoc multo utilius et honestius futurum, gratum ipsi quidem et maxime acceptum a tua serenitate habituri sumus. Datum Romae Die nona Aprilis mdxxiiii. Anno. primo.

12.

Cardinali Campegio.[1])

Dilecte fili noster etc. Quod scribit ad nos circumspectio tua esse ex numero illorum principum, quorum et nobilitas et virtus magni a nobis facienda est, qui optent cleri Germaniae reformationem, multumque eam rem ad tollendas seditiones et tumultus scismaticorum profuturam arbitrentur, id nobis intelligere fuit iucundissimum: quid enim aliud nos posteaquam ad hoc pastorale officium divina bonitate vocati fuimus aut cogitavimus aut optavimus quam in ecclesia Dei corrigere quae depravata sunt et illam in antiquum splendorem purae et verae religionis revocare? cuius nostri desiderii Deum testem habemus et circumspectionem etiam tuam: sed quominus statim ab initio in hanc rem et opus incumberemus, aliae graviores et instantiores

[1]) Laurentius Campegius Bononiensis qui post obitum uxoris suae Romam vocatus „brevi sic inter caeteros Rotae auditores, ut ait Coclaeus, scientia et probitate emicuit ut dignus videretur qui in arduissimis Papae negotiis mitteretur in Germaniam" prius ad Maximilianum imperatorem, deinde, cardinalis factus, ad Germanos tempore Caroli V, pro negotiis Ecclesiae a Luthero vexatae.

curae fuerunt impedimento, cum enim ad sedanda acerbissima bella quibus christianus orbis flagrat universus, cum ad imminentis et urgentis ferocissimi Turcae impetus evitandos, cum ad eam quae nobis et in amore et in opinione virtutis potissima est Germaniam domesticis malis liberandam omnia studia et consilia nostra vix suffectura cerneremus, non duximus ad tantarum rerum onus hunc etiam laborem reformandi subito addendum esse, praesertim cum hoc remedium ad aliquantum tempus differri posset, illa vero superiora nec spatium nec moram ullam paterentur. Quare si ab huiusmodi optimis principibus et ipso Germaniae conventu haec res abs te postulatur non solum hanc eorum virtutem et dignissimam omni laude voluntatem in Domino commendamus, sed gratum insuper habemus quod rei nobis admodum desideratae laborem sua diligentia nobis faciunt leviorem. Sed illud est diligentissime animadvertendum, de quo tu nobis non ita plane aperteque scripsisti, num huic sancto operi omnes principes qui in conventu locum vocemque obtinent tam temporales quam ecclesiastici consentiant, si enim unus est animus omnium et una ac consentiens in hoc ita fiat postulatio, ne punctum quidem temporis volumus a te rem differri, tibique et praesidendi in ipso conventu ac quae in eo decreta ad eorum reformationem morum cleri Germaniae fecerint approbandi et confirmandi auctoritate nostra tenore praesentium amplam potestatem simul et facultatem concedimus: sin autem intelligas, non re publice in discussionem adducta, ne qua contentio exoriatur, sed singulatim omnium voluntatibus perspectis aliquam partem numerumque principum et eorum qui auctoritate pollent ab hac sententia remotum esse: pertimescendum tunc nobis graviter esset ne cum veteres seditiones ex illa nobis dilectissima natione tollere et extirpare quaereremus novas insuper concitaremus, quod nobis magno dolori ipsi autem Germaniae gravissimo detrimento esset, quae uno quidem plus multo quam vellemus dissensionis genere iamdudum afflicta est. Facit autem et amor perpetuus in illam nationem noster et ea spes quam habemus quod illa inter se concordi vi placata maximum auxilium ac praesidium toti christianitati debeat esse paratum, ut germanicorum populorum commodis incommodisque non secus afficiamur ac nostris. Hanc rem ut exquiras diligenter ac perpendas adhibito consilio eorum quos et

auctoritate et prudentia publicae saluti totius Germaniae favere intellexeris, circumspectioni tuae iniungimus, rationibusque omnibus ultro et citro dictis, si tibi ita videatur ad nos referas, nos enim ad omnia honesta et salutaria consilia voluntatem manum accomodabimus et auctoritatem: quod si sine aliquo gravi motu per generalem germaniae conventum providere huic reformationi non posse videris: poteris tu si ita expediens fuerit et per te et per eosdem optimos principes qui hoc optant iudicatum, particulares facere reformationes, et ad postulationem populorum qui de cleri iniuriis conquesti fuerint, adhibitisque tecum sex aut octo germaniae praelatis correctioni intendere: nos et tua prudentia atque doctrina plurimum confidimus et illis agimus principibus gratias quorum tu sanctum propositum optimamque voluntatem ad nos perscripsisti, illorumque nomina (non enim per te scripta sunt) avemus intelligere: quo amemus etiam magis quos magnopere diligimus. Tu atque illi iuncto cum voluntate bona optimo etiam consilio, quae ad salutem et pacem Germaniae pertinebunt, et vestra virtute ac diligentia procurabitis, et nobis nota reddere non postponetis. Datum Romae etc. decimaquarta Aprilis mdxxiiii. Anno primo.

13.

Cardinali Campegio.

Dilecte Fili noster etc. Gratum nobis admodum fuit ex circumspectionis tuae litteris intelligere postulari a te per eos principes, qui in isto conventu Germaniae congregati sunt[1]), et quorum virtus et nobilitas maxime publicae saluti intenta est, ut ad reformandos mores cleri Germaniae aliquis conventus indicatur, in quo tu debeas auctoritate et vice nostra praesidere. Haec enim petitio et illorum optimam voluntatem prorsus nobis indicat, et rem postulat ut arbitramur salutarem; cum praesertim, ad eum quoque finem instituatur, ut scismaticorum et prave sentientium omnino confundatur iniquitas, paxque et tranquillitas, (id quod nos maxime expetimus) toti Germaniae reddatur. Quamobrem cum omnis ordinum ecclesiasticorum correctio,

[1]) In conventu scilicet Nurembergensi de quo tamen nimiam spem Clemens acceperat.

iampridem nobis desiderata sit, et quominus ad eam statim tractandam devenerimus, his totius christianitatis bellorum et seditionum incendiis fuerimus impediti, aperiente viam nobis Deo, per virtutem et bonam mentem istorum Germaniae Principum tam temporalium quam ecclesiasticorum. Circumspectioni tuae dictum conventum celebrandi, ac auctoritatem illius (decretis?) tribuendi, ad correctionem morum et reformationem cleri Germaniae pertinentibus, ac in eo nostra vice et nomine honore eodem legationis praesidendi, amplam tenore praesentium facultatem simul concedimus et potestatem; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae etc. Die xiiii Aprilis mdxxiiii. Pontificatus nostri. Anno primo.

14.[1])

Dilecte fili salutem etc. Cum primum te electum ad Traiectensem ecclesiam intelleximus, et iucunde accepimus hunc nuncium quia propter singularem quandam nostram erga domum tuam nobilissimam voluntatem omnis tuae amplificatio dignitatis vehementer nobis est grata: et illorum consilium laudavimus, qui cum ecclesia Traiectensis multis damnis atque incommodis affecta esse diceretur ad illum potissimum eligendum se contulissent, cuius virtus atque auctoritas ipsi ecclesiae magno posset esse adiumento. Itaque libenter eramus parati et electionem comprobare, et omnia alia quae obtineres ecclesiastica beneficia tibi confirmare; sed cum tu idem venerabilis fratris episcopi Wormaciensis coadiutor cum successione esses per Sedem apostolicam deputatus, peteresque huiusmodi coadiutoriam posse per te retineri et ecclesia vacante ad successionem te admitti; nos hoc loco aliquantum dubitavimus, ut essemus anxii quid nobis esset faciendum. Ex una parte virtus tua amorque in te noster et familiae tuae dignitas, cui, ut vere loquamur, plurimis de causis affecti et benevoli sumus, nos

[1]) Quae sequuntur deleta sunt in originali linea transversa. Dicebant enim: „Nam si quid postea te in armis immobilius manente incommodi accidat sicut multa accidere possunt, nunquam volumus poenitere nos non libere et aperte tecum esse locutos, in quo ut tu et virtutem et prudentiam tuam adhibeas magnopere tuam nobilitatem adhortamur".

[2]) Henricus Bavariae, filius Philippi electoris palatini, electus est a capitulo Ultrajectensi anno 1524 in locum Philippi Burgundii, docti quidem sed non perfectae integritatis viri, cuius temporibus Traiectensis ecclesia multis magnisque damnis ob crebra bella et civium dissensiones obnoxia fuit.

hortabantur ut omnia tibi concederemus quae tumet velles: ex altera vero mores depravati horum temporum, haec nimia quae exarsit plus semper habendi cupiditas, quae in omni genere hominum turpis, in clericis vero et sacris personis non est ferenda, nobis erant impedimento, quominus tibi ut cupiebamus continuo gereremus morem. Cum enim nos ipsos intelligamus his miseris et afflictis temporibus ab omnipotente Deo in curam sui gregis vocatos, ut aliquam medelam et aliquod remedium communi malo christianae reipublicae afferamus, haec prima videbatur per nos malis moribus obstruenda via esse, ut in pluralitate cathedralium ecclesiarum, rem paulatim ad sacrorum canonum ordines et instituta revocaremus, neque duas aut plures tales ecclesias obtinendi facultatem passim tribueremus. Haec ergo causa et ratio nos aliquandiu tenuit dubios. Sed cum quotidie magis, ecclesiarum istarum utrarumque Wormaciensis et Traiectensis necessitates ac incommoda nobiscum reputaremus, quarum altera in ipso incendio impietatis multorum animis pravis, et a recta fide rebellibus referta esset, altera maximis detrimentis et calamitatibus involuta, quarum utrique prudentiam et auctoritatem tuam et auxilio et levamento esse posse intelligebamus; cumque et virtus tua eximia, et familiae tuae splendor. clarissimorumque in ea nunc virorum et principum maxime virtutes aeque in defensione verae et antiquae fidei et in honore Christi ac huius sanctae sedis dignitate retinenda, et semper alias, et nunc praecipue paratae ante oculos nobis obversarentur, pati non potuimus amplius moram ullam, vocatisque tuarum rerum et negociorum actoribus. ostendimus illis nos tibi, cetera quidem omnia libere ac libenter, retentionem vero Wormaciensis coadiutoriae et successionem deinde in ea ad tempus sex mensium et praeterea ad nostrum et sedis apostolicae beneplacitum concessuros: ut sic et priorem deliberationem nostram. quoad licitum esset conservaremus, et nihilominus satisfaceremus tibi. cui plurimum cupimus esse satisfactum. Quam decisionem nostram ut in eam partem accipias, in quam nos tibi damus, devotionem tuam magnopere hortamur: non enim volumus te pertimescere brevitatem temporis, cum beneplacitum illud possit prorogari: neque existimare te et tua parum nobis esse curae, immo hoc certum exploratum habeas volumus, nos de augendis semper, non de minuendis, tuis honoribus

et commodis cogitaturos, semperque hoc familiae tuae nobilissimae nobisque dilectissimae et probatissimae daturos, ut quaecunque in vos officia a nobis et sancta sede hac proficiscantur, ea videantur potius vestris praeclaris virtutibus summoque amori nostro ac iudicio erga vos data quam ex communi consuetudine concessa. Quod cum faciemus, non solum benevolentiae in vos nostrae, sed etiam Dei honori et eius sanctae fidei saluti nos rem commodam et utilem facere arbitrabimur. Devotio tua ut nostro erga se amori pari et debita observantia respondeat, magnopere illam in domino hortamur. Datum Romae etc. die xii. Decembris mdxxiiii. Anno secundo.

30.

Antuerpiensibus.

Dilecti filii. Accepimus litteras vestras et civium magistrorum ac consulum una istius civitatis, in quibus deplorantes vestrae ecclesiae incommodum, quae iamdiu decano suo orbata propter dilecti filii Jacobi Bannisii decani vestri absentiam non mediocria in spiritualibus ut affirmatis accipit detrimenta, petitis ad extremum ut eum vel ad residendum in sua ecclesia vel ad decanatum ipsum in sessuri et servituri ecclesiae personam resignandum compellamus. Quibus utrisque nos his litteris nostris respondemus, primum commendantes in Domino devotionem et religionem vestram qui ecclesiae curam eam quam debetis geritis ac suscipitis, ne ea suis et Dei ministris spoliata a laude omnipotentis Dei et cultu rei divinae refrigescat; quam eandem curam habemus nos; Deo enim concedente sumus et in vestra et in omnibus, ut quisque eius muneris fidem cuius Deo debitor est persolvat, curaturi. Ac ut assentimur nobis opportunam esse in ecclesiis superioris praesentiam sic quoniam quandoque accidit ut qui Deo serviunt ad sortem aliam serviendi vocentur, habenda est quandoque personarum distinctio: dummodo neque perpetuum id sit neque in exemplum trahatur: cumque nunc ipse Bannisius apud nos in nostra versetur curia ea gerens negotia quae ad pacis et sedandae Italiae tractationem pertinentia nos in maxima cura et sollicitudine animi tenent positos, iudicamus esse non iniquum ut et negotii quod agit et virtutis per

quam ad magna natus et aptus est negotia, ratio in illo habeatur, tantisperque ei abesse ab ecclesia sua liceat, dum in salutaribus operibus est occupatus. Qua in re nos non solum prudentiam vestram, sed humanitatem etiam aequitatemque requirimus: non enim voluissemus vos adversus concordiam alio tempore cum eo initam fructus illi debitos ad manus vestras redegisse: non enim habet eiusmodi redactio solam zeli Dei et ecclesiae sed etiam cupiditatis aliquam suspitionem, a qua vos abesse quando a crimine abestis, ut sacerdotes Dei et ministros, convenit. Quod si et causam quae eum nunc a vobis distinet aequo et placato animo agnoveritis, et fructus illi suos, quod unum habet fere suae degendae vitae subsidium benigne et fraterne relaxaveritis, non solum rem et Deo et honori vestro congruam, sed nobis etiam, quibus vestra fides et religio maxime est cordi, imprimis gratam facietis. Datum Romae die xiii. Decembris mdxxiiii. Anno secundo.

31.

Nuncio Venetiis.

Venerabilis frater. Et antiquae nobilitatis ac claritatis gratia quam domus de Farnesio perpetuo quodam splendore egregie conservavit, et quia venerabilis fratris nostri Alexandri episcopi Ostiensis cardinalis de Farnesio singularibus meritis ac eximiae in omni genere laudum virtuti omni studio favemus, honorem et commoda illius familiae habemus cordi non secus ac nostra: neque solum iudicio sed etiam amore ut ita agamus sumus inducti. Cum ergo multi ex genere et maioribus illorum in stipendiis dilectorum filiorum venetorum alias fuerint, quorum operae fortis ac fidelis non possit istud inclytum dominium penitere, ac imprimis bonae me. Ranutius de Farnesio pro statu et imperio eorumdem fortissime dimicatus in Parmensi agro adversus Gallos occubuerit[1]): aequum est et rectum ut ab eis ratio illius posteritatis habeatur, ita ut et ipsius dominii servetur institutum, quo ad illorum liberos, qui vitam in propugnatione Veneti status posuerunt,

[1]) Anno 1495 Ranutius Farnesius contra Gallos, pro Venetis ad Tarum pugnaverat dux sexcentorum equitum ibique, iam parta victoria, fortissime occubuerat.

transeat eorum liberalitas, et plurimi hac spe ad strenue et fideliter eis inserviendum acrius incitentur. Nunc itaque dilecto filio Petro Aloisio dicti Ranutii nepote cupiente, id quod iamdiu cupit et molitus est, adscribi ad militiam venetorum et aliqua ab eis honesta prefectura insigniri, cum etiam de eorum erga se optima voluntate spem magnam conceperit, exitum autem nullum adhuc sit expertus, volumus et fraternitati tuae iniungimus ut, suscepta hac causa, omnem diligentiam adhibeas, interposito etiam nomine et declarato huius rei desiderio nostro, quod etiam hic oratori apud nos Venetorum notum fecimus: ut dilectus filius nobilis vir dux et ceteri ex consilio Venetorum dictum Petrum Aloisium ad stipendia sua accersire eumque aliqua honorifica honestare prefectura, eiusque fidem operam strenuitatem in qua maiorum eum suorum similem futurum speramus, adhibere atque exercere in rebus suis velint; quod sunt nobis gratissimum facturi: atque ita morem gesturi ut cum similiter commendationes pro aliis interposuissemus, huic potissimum, quae pro homine nobis grato suscepta est, cupiamus et a te et ab illis et fidem primam et liberalitatem adhiberi: in hoc faciet fraternitas tua rem nobis expectatam et gratam. Datum Romae die xv. Decembris mdxxiiii. Anno secundo.

32.

Antonio Fonsecae.

Dilecte fili salutem etc. Antequam litterae tuae nobis redditae essent, obitum bo. me. fratris tui episcopi Burgensis nunciantes, id iam fuerat a nobis aliis litteris et nunciis cognitum, graviterque indolueramus ob memoriam virtutum illius, tuumque ex amissione fratris dolorem; sumus enim tuae devotioni affecti, de cuius etiam virtute, animique prestantia amplum semper iudicium fecimus. Sed quoniam Dei summi voluntas omni in re nobis aequo animo est ferenda, dum ille ab humanis discedens id iter tenuerit, quo via in coelum directa est, quod nos sperare de eo, et confidere possumus, mors, quae omnibus communis est, non est in uno illo graviter ferenda; sed idem Deus orandus, ut hac illi morte aditum aperuerit ad vitam aeternam. Quod vero ad bona et res illius attinet, nos in tantis nostris et Sedis

apostolicae angustiis, etsi iam destinaveramus animo, quo illa convertenda essent, nec tamen ad privatam ullam utilitatem nostram, sed ad communem christianae reip. salutem: tamen lectis litteris tuis, quibus iure quodammodo ea ad te pertinere affirmas, hoc nec tibi nec cuiquam negare ullo modo possumus, quin quod suum est, cuique reddatur. Tuae vero devotioni etiam libentissime deferimus, ut tibi grate tribuatur, quod iure est tuum, cum etiam si ea bona ad nos et Sedem apostolicam iure et more pertineant, simus liberalitatis nostrae tibi indicia daturi, ac virtutis tuae non parvam rationem habituri. Neque est causa quamobrem carissimus in Christo filius noster Caesar se interponat, quominus tu indebite vexeris; si enim tibi aliquid fieret iniuriae, eam nos gravem nobis illatam iniuriam essemus existimaturi. Sed de iniuria nihil est, quamobrem aut tu metuas, aut nos cogitemus. Illud quod aequissimo et optimo iure tractandum in iis bonis fuerit, de eo scribimus ad nuncium nostrum, quomodo gerere rem, et transigere totum hoc negocium debeat, in quo si erit liberalitati nostrae locus, intelliget devotio tua a nobis et Sedis apostolicae et commodi ac honoris tui eam quam convenit habitam esse rationem. Datum Romae die xxiii Decembris mdxxiiii. Anno secundo.

BREVIA AD PRINCIPES CLEMENTIS VII.

1525.

33.

Viceregi Neapolitano.

Dilecte fili etc. Quid hactenus voluntatis nostrae fuerit, et quantum elaboraverimus, ut his perniciosis et pertinacibus armis omissis, aliqua pacis et concordiae ratio iniretur, ruentique ad extremum interitum christianitati coniunctis animis succurreretur, tua nobilitas in primis potest esse testis. Vidit enim ipsa et cognovit actiones nostras, nullum ad commodum privatum, sed ad commune bonum pertinentes; qui etiam a boni et aequi patris persona, sicut debitum nostrum et temporum quoque ac huius S.tae Sedis fortunarum ratio postulabat, instituimus non discedere; cum si alio animo fuissemus promissiones tuas honorificasque conditiones, de quibus dilectus filius nobilis vir Aloisius dux Suessanus tuis verbis nobis proposuit, fuerimus admissuri; sed vivet vincetque in nobis semper boni pastoris officium et utilitas reipublicae christianae. Nunc vero cum aliis prodesse cupientes, id non potuerimus assequi; restat ut salutis demum nostrae et securitatis status ecclesiastici ac fidei nostrae commissorum eam curam habeamus quam necessitas fert. Igitur transeuntibus regis christianissimi per ditionem ecclesiasticam et nostram copiis, armis omnino carentes, quae nec pastorale officium, nec egestas sedis apostolicae nobis permittebant, concordiam fecimus cum ipso eodem rege christianissimo, eis conditionibus, et ea conventionum pactorumque modestia, ut facile appareat, nihil a nobis, nisi fugam et vitationem periculorum fuisse quaesitam. Ad quod consilium etiam fidentius accessimus quod ex litteris venerabilis fratris Nicolai archiepiscopi

capuani nuncii nostri cognovimus ipsum quoque serenissimum Cesarem ad studia pacis bene propensum esse. Amorem quidem nostrum eximium et singularem erga ipsius serenitatem sic et praeferimus in omnibus dictis factisque nostris, et in animo conservamus sumusque perpetuo servaturi, ut nihil commodi, et fiduciae nobis ipsis petierimus, quin idem illi cupiamus, pacemque in primis votis omnibus optemus, ex qua si Dominus eam nobis concesserit, non dubitamus serenitatem ipsius maius multo emolumentum et maiorem gloriam acquisituram. Sed de his omnibus latius cum nobilitate tua dilectus filius Bernardinus Castellarius camerarius noster aget, cui fidem habebit. Datum Romae etc. iiii. Januarii mdxxv. Anno secundo.

34.

Regi Scotiae.[1])

Carissime etc. Etsi superioribus diebus per alias litteras nostras celsitudini tuae gratulati illam etiam letitiam nostram tibi significavimus quam ex amore et coniunctione inter te et carissimum in Christo filium nostrum Henricum regem Angliae fidei defensorem avunculum tuum conceperamus: tamen cum postea de quibusdam monasteriis quae in regno tuo vacaverant et tu ad nos ac primum in genere, deinde etiam particularius, accurate et diligenter idem Henricus rex Angliae scripsisset, teque et statum celsitudinis tuae resque tuas omnes sibi ita cordi esse declararet ut nos summopere precaretur ut quo erga ipsum animo atque amore essemus, eodem erga te esse vellemus, has etiam alteras ad te dirigendas duximus: primum tibi denuo nunciantes gratam nobis admodum esse hanc personae tuae ad regnum exaltationem, sperareque nos et confidere quam huic sanctae sedi observantiam pater avus et maiores tui prestiterunt, eandem te prestiturum: deinde offerre nos tibi et policeri eum paternum studium animi atque affectum ad res tuas fovendas iuvandasque quem pastoris boni officium

[1]) Jacobus V iuvenis adhuc, qui anno 1518 duobus annis natus successerat patri Jacobo IV; hoc tempore nondum ad gubernationem maturus, erat sub tutela Joannis Albaniae ducis.

et tua virtutis indoles requirit. Quod vero maxime ad utilitatem et privatam tuam et communem universae christianitatis pertinet id celsitudinem tuam et poscimus et hortamur ut coniunctionem ut amicitiam ut perpetuum et stabile amoris atque observantiae foedus cum ipso Henrico rege avunculo tuo custodias, qui cum in omni cura et studio rerum tuarum tuaeque firmandae et amplificandae dignitatis omnem amorem in te patris amantissimi exhibeat, tuum vicissim est optimi filii erga eum studia officiaque praestare, quo quidem mutuae benivolentiae observantiaeque vinculo primum res regni tui stabiles atque tranquillae, deinde christianitas tota magnum fructum accipiet, quae nunc bellis usquequaque et discordiis lacerata, nomen ipsum pacis fructumque aliquem concordiae et consensionis in vobis duobus tanquam exemplum et initium communis pacificationis felici auspicio acceptura est. Quantum autem commodi ex amicitia inter finitimos praesertim et cognatione arcta iunctos capiatur, quantum ex adverso ob discordias detrimentum tua celsitudo, licet aetate iunior sit, bonitate tamen ingenii iam potest intelligere. Nos certe, quibus maxime curae est pacem et benevolentiam et conciliare ubique et conciliatam conservare, paterno animo tibi consulimus ut tui avunculi Angliae regis eximiam in te quae nobis nota et multis signis iam perspecta est benevolentiam et charissimam habere et perpetuam studeas retinere. In quo magnum quoque tuum erga nos ipsi officium sensuri sumus: tanta enim sunt illius clarissimi et invictissimi regis erga nos et Sanctam Sedem apostolicam merita, ut non ipsum solum sed quaecumque illius sunt aut illum quoquo nomine titulove attingunt gratissima acceptissima charissima semper simus habituri: nullum enim est genus obsequii, nullus modus observantiae, nulla officii praestanda ratio qua non ille nos et hanc Sanctam Sedem demeritus fuerit: idem armis idem litteris Sedi apostolicae duris temporibus non defuit, idem perpetuo et singulari cultu illam prosecutus est ut quantum illi debeamus vix possimus scribendo commemorare; quam etiam inter nos omnium officiorum coniunctionem dilectus filius noster Thomas cardinalis Eboracensis noster et Sedis apostolicae in eodem regno legatus sua prestanti sapientia alit et adauget, quem etiam sensimus celsitudinis tuae studiosissimum esse. Cum ergo ipse rex Henricus de huiusmodi monasteriorum in tuo regno

vacatione ac ut ea ad voluntatem tuam conferremus ad nos accuratissime scripsisset. facturi sumus etiam libentius ut eodem facto et desiderio tuo et intercessioni illius geramus morem: cum vero etiam adscribat se nihil his temporibus ardentius desiderare quam ut status regni tui firmus amplusque sit. etsi tua nos non mediocriter movet causa quem ut vere filium amamus. tamen illius etiam voluntate hac accedente. necessario es nobis et huic sedi commendatior. a qua ea officia et beneficia expectare poteris. quae tuae indoli et maiorum tuorum virtutibus fuerint consentanea. Illud quidem etiam atque etiam celsitudinem tuam hortamur et requirimus. ut santissimo vinculo non pacis solum verum etiam debiti amoris cum avunculo tuo servato, iuste et integre regnum gerendo ac gratias Deo ipsi largitori regnorum perpetuo agendo. erga sanctam ecclesiam Sedemque apostolicam quae omnium catholicorum principum mater est. dignum honorem et observantiam studeas exhibere. Datum Romae die iiii Januarii mdxxv. Anno secundo.

35.

Caesari.[1])

Carissime etc. Antequam ad pontificatum essemus divina providentia vocati, recordamur nos et amore erga multos atque imprimis erga serenitatem tuam, et nonnullorum quoque odio fuisse implicatos, cum humano more affectibus variis essemus occupati; at postquam hoc honore suscepto et hac pastorali cura recepta, animo circumspeximus quid a nobis et ab officio nostro requireretur, quantum Deo deberemus. quantum christianae reipublicae, quam etiam periclitantem ex tot cladibus et ruinis ac pene naufragam ad nostrae vigilantiae gubernaculum de-

1) Remiserat Carolus ad pontificem episcopum Capuanum a Clemente missum, et petierat societatem adversus Franciscum Gallorum regem. Pontifici pro pace oranti scripserat: pacem velle, sed bellum parare; non renuere pacem „sed non videri spernenda interim ea quae ad communem conservationem pertinent, pro qua (subiungebat) quantum ad nos attinet nihil praetermissuri sumus, sperantes S. V. non minus etiam communi saluti consulturam“. Sic scripserat Carolus in ep. data Matriti 18 Dec. 1524. (Archiv. secr. vatic.). Bellicis sollicitationibus Caesaris respondit pontifex hac epistola, qua etiam de necessariis cum Gallis tractatibus narrat.

latam intelligebamus; nova persona assumpta servavimus quidem amores pristinos quos multae et magnae causae, tuae presertim admirabilis virtutis et erga nos optimae voluntatis, in nobis excitarant: sed vetera odia omnia penitus abolevimus, patrisque suscepimus personam cuius benevolentia et charitas omnibus esset communis, quatenus ad publicum bonum christianitatis tota referretur. Hoc nobis consilio proposito, pacem semper ab initio optavimus pacemque imploravimus eamque et poscere et suadere et precari destitimus nunquam; haec arma penitus horrentes quae summam christianitati perniciem afferentia nec pertinaciae nec detrimentorum finem ullum constituunt. Ac nos quidem in officio boni pastoris perstitimus constanter, neque ab eo ulla rerum aut temporum conditione sumus discessuri, praeter debitum nostrum etiam Sedis apostolicae incredibili inopia debilitateque coacti. Sed cum consilium quod nos probabamus et necessarium esse iudicabamus si salva deberet esse christianitas, ut pacis ratio aliqua iniretur, ceteris proponeremus iis qui nunc in Italia bellum gerunt, nostra nunquam vox auctoritatem quam debuit potuit obtinere; nam qui viribus suis confidebant consilium pacis nisi certis pactionibus adiectis aspernabantur: et qui armis et opibus minus poterant pertinaciam pro potentia amplectentes ad conditiones ullas accedere recusabant, in qua quidem re si nostris monitis fuisset obtemperatum omnium res tutiore in loco quam nunc sunt fuissent collocatae: sed pendente diu et dubio belli eventu, cum rex Francorum exercitu prepollens partem copiarum suarum ad tuum regnum Neapolitanum mittere decrevisset, non tam eius occupandi ut allegabat causa quam tuos inducendi ut sibi Mediolani ducatum cederent, nos tunc regem ipsum multis allatis rationibus ab ea deliberatione deduximus, pollicentes etiam nos tentaturos si componi aliquo modo res Mediolanensis posset; quod etiam fuimus experti; sed cum nimis duro ut multis videbatur et obstinato animo tui resisterent, idem rex, sive ea re incensus sive impotentiam nostram intelligens, animum vero ab armis omnino remotum cognoscens, ducem Albaniae cum numero peditum equitumque dimisit ad tuum regnum Neapolitanum tentandum: qui nunc iter faciens cum per nostros et sanctae romanae ecclesiae status transeat, nobis imparatis et nullo exercitu munitis, attulit nobis curam et necessitatem cogitandi ut aliquo modo

saluti et securitati nostrae providere deberemus, regemque ipsum fide obstringere nihil ab eo nobis neque nostris damni fore illatum. Haec nobis cogitantibus et diligenter ac exacte consultantibus ne quid nova conventio adversus veteres et nobis charissimas coniunctiones videretur afferre, ecce ad nos litterae venerabilis fratris Nicolai archiepiscopi Capuani nuncii nostri allatae sunt, nunciantes serenitatem quoque tuam ad pacis studia inclinatam et propensam esse; ea vox nobis tanquam de celo missa omnes animi nostri dubitationes et sollicitudines abstersit, fecitque ut quod necessario facere cogebamur, fidentius etiam faceremus, conventionibusque cum ipso rege Francorum initis consuleremus tranquillitati nostrae, ac si hoc communis pacis per tuam humanitatem et sapientiam felix auspicium esset etiam universae christianae reipublicae. Et previdemus quidem fore qui secus apud te nostrum animum consiliumque interpretentur, multaque in suspicionem trahant quae aliorum culpa fortassis acciderunt; sed nos Deum advocantes sincerae mentis nostrae testem serenitati tuae affirmamus, nos nec privatae ullius utilitatis caussa, nec odio cuiusquam, sed necessitate et ob utilitatem publicam pacisque et quietis studium ad haec consilia adductos esse; quanquam ipsa capitulorum et conventionum formula facile aperteque demonstrat quo nos animo et qua in omnem partem modestia nihil quaesiverimus aliud nisi fidem et securitatem: de nostra vero erga te constanti et eximia voluntate non solum in eis ipsis capitulis clare profitemur sed testamur etiam nos summae amicitiae fidem tibi semper praestituros nec a pristino amore erga te unquam discessuros. Utinam etiam auctoritatis aliquid tuo nomine apud tuos hic haberemus: quando enim armorum nobis tractationem et debitum nostrum et inopia non permittit, conaremur res tuas in Italia conditionibus constituere; quod tamen quandocumque fuerit nobis datum omni cura et studio agere non desistemus. Tua serenitas ut necessitatem nostram et optimum animum agnoscere nobisque etiam assistere et esse adiumento ad generalem pacem conficiendam velit cuius in ea potissimum componendae est potestas, illam etiam atque etiam in Domino obtestamur, sicut latius cum ea nostris verbis dilectus fr. Jo. Corsius Fiorentinus orator aget, cui fidem habebit. Datum Romae die v. Januarii mdxxv. Anno secundo.

36.

Regi Angliae.

Carissime etc. Si non tua serenitas nostri iamdiu animi et eius nostrae quam ad pacem semper habuimus cupiditatis summaeque huius S.tae Sedis inopiae et egestatis optime conscia esset, nobis esset fortassis altius repetenda ratio factorum consiliorumque nostrorum; sed cum tibi plane fuerit cognitum, nos primum ipsos ab armis abstinuisse, quae et pastorale nobis officium et impotentia apostolicae Sedis interdicebant, deinde aliis omnibus suasisse pacem, ad quam qui minus armis opibusque poterant cum difficilius etiam accederent neque ullas audire conditiones paterentur, bellum processit, et Mediolano per regem Francorum capta, Papia diu obsessa est et obsidetur; accidit ut cum ipse Francorum rex frustrari se suo desiderio cerneret, si adversarii eius menibus et oppidis inclusi ad prelii aleam non descenderent, caperet consilium partis sui exercitus ad regnum Neapolitanum tentandum dimittendae: cui nos consilio aliquamdiu obstitimus neque armis sed rationibus; quibus multis allegatis, nisi fuimus eum ab illa cogitatione retrahere: cum presertim promisissemus nos tentaturos ut aliquo modo ad concordiam veniretur. Quod cum fecissemus neque quicquam essemus consecuti, et rex ipse suam pristinam resumpsit deliberationem in regnum copias mittendi, et nos inopes consilii remansimus, armata enim manu per nostros et s.tae ecclesiae status nobis inermibus transeunte multa et magna nobis erant metuenda, nisi aliqua fide regem obstringeremus, nihil ab eo damni aut incommodi nobis fore illatum, in quo vicissim illi promittendum erat nos nihil contra eum acturos. Haec simplex et sincera conventionis formula etsi iusta et necessaria nobis videretur, quae nihil nos cogebat a pristinis nostris amicitiis coniunctionibusque discedere, tamen noluissemus eius faciendae nobis inferri necessitatem: porro necesse erat vel sic agere, vel arma sumere, vel ad arbitrium alienum vivere, quorum duo ultima nec pontificis, nec prudentis hominis erant. Sed tum cum animo adhuc hesitaremus, litterae ad nos a ven. fratre Nicolao archiepiscopo Capuano nuncio nostro Lugduno allatae sunt significantes Caesarem ita ad consilia pacis promptum et propensum esse, si tuae serenitatis voluntas eadem

et mens esset, ut cum omnia ad te referret, ostenderet tamen intelligere se pacem his calamitosis temporibus afflictae christianitati maxime esse necessariam: haec litterarum significatio nos fidentiores fecit ad conveniendum cum rege ipso, ut cum saluti et tranquillitati rerum nostrarum consuleremus, his etiam auspiciis quae optamus et precamur solatia, reliquis viam et iter sanctissimae pacis ostenderemus. Nostrae autem novae conventionis capitula etsi ipsa facile aperteque demonstrant . . .[1]) Data v. Januarii mdxxv. Anno secundo.

37.

Eboracensi.

Dilecte fili noster etc. In omni eventu rerum credimus nos et Deo et debito nostro satisfacere si ab optima patris communis voluntate, et a conservandae reip. christianae cupiditate non discedimus. Ac possumus fortassis falli; sed tamen pro certo habemus et pene manifesto cernimus, tantos christianitati afflictae metus, tanta pericula impendere, ut nisi Dominus Deus sua ineffabili misericordia opem ferat, insignem aliquam ruinam rebus christianis proxima aestate paratam esse intelligamus. Quod nos quidem non destitimus praedicare et monere, haec penitus arma horrentes, quae in perniciem christianitatis assumpta, nec pertinaciae finem, nec damni et calamitatis faciunt modum. Sed tamen cum in officio boni pastoris constantissime perstitissemus, et ex Dei ac veri pontificis debito, et inopia etiam huius S.tae Sedis nos in eadem sententia confirmante: egimus hucusque precibus consiliisque ut pacis aliquando ineundae, et concordiae conciliandae ratio haberetur; sine qua pace christianitas ad extremum interitum esset iam perducta; nec ullae tamen aures, aut ullorum animi eorum qui in armis sunt, vocibus adhuc nostris veris et salutaribus paruerunt. Igitur omnibus tentatis viis, cum nichil per nos fuerit profectum, plusque aliquorum obstinatio quam nostra consilia valuerint, superioribus vero diebus Francorum rex viribus copiisque prepollens manum militum ad regnum Neapolitanum tentandum mittere instituisset, egimus tunc

[1]) Quae sequuntur sunt eadem ac in epistola sequenti mutatis mutandis, ut notatur in originali.

quidem multis allatis rationibus ut ab eo consilio desisteret: sed nunc cetera sibi cernens difficilia, ad eandem deliberationem reversus, sive impotentiam nostram agnoscens sive consilium nostrum ab armis omnino abstinendi intelligens, mittit ducem Albaniae ad idem regnum oppugnandum. Qui cum nunc iter faciens per urbes et ditionem nostram, sanctaeque romanae ecclesiae ac fidei nostrae commissorum transeat: non necessarium solum, verum etiam iustum esse censebamus, cum ab exercitu atque armis essemus nudi, pactis et conventionibus cum ipso rege initis, nosmetipsos statumque nostrum et nostrorum, tutum ab omni periculo et suspitione periculi conservare. In qua consultatione et cogitatione cum essemus, ecce litterae ven. fratris Nicolai archiepiscopi Capuani nuncii nostri, ad nos allatae sunt, quibus significat serenitatem Caesaris habito tum ad nos et nostrorum voluntatem respectu, sine quibus nihil esset acturus, ad consilia et studia pacis propensum esse, qua etiam spe et fiducia quod necessario facere cogebamur liberius fecimus, eaque conventionum capitula firmavimus quae facile aperteque demonstrant,[1]) quo nos animo, et qua in omnem partem modestia nil quaesiverimus aliud, nisi fidem et securitatem; tamen seorsum quoque circumspectioni tuae et isti clarissimo regi affirmamus, omnes curas, cogitatus, actionesque nostras nullum alium ad finem quam ad commune bonum intentas esse, cupimus quidem salvi ipsi quoque et incolumes esse: sed siquid praeterea incremento honoris et fortunarum nostrarum a Deo optimo maximo dandum esset, totum id libenter ad reipublicae bonum reijcimus; carereque eo nos, dum res christiana publica patiatur, facile animum inducimus, cuius etiam pro salute et fidei christianae commodo, casus omnes et pericula aequo animo essemus subituri. Hanc igitur conventionem et foedus concordiae nostrae, ut et necessarium et honestum, ut approbare et grate accipere serenitas ista velit, circumspectionem tuam magnopere in Domino hortamur, cum de nostro erga eam animo, ac singulari et eximia erga te voluntate, non solum in eis ipsis conventionem capitulis aperte testemur, sed simus summae amicitiae et coniunctionis nostrae fidem perpetuam praestituri. Vere enim et novimus et confitemur serenitatis

[1]) Sequentibus verbis usque in finem concludebatur etiam epistola superior.

eius studium ac benevolentiam erga nos, in hanc Sanctam Sedem observantiam, maxime nobis et gaudio semper et commodo esse: nec ullam tam asperam accidere tempestatem posse, quin tua atque illius summa prudentia, auctoritas, virtus, firmissimae anchorae nobis vicem, ad omnes fluctus sustinendos praebitura sit. Quem animum vestrum erga nos omni in re et tempore iam nobis cognitum, ut omnibus nostris studiis officiis, et singularis benevolentiae iudiciis et demereamur et retineamus, ut semper antehac fecimus, nihil sumus omissuri. Tua circumspectio ut ad procurandam et conficiendam pacem universalem nobis assistere esseque auxilio sua praestanti auctoritate et sapientia velit, illam in Domino plurimum obtestamur; super quibus omnibus misimus dilectum filium Jo. Casalium notarium et nuncium nostrum fidum nobis et probatum, qui te, quando quibusdam de causis cogebamur ven.m fratrem Nicolaum archiepiscopum Capuanum ad nos revocare, largius alloqueretur et de omnibus nostris consiliis actisque edoceret, cui serenitas tua fidem summam habebit. Datum Romae etc. die v. Januarii mdxxv. Anno secundo.

38.

Duci Venetiarum.

Dilecte fili etc. Inter curas nostras quas graves et multas pro salute christianae reipublicae sustinemus, illa nobis precipua iam inde a nostri pontificatus initio fuit, ut pacem inter principes christianos ubique fere maximis dissensionibus perturbatam conciliaremus, sine qua iudicabamus, id quod nunc quoque cernimus, christianitatem tantis periculis et detrimentis affectam salvam amplius esse non posse. Ad quam suadendam et procurandam illam personam sumpsius quam honoris nostri et officii debitum maxime postulabat ut aequum bonumque pontificem et verum patrem omnibus praeberemus: a qua etiam persona nunquam intendimus discedere. Sed cum ne sic quidem nostra ad conficiendam concordiam valuisset auctoritas, tum ob confidentiam eorum qui armis plus posse videbantur, tum ob aliorum nimis pertinacem in contendendo sententiam, substitimus aliquantum nos quoque Deum et eius misericordiam obtestantes ut ipse paci viam et aditum

aperire vellet. Cum autem superioribus diebus destinante rege christianissimo partem copiarum suarum ad regnum Neapolitanum impugnandum, eum ab illa mente et sententia argumentis et rationibus detraxissemus (nam armis uti neque consilium nostrum unquam fuit, nec etiam si voluissemus, propter incredibilem Sedis apostolicae inopiam erat facultas) speravimus posse nos rationem aliquam concordiae invenire ut gravioribus periculis occurreretur: ea autem spe ad nihilum redacta, cum idem christianissimus rex repetiisset consilium partis sui exercitus in regnum predictum mittendae, essentque armati per status s.tae ecclesiae ac nostros nobis inermibus iter facturi, vel potius iam facerent, visum est nobis non modo iustum verum etiam necessarium aliqua conventionum fide regem ipsum obstringere ut ne nobis neve Sedi apostolicae noceretur: in quo necesse fuit nos illi quoque vicissim amicitiam et benevolentiam promittere, fidemque dare nihil ei per nos ulla in re nocitum iri: quae promissio nostra nullius in damnum nec preiudicium tendens (non enim intendimus vel punctum discedere a pristinis amicitiis) etiam antea per nos nihilominus praestabatur: atque haec quidem conventio ita sincere et simpliciter est facta, ut ipsa per se facile ostendat nihil a nobis quaesitum esse nisi fidem quidem nobis et securitatem, christianae vero reipublicae commodum et utilitatem. Cum enim christianitate bellis armisque intestinis penitus attrita, hostis ferox Turca instet ad portas excidium omnibus et captivitatem minitans, cumque videatur supremam nobis omnibus cladem non minus posse quam velle inferre, nihil perniciosius cogitari potest quam ut crudelibus armis de infestis eius fidei inimicis nosmetipsos conficiamus, quo sit teterrimo et immanissimo hosti ad opprimendum christianum et abolendum nomen aditus paratior. Hoc nos grave et imminens periculum cum previdеamus, et iam prope presens formidemus, voluimus etiam viam et auspicium hoc nostro facto praebere paci, ut intelligant ii quibus christianitatis salus chara est et interitus molestus, christianis inter se et cedere et placabilius esse veram inesse laudem; adversus vero impios Turcas, qui nihil aliud quam extinctionem nostri nominis moliuntur, animos spiritusque viriles et istas bellandi certandique pertinacias suscipiendas esse. Quae nos ad nobilitatem tuam scribenda duximus, tum ut ipsa cum isto inclyto dominio nostri consilii causam

necessitatemque cognosceret, tum ut nobis quoque ad tractationem et confectionem pacis universalis omni sua ope et auctoritate assistere niteretur. Non est iam tempus amplius procrastinandi; ad supremum perventum est; aut enim Turcis sanguis dandus, aut haec funesta inter christianos arma ponenda: in quibus qui nimium obstinate volunt perseverare, parum intelligere videntur quid aut christianae reipublicae utile sit, aut ipsis honorificum. Sed quo istius inclyti dominii propius exposita est Turcarum periculis imperii ditio, hoc magis convenit nobilitatem tuam et ceteros qui auctoritate publica funguntur laborare et operam dare ut componendae pacis modus aliquis reperiatur. Noster summus et singularis amor in istam excelsam rempublicam nos cogit ut de vobis non minus pene curae quam de nobis ipsis et de Sede apostolica capiamus; vestra autem virtus et prudentia postulat ut agnitis et ante oculos positis quae et communiter christianitati et nobis proprie imminent periculis, agatis cum amicis et federatis vestris ut aliquando intuitu omnipotentis Dei et communis salutis, in qua eorum quoque salus continetur, causa velint deflectere ad bonum christianae reipublicae, conversi ad aequitatem, inutilibusque contentionibus omissis, et pacem stabilire domi et ad gloriosas illas ac praeclaras contentiones se convertere, quibus regnum illis opulentius et verior laus parata est. Nec nos destitimus hoc idem suadere serenissimo Caesari, cuius, ut ex litteris ven. fratris Nicolai archiepiscopi Capuani nuncii nostri cognovimus, mens et voluntas pro christianissimo animo ipsius et nobis benevola religione et prudentia, ad pacem inclinata est; et apud charissimum fil. regem Angliae institimus, quorum voluntates, Deo quae recta sunt inspirante, non diffidimus sanctis et salutaribus consiliis fore propitias. Interea ut nobilitas tua pro sua parte et istius inclyti dominii nomine omnia agat, et efficiat quae ad compositionem communis pacis accomodata sunt, non solum hortamur sed etiam in Dei omnipotentis nomine iniungimus et monemus; sicuti latius cum nobilitate tua dilectus filius Th. electus Feltrensis nuncius noster de his omnibus aget, cui fidem habebit. Datum Romae etc. die v. Januarii mdxxv. Anno secundo.[1]

[1]) Sanctissima huius praeclarae epistolae verba in malam partem versa, et optimam pontificis voluntatem columniatus est caesareus orator apud rempublicam Venetorum.

39.

Duci Sabaudiae.

Dilecte fili. Cum mitteremus dilectum filium Jo. Casalium notarium et nuncium nostrum ad serenissimum Angliae regem pacis, cui nos auspicium Deo concedente dedimus, tractandae et procurandae causa, atque is in itenere tuam nobilitatem allocuturus esset, voluimus eum tecum nonnulla nostro nomine communicare, quem etiam si ob aliam causam misissemus tum pro nostra coniunctione et singulari mutua benevolentia noluissemus te inconsulto transire nec ad te deferre testimonium nostrae perpetuae erga te voluntatis; nunc cum ob eam rem accedat quam tua nobilitas summa habet cordi, ipsa enim concordiae conciliandae et tractandae causam propriam prebuit, non dubitamus eum tanto magis tibi gratum nuncium acceptumque futurum. Hortamur igitur tuam nobilitatem in Domino ut eum benigne audire suoque iuvare consilio ac fidem illi in omnibus indubiam habere velit. Datum Romae die v. Januarii mdxxv. Anno secundo.

Similiter Nobili. *(sic)*

Hortamur igitur nobilitatem tuam, ut eum benigne audire, et illi ut etiam dilecto item filio Melchiori, nuncio istic nostro, fidem habere velit.

40.

Viceregi.

Dilecte fili, mittentes dilectum filium Jo. Casalium notarium nuncium nostrum in Angliam ad illum serenissimum regem pro rebus

Hieronymus Rorarius paulo post scribebat Romam ex urbe Inspruck: „Son venute lettere del secretario del orator cesareo è a Venetia ne le quali avisa che N. S. fa quello po et sa aciò Venetiani non faciano el debito suo et non mandino le sue gente a congiungerse con quele de la cesarea Maestà et scrive queste medemo parole „Venetiani dicono che non pono far quello desiderano verso la Ces. Maestà per la grande instantia li fa il Pappa, al quale per summa observantia et reverentia li hano, dubito il Papa obtenirà lo intento suo da loro et maxime ricercandoli che manchano de la sua fede, che quando li ricercasse in cosa bona non lo obteniria nè li haverian poi quella observantia.“ Sic venenosis actibus agebatur super animum Caroli.

Sedem apostolicam et totius christianitatis bonum concernentibus, mandavimus ut cum serenitate tua quaedam nostro nomine communicaret: hortamur eandem nobilitatem tuam ut eum audire benigne et eidem fidem indubitatam habere velit etc.[1])

41.

Reginae Angliae.[2])

Carissima etc. Misimus dilectum filium Jo. Casalium nuncium et notarium nostrum ad istum regem invictissimum coniugem tuum pro rebus christianam fidem et rempublicam Sedemque apostolicam concernentibus, cui mandavimus ut cum serenitate tua quaedam nostro nomine communicaret; hortamur s.tem tuam in Domino ut eum benigne audire fidemque tam illi quam dilecto item filio Melchiori nuncio istic nostro habere velit. Datum Romae die v. Januarii mdxxv. Anno secundo.

42.

Archiepiscopo Capuano.[3])

Ven.is frater. Cum pro componenda et procuranda inter principes christianos pace, quam his afflictis et calamitosis precipue temporibus christianae periclitanti reipublicae maxime necessariam esse intelligimus, et nos graves curas susceperimus et tu magnos labores, iamque nimium diu abfueris a nobis, qui tua fide prudentia integritate in maximis nostris rebus indigemus, postquam per nos omnia facta et mandata per te administrata sunt quae ad commune bonum christianitatis pertineant: quae si non ut volebamus confecta sunt, Dei iam providentiae et bonitati sunt commendanda; precipimus fraternitati tuae ut, acceptis his litteris nostris, ad nos quamprimum te referas, cum bona venia tamen et voluntate dil. in Christo filiae nobilis mulieris dominae Engolismensis christianissimi regis matris, cuius virtutem et prudentiam confidimus nobis semper adiumento futuram ut bene ceptum pacis

[1]) Simili modo scriptum est duci Mediolani et regi christianissimo.

[2]) Catherinae de Aragonia.

[3]) Nicolaus Schomberg, electus archiepiscopus anno 1520.

communis consilium ad optatum quandoque finem perducamus: iter autem ita peragas ut quoad commodo tuo fieri poterit, nobis tuum aspectum et alloquium cupientibus sistas te celeriter. Nos, etsi per litteras primum secretarii nostri deinde ven.[is] fratris Jo. Mathei episcopi Veronensis datarii item nostri instrui te iussimus quae esset nostra et quam effecta mens studiis pacis et christianissimi regis honori ac ipsius optimae et prudentissimae matris, ut iam et exponere potueris ubicumque acciderit et sis expositurus talem animum nostrum, tamen etiam nunc te volumus monitum esse, nos ita benevolo et propenso animo in hos esse, ut non a communis patris persona et a boni pontificis officio discedamus: sicut tu optime de nobis, cui natura nostra perspecta est, potes iudicare. Datum Romae die v. Januarii mdxxv. Anno secundo.

43.

Archiduci Austriae.

Dilecte fili. Optime nosse iam debuit nobilitas tua animum nostrum cupidissimum pacis, cuius ita presens necessitas est ut sine ea christianae res occasurae propediem appareant; cum autem videremus hunc Mediolani statum causam esse certaminis prope sempiterni, nullum finem armorum nullam spem pacis aliam intelligebamus quam si ad eos, quorum neque impetus sisti neque assiduae et annuae aggressiones possunt prohiberi, delatò hoc ducatu reliquum Italiae salvum atque incolume nobis item et adherentibus nostris fedus defensionis facientibus firmaretur: hoc nos consilio ad nobilitatem tuam dilectum filium P. Salamancham actorem hic tuum, virum prudentem, misimus ut is, declaratis tibi rebus nostris omnibus, et incredibilem debilitatem huius S.[tae] Sedis et desiderium mentis nostrae, iustum ut credimus et omnibus salutare, exponeret. Sed cum cesarei duces nullas aequas et temporibus congruentes pacis conditiones admitterent, destinavit superioribus diebus Francorum rex partem sui exercitus quo abundabat in regnum Neapolitanum mittere: cui nos eius consilio quoquo modo tunc obstitimus, non armis quae nec pastorale officium nec apostolicae Sedis impotentia nobis permittebat, sed argumentis et rationibus, quod aegre

ferebamus nos ipsos in magnum rerum nostrarum et huius S.tae Sedis periculum universam Italiam in grave discrimen vocari: nec destitimus monere hortari consulere dilecto filio nobili viro viceregi ut summam rerum potius sua prudentia quam pauca istic oppida, quadam ut multis videtur pertinacia, conservare vellet, neque nos et omnia in periculum adduceret. Sed cum parum consilia et monita nostra profuissent quod postulabatur a nobis arma ut caperemus, a quibus omnino abstinere et volumus et cogimur, rex idem Francorum repetito priore consilio partem copiarum in regnum dimittat, qua nobis inermibus per status nostros nostraeque fidei commissorum iter faciente, fuit nobis necesse aliqua fide obstringere regem nihil eum nostris rebus esse nociturum. in quo fuit necesse vicissim illi nos promittere nihil contra eum acturos; atque ad hanc pactionem hoc fidentius accessimus quod litteris ven.is fratris Nicolai archiepiscopi Capuani nuncii nostri cognovimus serenissimum fratrem tuum Cesarem a pacis et concordiae cum ipso rege consiliis non abhorrere de quo etiam optatum nuncium nobis attulit valere eum rectius;[1]) serenissimum autem item Angliae regem ab omni cura belli gerendi aut opis ferendae dissuasum esse alia ex parte intelleximus. Hac conventionum formula simplici et recta presens quidem periculum devitavimus; sed tamen hec in armis perseveratio magnae nobis et molestiae est et dolori; cernimus enim nos mutuis caedibus damnisque intentos Turcarum conatus reddere facillimos, quos, utinam nihil veri sentiamus, proxima aestate in generalem christianitatis perniciem timemus erupturos. Atque hec nova cum Gallorum rege conventio ita a nobis facta est ut non intelligamus ullo modo a superioribus nostris amicitiis et charissimis coniunctionibus discedere, idque ipsum aperte testemur et profiteamur, sicut etiam ex summa capitulorum in brevem sententiam contracta nobilitas tua optime intelliget. Sed, quod maxime ad eam fidem spemque pertinet, quam in nobilitate tua positam habemus, et ad eum singularem eximiumque amorem quem erga te incredibili modo suscepimus, cuperemus maximum in modum nobilitatem tuam se et suam auctoritatem interponere ut pacis fedus et ratio iniretur, relictis his rebus quas defendere perpetuo bello omnibus

[1]) Hic difficillima est manuscripti lectio.

annis non possumus et reservatis quas adhuc in potestate retinemus; cum si ad has conditiones veniendum esset, essemus nos et qui nobiscum essent, te praesertim adiuvante et favente, omnium salutis et dignitatis rationem quam liceret habituri. Haec cogitatio, ut nos recte iudicamus, tuae est nobilitatis tuae virtutis propria, non persequi infinitam spem plenam periculorum maximorum et statui tuo immanibus Turcis finitimo hac ratione consulere: quam si aliquando concordiam constitutam pace et consensione christianorum principum videre potuerimus, huiusque maximi ab omnipotente Deo beneficii fructum gustaverimus, credat nobis volumus nobilitas tua te non plura ab eo parente qui te genuit, quam a nobis, qui tibi vere in Deo amore patres sumus, amoris charitatis pietatis indicia fuisse expectaturum. Et scimus fore qui hanc inter nos nobis acceptissimam coniunctionem labefactare conabuntur suis sinistris sermonibus in deteriorem partem eam trahentes. Sed si quid in nobis fidei, si quid erga Deum reverentiae et pietatis est, promittimus nobilitati tuae et pollicemur nos nec cupiditatis propriae ullo impulsu, nec odio aut amore extraordinario in quemquam, sed sola ratione et desiderio pacis ac tranquillitatis, necessitate quoque et discrimine tot periculorum nos cogente, ad haec consilia descendisse; amorem vero tui ita servaturos ut omnis postera aetas rei utriusque, et sinceritatis nostrae et summae erga te benevolentiae fidem factura sit. Sicut cum nobilitate tua latius dilectus filius Hieronimus Rorarius camerarius noster nostro nomine aget, cui illa fidem habebit. Datum Romae die vi. Januarii mdxxv. Anno secundo.

44.

Episcopo Tridentino.

Dilecte fili etc. Litteras tuas quas attulit ad nos dilectus filius Petrus Salamancha plenas officii atque observantiae, ipse etiam suis verbis optime subsecutus est, multaque de tua erga nos et hanc S. Sedem rettulit voluntate, quae etsi non ignota nobis, semper enim talem erga nos animum in re omni ostendisti, tamen ipsa commemoratione grata extitere. Quamobrem nostrum est te hortari ut in eodem semper permaneas officio imprimisque pro pace elabores, cuius magna potestas

conficiendae apud istum praestantem et nobilem principem est. Quam pacem si non Deus nobis et rerum christianarum necessitas praebuerit, omnia cernimus ad extremum interitum proruitura: quod ille avertere dignetur cuius immensa bonitas et misericordia omnium nostrum peccatis est superior. Nos omnia officia nostra atque hoc praesertim pacis procurandae in memoria semper habituri sumus gratamque tibi in eo voluntatem nostram ostensuri. Datum Romae etc. die xvii. Januarii mdxxv. Pontificatus anno secundo.

45.

Archiduci Austriae.[1])

Dilecte fili. Cum ea quae de nobilitatis tuae summa virtute atque in rem christianam pacisque imprimis studium optima voluntate dil. fi. Petrus Salamancha abs te rediens nobis renunciavit extitere gratissima; tum vero cernimus, id quod nobis summae est iucunditatis, nobilitatem tuam in omni genere actionum sibi aequalem semper et constantem ad omnia, quae magno et sapiente principe digna sunt, esse paratam; verum nullae te causae impedissent quominus aperte et liquido pacem conficere potuisses, cuius componendae non mediocrem facultatem in tua nobilitate cernimus esse repositam. Sed ut nos id quod possumus et egimus antehac et sumus acturi, servatoque communis patris et boni pastoris officio pacem semper clamaturi, sic eandem nobilitatem tuam enixe in Domino hortamur, ut favere huic nostrae tantae sollicitudini, huic nostro dolori mederi pro tua parte velis, ut aliqua aliquando pax, omissis studiis et contentionibus tam pertinacibus, ad supremam cladem miserae christianitatis aut avertendam aut saltem ad aliquod spatium prorogandam, inveniri confici concludique possit: quod nos opus arbitramur et tua tanta virtute maxime dignum et Deo omnipotenti esse ac fore gratissimum. Datum Romae etc. die xvii. Januarii mdxxv. Anno secundo.

[1]) Ferdinandus archidux erat animo pronus in Clementem, sed nimis proprio thesaurario credens, qui erat „naturalmente nemico del clero", ut scribebat ex civitate Inspruck his diebus Hieronymus Rorarius, nonnihil malo suspicabatur de Pontifice, existimans eum Angliae regem distulisse a societate caesarea contra Gallos.

46.

Duci Sabaudiae.

Dilecte fili etc. Audivimus libentissime dilectum filium Aymonem[1]) nobilitatis tuae consiliarium et tuo nomine potissimum et nonnihil etiam suo. Nam cum tua nobis consilia plena prudentiae et in christianam rem pietatis et studii exponeret, tum ipse quoque sermone suo apte et apposite mandata tua persecutus est, planeque confirmavit in nobis eam quam iamdiu de te habemus virtutis et bonitatis opinionem; sed et nos vicissim cum illo large locuti sumus iussimusque ut nostram ad te rerum omnium deferret sententiam ac voluntatem, quam ex ipso nobilitas tua intelliget. Nos, etsi non necessarium esse existimamus, precurrit enim nobilitas tua suo studio et vigilantia expectationi nostrae, tamen eandem in Domino adhortamur ut nullum temporis punctum desistere a sanctis laboribus et actionibus tractandae suadendaeque pacis velit; cum eius meriti fructum, etiamsi, quod absit, iniquitate temporum is quem optamus exitus non sequatur, apud Deum amplissimum sit perceptura. In quo nos quoque opere ita laboramus ut nullam neque diurnae neque nocturnae quietis capiamus partem, quo quantum possumus adnitamur et contendamus, ut labenti christianae reipublicae, quae sine pace propediem interitura est, aliquod remedium et aliqua salutis spes possit afferri. Datum Romae etc. die xx. Januarii mdxxv. Anno secundo.

47.

Dilectis filiis nobilibus viris ad sacri Romani Imperii regimen per Caesaream Maiestatem electis.

Dilecti filii etc. Decet bonum pontificem, agere ea cupientem quae apud Deum grata hominibus accepta sint, si quid accidat novi operis aut consilii eius rationem exponere apud eos quorum dignitatem atque

[1]) Aymo de Publicis ex comitibus Plossasqui iuris utriusque doctor, erat consiliarius ducis Sabaudiae.

erga se voluntatem praecipuam et charam habeat, quosque intelligat prudentia ac bonitate et ad veritatem percipiendam idoneos et recti atque aequi esse fautores. Cum igitur per hos dies evenerit ut nos qui carissimo in Christo filio nostro Carolo electo imperatori semper augusto ita coniuncti amore amicitia omnium pene consiliorum societate sumus, ut nostram in illum inflammatam benevolentiam sola mors extinctura esse videatur; etiam cum carissimo in Christo filio nostro Francisco rege Francorum christianissimo coniunctionem fecerimus; cuius tota vis atque sententia in eo posita est ut neuter nostrum alteri iniuriam damnumve inferat aut ulla in re noceat: erunt fortasse aliqui qui, cum inimicitiae et bellum inter Caesarem et regem predictum sint, in dubitationem veniant tanquam mutationem consiliorum et voluntatis in nobis suspicantes, quam suspicionem, si qua forte oborta sit, volumus apud vos diluere, si vere et recte et cum Deo id facere possumus, nobilitates et devotiones vestras hortantes, ut animos aequos et facilesprebeant veritati. Nos enim, cum ab initio pontificatus nostri, intelligentes quam personam nobis Deus imposuisset et quibus temporibus perdificilibus atque turbatis nos ad regendam sanctam suam Ecclesiam vocasset, ea agere omnia quae ipsius divinae maiestati grata esse possent instituissemus, deposuimus prorsus ex animo veteres omnes inimicitias odiaque pristina et rixas et armorum studium penitus abiecimus, servatisque federibus, illius benevolentiae qua ipsius Caesaris toti sumus, bellum tamen atque arma noluimus amplius apud nos vigere: sed aequi patris et boni pastoris, sicut vicario Christi conveniebat, ipsis etiam Caesare et serenissimo rege Angliae approbantibus, persona suscepta, omne nostrum studium, omnem cohortationem, vigilantiam auctoritatem ad suadendam obsecrandam et omnibus modis conciliandam pacem contulimus, quam etiam sine tali persona media et aequali non poteramus tractare, in qua tractatione neque impendio ulli pepercimus neque labori. Sed cum nostra vox et hortatio nihil admodum proficere potuisset, bellumque primo in Galliam translatum deinde celerius quam putaremus in Italiam revocatum fuisset, Gallique Mediolano capta, Papia obsessa, exercitu prepollentes partem copiarum suarum ad tentandum regnum Neapolitanum destinare decrevissent: mittimus nunc quantum obstiterimus, non armis nos quidem, a quibus

decretum est abstinere, sed argumentis et rationibus,[1]) mittimus quanto conatu proposuerimus pacem, quot conditiones et modos excogitaverimus ut aliqua ratio concordiae iniretur, in quo non fuit nobis qui vellet obtemperare: certe in magnum timorem conversi fuimus ne, si ea Gallorum manus per nostros et S. R. Ecclesiae status iter haberet, cum essemus et animo ac voluntate et copiis militaribus inermes, aliquid gravioris damni ac periculi nobis et rebus nostris inferret: presertim cum esset nobis dubitandum ne Francorum rex, veterum inimicitiarum quas nobiscum habuerat memor, illam ulciscendi arriperet occasionem. In eo casu pugnavimus nos quidem rationibus et argumentis ne manus illa in regnum Neapolitanum mitteretur, et omni sollicitudine apud cesareos duces institimus ut cedere tempori et dare se faciliores ad concordiam vellent, per quam et regnum ipsum conservare possent et nos in tam grave discrimen non ponerent; sed cum apud illos minus valuisset pacis cogitatio, rex vero ipse penitus deliberasset partem exercitus in regnum mittere, affirmaretque velle se experiri utrum nos verbo et simulatione an re vera paternam mentem erga principes christianos aequalem gereremus, quae si in nobis esset non dubitare se aiebat quin idem illi quod adversariis suis transitum videlicet et annonam concederemus; in eo casu ancipiti et periculoso, de quo multo ante a nobis fuerat trepidatum, aut arma nobis capienda fuerant aut illorum transeuntium standum licentiae atque arbitrio, aut fides et securitas a rege postulanda. Arma capere nec volebamus nec iam poteramus; primum quia arma vicario Christi congrua non sunt, deinde quia opes Sedis apostolicae attritae bellum alere et sustinere non valebant; tertio quia luce clarius cernebamus si armorum tantummodo nomen increpuissemus omnem vim belli adversus nos fore

[1]) Et vere prothonotarius Ghiberti scripserat iam die 25. Nov. anni 1524: „Circa il ritardare il Christianissimo da questa diversione, si pensa fare, sua Maestà non ne ha voluto intendere niente“ — *Canestrini*: Negociae diplomat. ecc. vol. II. p. 798. Paris 1861. Et mense sequenti quidam consiliarius pontificis scribebat: „Questa passata dei Francesi dà fastidio grande al Papa e massima perchè ragionando dei provvedimenti da farsi per rimediare alle cose sue e dei Fiorentini e del reame, giudico che gli sia necessario, non volendo rovinare se e noi, di risolversi . . . si acconcerà . . . senza una minima offensione degli imperiali“. Ibid. 798.

conversam: ergo armorum capiendorum ratio nulla erat: stare autem transeuntium arbitrio et a prudentia alienum existebat et periculi metum gravem afferebat: relinquebatur itaque unum illud tertium atque extremum ut fidem a rege peteremus nobis nulla in re nocitum iri, in quo necesse ipsi quoque habuimus vicissim illi promittere nos nullo loco illius res offensuros. Haec est conventio, haec coniunctio inter nos facta quam periculum suasit necessitas expressit boni pontificis persona non recusavit; in qua ipsa conventione tamen aperte et clare testamur nos ab amore et amicitia Caesaris nunquam discessuros: quod et servabimus immotum: semperque illam habituri sumus charissimam et acceptissimam coniunctionem quam illius eminentissima in omni genere probitatis virtus et innumerabilia inter nos officia copulaverunt. Aliam autem ullam privatam nostram utilitatem neque quaesivimus nova hac conventione nec ad alium finem respeximus nisi et publici boni, quia omnis ad reipublicae christianae commodum concordia directa est, et securitatis dumtaxat nostrae, cuius nostri animi sinceri atque recti fidem apud omnes et veritas ipsa et tempus est prebiturum.[1]) Quae res cum ita se habeat, denuo hortamur nobilitates et devotiones vestras in Domino, ac pro vestra bonitate et prudentia requirimus ut, hac cognita causa et vera ratione percepta, ita statuere velitis cum animis vestris captum a nobis fuisse consilium nec iniustum et necessarium, nosque et boni pastoris personae et tranquillitati status ecclesiastici illo modo consuluisse: de nostra vero constanti et perpetua erga ser.mum Caesarem et vos ergaque omnia quibus et illius

[1]) Sequentia verba sic deinde immutata sunt in litteris datis singulis principibus:

„Quae res cum ita se habeat, hortamur nobilitatem tuam in Domino et omni animi studio requirimus, ut huius nostri consilii veram causam et necessitatem agnoscens, nos in omni ratione praeterita presertim summi erga ser.mum Caesarem amoris et firmae in boni pontificis dignitate conservanda voluntatis existimes esse constantes: nam cum a neutralitatis et patris communis persona nullo modo discessimus nec sumus discessuri, tum vero eam fidem spem opinionem quam in ipso Caesare habemus christianae reipublicae a tot calamitatibus periculis cladibus quibus oppressa est atque afflicta liberandae prosequimur et continuamus: quae spes tota in pacis dono consistit, quam nisi omnipotens Deus pro sua inenarrabili misericordia nobis concesserit non videmus quomodo nec a domesticis dissentionibus, nec a Turcarum horribili et imminenti impetu possimus salvi esse. Sed haec et nobilitas tua pro sua prudentia optime cognoscit et pro sua in Deum pietate in eodem

amplitudo ac dignitas et vestra ornamenta contineantur voluntate, ita velitis existimare et prorsus habere persuasum, nos illi et vobis nullo unquam loco aut tempore defuturos sed in omni summi amoris affectu ita acturos ut apud cunctos appareat spem quam et restituendae et ab immanibus Turcis defendendae christianae reipublicae habemus, in illius maxime consiliis auctoritate pietate sapientia a nobis esse repositam: in quo quae ad illius amplissimam dignitatem et gloriam opportuna erunt sumus incredibili studio et diligentia curaturi. Datum Romae etc. xxi. Januarii mdxxv. Anno secundo.

48.

Caesari.

Carissime etc. Magnum incommodum fuit christianae reipublicae ac nobis in tanta disiunctione locorum quibus separati sumus, cum raro et perdifficile commearent nuncii et litterae; nam cum terra infestum et obstructum iter esset, maris autem vias hiemis asperitas praecluderet, factum est non mediocri nostro cum dolore ut et nostra consilia ad te non perferrentur, et nos de tua voluntate nequiremus fieri certiores: ita cum quotidiani casus et pericula diuturnam moram

nobiscum pacis desiderio versatur. Quam ut auctoritatem quoque et operam suam, ubi erit datum, velit pro pace interponere vehementer in Domino requirimus et obtestamur:

Anno secundo mdxxv. Januarii xxi.

Regimini imperiali super conventione inter s.mum D. N. et Regem Christianissimum.

Simile

Cardinali Maguntino
Joachino Marchioni Brandeburgensi
Ludovico comiti palatino
Ricardo archiepiscopo Treverensi
Hermanno archiepiscopo Coloniensi
Ducibus Bavariae
Ducibus Brusvicensibus
Casimiro
Lantgravio Assiae

Mutatis mutandis et principio et fine hic coniuncto

Duci Georgio Saxoniae
Archiducissae Austriae.

non ferrent, nobisque in hac irruptione Gallorum cupientibus non armis sed pacis et concordiae consilio consulere communi saluti et tranquillitati, per utriusque partis duriciem licitum non fuisset, necessitate subacti sumus ut nostris privatim rebus fidem et securitatem a christianissimo rege quaeremus: cum is, nobis quidem invite et aegre ferentibus, in regnum tuum Neapolitanum tentandum partem exercitus sui missurus, nostros et S. R. Ecclesiae status tumultu et armis facile turbare posset, in quo vicissim ut eandem illi fidem praeberemus fuit a nobis petitum, quod et fecimus: cum vel ad arma nisi id faceremus eundum nobis esset, vel inermibus et imparatis alieno arbitrio standum, quorum utrum minus nobis conduceret, difficile iudicatu erat: si enim ad arma nos contulissemus, cum et patris erga omnes personam aequalem profiteremur, et egestate atque omni rei pecuniariae inopia pressi essemus: nec officio nostro illa res conveniebat, nec tempori et paupertati, facileque ad gerendum bellum parum instructi omnem vim belli adversus nos convertissemus: si vero licentiae et arbitrio militaris manus transeuntis stetissemus, graviter erat extimescendum ne veterum inimicitiarum memor Gallus omnia nobis tumultu et terroribus subverteret; confugimus igitur ad tertium et ultimum consilium, ut fide eum devinciremus nihil illum nobis nociturum esse, quod mutuam nostram fidem postulabat, nihil illi a nobis offensionis illatum fore, quae in hoc tota nostra conventionis vis ac sententia facta est, testantibus et clare profitentibus nobis nos a serenitatis tuae et car.^mi in Christo filii nostri Angliae regis amicitia et societate nunquam discessuros. Sed hanc imminentem rebus Italiae procellam iam tum ab eo tempore prospicere nos cepimus, cum duces tui, dissuadentibus quidem nobis, transalpis bellum traduxerunt; nolumus commemorare quae secuta sunt; certe nos tuarum rerum curiosi eas conditiones sedandi belli ferebamus quas si tui admisissent non tanto in periculo rerum summa nunc versaretur: quasque non dubitamus serenitati tuae si praesenti potuissemus exponere fuisse placituras. Sed de his et alias ad te scripsimus et per nuncios nostros aut nostrorum cum serenitate tua agi mandavimus; quamquam doleamus maiorem in modum scripta cogitataque nostra ad te in tempore non fuisse allata. Haec nostra cum rege conventio accepta est fortassis a quibusdam tuorum in alienam partem

et ad te sinisterius delata, qui necessitatem consilii nostri non animadvertebant et maius aliquid subesse suspicabantur aut quod eorum cupiditati non consentiebat in suspitionem ponere intendebant, qui tamen postea videntes nos immobiles in pristina neutralitatis sententia, quam etiam serenitati tuae usque ab initio probatam intelleximus, et in boni pastoris officio esse fixos, tandem si aequi esse volunt, agnoscere debent nos vi temporum non voluntate id quod fecimus effecisse. Quo etiam tempore ser.tis tuae litterae serius ad nos allatae sunt quibus nos hortaris ut in hoc Gallorum adventu nolimus communi saluti et libertati Italiae deesse, teque item facturum polliceris remittisque nos ad ea quae tui oratores nobis verbis tuis expondituri essent. Qui rebus iam in hoc statu constitutis, postulata nobis tuo nomine in scriptis ediderunt: per quae commemoratis multis et magnis serenitatis tuae erga nos et hanc S. Sedem communemque libertatem Italiae officiis a nobis petierunt manere in pristina sententia suscipiendarum partium adversus Gallos et idem agere in pontificatu quod in minoribus non solum egimus sed felicis etiam recordationis Adriano pontifici ut ageret persuasimus, cum honoris gradusque mutatio apud probum virum valere non debeat ad mutationem voluntatis ac sententiae: quod si tunc nobis non placuit in alio pontifice neutralitas, neque eam debere nunc placere in nobis: ad extremum si arma cum illis una adversus Gallos caperemus, omnia nos a serenitatis tuae liberalitate et nobis et nostris premia ut expectaremus ostenderunt, pollicitique sunt. His petitionibus etsi nos quoque hic respondimus, quae responsa ad nostros istic nuncios misimus cum ser.te tua communicanda, tamen breviter eadem his litteris voluimus attingere: primum quod ad commemorationem laudum officiorumque tuorum attinet, nihil est nobis auditu iucundius, neque quisquam est qui tuae ser.tis virtutes ornamenta merita et saepius et amantius quam nos soleat praedicare. Deinde quod neutram personam patri communi et bono pontifici convenientem iam ab initio pontificatus sumpserimus, ab armisque decreverimus abstinere, datum id a nobis Deo et debito et huius S.tae Sedis ceterorumque nostrorum inopiae atque angustiis, et quod nisi tali persona suscepta non poteramus ad tractationem alicuius concordiae nos ipsos interponere, per quam unam concordiam propinquo exitio et supremae cladi totius

christianitatis quae ab immani Turca imminet potest esse consultum. Neque ideo mutationem ullam in nobis esse sententiae ac voluntatis, quando ad eundem finem respiciamus nunc ad quem cum in minoribus essemus etiam respeximus; cum enim nihil spectaremus tunc nisi pacem et tranquillitatem Italiae, quam adventus Gallorum turbaturus erat, speravimus, vocato in partes Adriano pontifice et tota Italia federata, Gallos non solum transitu sed voluntate etiam et spe transeundi averti posse, cum tanta illis adversariorum coniunctio et tantum nomen opponeretur; qua spe posteaquam frustrati fuimus, intelleximusque ipso experimento totiens edocti, hac via non pacem constitui sed bellum prorogari, ad alia consilia deflexímus, spectantes eundem quidem finem, pacem videlicet, sed existimantes melius eam pactis et conditionibus quam armis quaeri posse: quod nostrum consilium esse salutarius et magis commodum res ipsa docuit iam bona ex parte et doctura est. Tertium autem ad caput, in quo promissiones nobis et premia offeruntur, agimus quidem serenitati tuae debitas gratias quod semper animum verissimum amici nobis exhibueris, sed neque premia ulla nos movent, et unum illud maximum premium habituri sumus si quid ad christianae reipublicae commodum et salutem poterimus efficere, cuius rei spes nostra tota in ser.tis tuae virtute pietate auctoritateque posita est. Atque hoc signum integrae mentis nostrae dare omnibus possumus, quod cum ab utraque parte ampla et magna nobis premia offerantur, longeque ampliora quam gradus nostrae familiae ferat, non illa tamen ullam in partem nos movent: sed in eo uno insistimus, ut Deum ante oculos et publicum bonum habeamus, sitque illud nobis privatim premium quod commodum est et utile publice: patrisque et pastoris aequi personam teneamus: in qua gerenda et inter tantos fluctus sustinenda non debemus diffidere Deum omnipotentem conscium sibi dediti animi nostri portum salutis atque pacis nobis quandoque ostensurum. Atque haec quantum ad publicam pontificis pertinet personam; privatim vero quod inter nos summus amor et perpetua mentium animorumque coniunctio nobis suadet, serenitati tuae et tuis omnem benevolentiam studium benignitatem liberalitatemque huius S.tae Sedis et nostram et offerimus libentissimo animo et exhibere non modo parati sed avidi etiam sumus, sicut de his omnibus et quibusdam

aliis latius tecum dil. filius Baldassar Castilioneus nuncius noster aut eo absente Jo. Corsius orator Florentinus nostro nomine aget. Quorum alterutri ser.tas tua fidem habebit. Datum Romae etc. xxx. Januarii mdxxv. Anno secundo.

49.

G. Episcopo Oxoniensi.

Venerabilis frater. Si non magna nostra in fraternitate tua esset fides, et si de te non eam opinionem haberemus quam virtus et prudentia tua nobis bene nota postulat, non tantam curam gereremus, ut quae agimus, sive ea ex iusto et proprio iudicio sive ex necessitate faciamus, fraternitati tuae essent cognita et probata. Itaque cum superioribus diebus, si esset nobis in communi patris omnium persona et in boni pontificis officio persistendum ac non arma sumenda et omnes status S. R. E. et nostri in apertum periculum ponendi, necessario ad conventiones cum christianissimo Francorum rege veniendum fuisset; quarum tota vis ac sententia nihil aliud fuit nisi ut fidem acciperemus et daremus neutrum nostrum alteri nociturum; esse audimus et compertum est nobis multa dicta et scripta ad ser.mum Caesarem fuisse, per quae nostrum hoc factum et consilium in peiorem partem detorquetur; quod quidem a nobis et nostra in eum et eius rerum amplitudinem mente penitus alienum est: quod et in ipso primo conventionum harum exordio clare testati sumus, nos a Caesaris et regis Angliae amicitia ac benevolentia nullo modo discessuros.[1]) Nunc quoniam magnopere laboramus et animi nostri integritas cuiusmodi est ita ab omnibus ac praesertim ab ipso ser.mo Caesare accipiatur, fraternitatem tuam hortamur in domino et pro nostra erga eam paterna fide ac benevolentia requirimus ut diligenter nuncii istic nostri, aut oratoris, si ille nondum advenerit, Florentinorum, sermonem audiens causasque quibus non inducti sed coacti sumus intelligens, suam illam dexteri-

[1]) Et vere legitur in tractatu „In primis quod Sanctitas sua propter hanc amicitiam non intelligit recedere ab amore pristino et paterna dilectione erga serenissimos principes Caesarem et Angliae regem, quorum benevolentiam semper integram conservare intendit“ *Desjardins* II. 813.

tatem testimonium auctoritatem apud Caesarem interponat, quo ipse quoque necessarii nostri consilii rationem in optimam accipiat partem, nosque eos esse qui fuimus intelligat; cuius nostrae mentis sincerae et rectae fidem, etsi dies ipsa et futurae actiones nostrae indubiam facient, tamen peroptatum nobis est tua imprimis opera hoc nos consequi ut Caesar nihil existimet in nobis amoris erga se et benevolentiae esse diminutum. Hanc rem cum omnium rerum maxime nobis cordi esse tua fraternitas intelligere possit, non utemur ad eam monendam verbis pluribus, satis enim certi sumus, illam toto animi sui studio acturum quod nobis gratum esse et aptum intelligat, si modo id recte et iuste se facere posse cognoverit, quod ut sentiat et existimet nos illi sumus in boni pontificis fide auctores. Sed haec omnia latius dil. fi. Baldassar Castilioneus notarius et nuncius noster aut eo absente Jo. Cursius Florentinorum orator tecum nostro nomine aget, quibus fraternitas tua fidem habebit: Datum Romae etc. ultima Januarii mdxxv. Anno secundo.

50.

Nuncio in Hispaniis.[1])

Dilecte fili: Cum in eis litteris quas ad ser.mum Caesarem mittimus et quarum exemplo quod ad te destinamus cum ipsius serenitate negociaturus es, illa verba ponamus, ubi dicimus, eas quas cum rege christianissimo fecimus conventiones, ab aliquibus hic pro serenitate sua agentium *(sic)* in alienam partem acceptas et sinisterius ad eum fuisse delatas: in quibus quidem verbis et aliis sequentibus paucis conquerimur de quorumdam maligna actionum nostrarum interpretatione, qui quod necessitate fecimus, et iusto ut quidem arbitramur consilio, ipsi et in peiorem partem detorquere et ceteris in suspitionem ponere conati sunt: nos neminem speciatim voluimus nominare: ne in dolore animi nostri liberius expromendo a gravitate discederemus. Sed cum

[1]) Balthasar Castilionius qui nuncius ad imperatorem Carolum regem Hispaniae missus e Roma profectus iam die quinta Octobris anni superioris, nondum Matritum pervenerat.

etiam nolimus per ea verba notari quenquam qui sit innocens, et ne qui laudem potius meritus est, accusationem incurrat, plane tibi significamus ab hac causa longe remotum esse dil. fi. nobilem virum Aloisium Suessae ducem caesareae ser.[tis] apud nos oratorem: qui in hoc toto rerum progressu, multa cum dexteritate et prudentia et nobis semper suasit, quae ad fidem et officium suum ratus est pertinere, et cum intelligeret optimam mentem nostram erga Caesarem, necessitatemque temporum, quae nos ad procurandam nostrarum rerum salutem impelleret, cessit quidem invitus necessitati, animi autem nostri integritatem et pristinae in Caesarem voluntatis constantiam, sicut ea est et fuit semper, talem ipse agnovit: cuius nos ingenuitatem et temperantiam animi, his duris et periculosis temporibus confitemur nobis fuisse solatio. Quae iccirco devotioni tuae scripsimus ut possis et debeas, ubi fuerit opus, dare veritatis et huius de eo iudicii nostri firmum fideleque testimonium, quod idem de dilecto item filio Jo. Bartholomeo de Gattinaria volumus intelligi. Datum Romae die ii. Februarii mdxxv. Anno secundo.

51.

Cardinali Moguntino.

Dilecte fili noster etc. Superioribus diebus cum de tumultu civitatis Magdeburgensis ac de impiorum Lutheranam pestem in eo populo spargentium factione, ad nos esset allatum, non mediocrem in animo nostro concepimus dolorem: nam et pro cura atque custodia nostri dilecti gregis, quem a truculenta luporum rabie incolumem servare non poteramus admodum mesti sollicitique fuimus, et tuae quoque dignitati ac tuo honori illo modo detrahi, pro nostra in te paterna benevolentia aegre tulimus, videbamus etiam exemplum in ea re toti Germaniae ac principibus, nobilibusque praesertim, perniciosum proferri, si imperitae plebes illa ratione subducere se a superiorum obedientia, et ordinem omnem disciplinamque vitae turbare et confundere conarentur; quae cum omnia gravia nobis et dura videbantur, tum nihil durius quam quod cum tanto animarum fidelium detrimento, ista nobis charissima et dilectissima natio invictae Germaniae tantis in-

commodis et calamitatibus erat vexata. Itaque tunc paterno affectu studioque moti: mandavimus dilecto filio nostro Laurentio tit. sanctae Anastasiae S. R. E. presbytero cardinali nostro et Sedis apostolicae de latere legato, ut nihil curae laborisque omitteret pro reducendis ad verum Dei cultum sanctamque et sinceram fidem Christi iis qui aberrassent, ac circumspectioni quoque tuae omnem et nostrae auctoritatis et auxilii consiliique sui opem offerret atque praestaret; quod et illum fecisse omni cum diligentia scimus. Cum autem nunc ab eodem cardinali legato nostro intellexerimus cir.nem tuam ut bonum et religiosum sacerdotem, ac magnanimum et severum principem decet, quorundam amicorum et necessariorum principum auxilio speque suffultam, instituisse experiri, ut illa pravo paucorum consilio a fide et Deo et episcopo suo debita, aversa, ad saniorem mentem reducatur civitas: ac si paternae hortationes non valuerint, honestam illi vim etiam et iustam adhibere, profecto laetati non parum hoc nuncio sumus, tuamque in eo plurimum et virtutem collaudamus et prudentiam; cir.nem tuam in domino enixe hortantes, ut capere et exequi huiusmodi consilia digna tuo genere et illa qua es praeditus dignitate non postponas, operamque omnem dare, ut quae tibi commissae animae in interitum abeunt errore suo sempiternum, tua vigilantia et severitate ad lucem vitamque revocentur; nollemus vim, si aliter fieri posset: sed si non potest, omnis vis quae salutem affert iis quibus adhibita est, omni est indulgentia et remissione sanctior; quamobrem nos quidem ut magno animo ad id opus ingrediare tibi auctores sumus, ac ut omnes vias experiare quae prodesse possint, humanitatis quidem primum et mansuetudinis, ac si illae non profecerint, etiam severitatis, quando utrumque omnino est charitas. Ac nos quidem ad diversos principes Germaniae amicos tuos et necessarios scribimus; hortantes eos et commonentes, ut tibi adesse firmo auxilio communemque causam tueri tecum velint; suamque virtutem et opem omnipotenti Deo et saluti patriae suae in illa excindenda Lutherana peste ferre ac praestare: quod facturos certo credimus; agitur enim nobilitatis et potestatis et salutis omnium principum causa communis, quae etiam cum honore et causa summi Dei coniuncta est: quos etiam cuperemus ad simile foedus omnes, ac in Ratisponensi conventu inter illos clarissimos

proceres factum fuit cum cir.ne tua convenire; ut esset omnium incolumitas communi tutela et defensione tutior. Nos si circumspectio tua rem bene cogitatam et ceptam insistere atque exequi perseveraverit, non sumus illi neque auctoritatis nostrae brachio, neque omnibus auxiliis quae praestari a nobis poterunt defuturi; idque tibi pollicemur ac etiam ut perseveres et pergas iniungimus. Qua etiam de re, ad nostros in Hispania nuncios scripsimus ut apud ser.mum Caesarem omnem operam quo ipsius tibi quoque auxilio adsit serenitas adhibeant et interponant, sicut de his tecum supradictus car.lis legatus noster latius aget cuius litteris fidem habebis. Datum Romae die vii. Februarii mdxxv. Anno secundo.

52.

Principi Germano, et Principibus etc.

Dilecti filii etc. Etsi sumus certi nobilitates vestras non latere quantam cladem ac perniciem afferat isti nobilissimae omnium provinciarum Germaniae Lutheri impia et abominabilis factio, quae et fidem, cultumque summi Dei more perpetuo tot saeculorum adscitum et comprobatum, et omnem potestatem, disciplinam, ordinemque confundit, idque molitur, ut legibus moribusque perturbatis, et summa imis misceantur, et ima summis dominentur; tamen visum est nobis de virtute vestra optime iudicantibus per has nostras litteras non tam docere vos quam admonere, ut per honorem illius omnipotentis Dei, qui vobis tantae dignitatis, et sui cognitionis donator extitit, perque eam fidem, qua illi servire et obedire astricti estis, velitis vestris similibus claris, bonisque principibus vobiscum adiunctis opem pro vestra parte ferre, ut a patria, et natione vestra, in qua semper prae coeteris christiana religio floruit, talis pestis, et calamitas aliquando exterminetur, ac tot pereuntium animarum saluti, et legum, bonorum morum, superiorum potestatum quae per hanc turbulentam heresim in periculum adductae sunt, incolumitati consulatur, cum facile iam omnibus appareat, nisi presens remedium fuerit adhibitum, cuncta in confusionem et ruinam celeriter esse abitura. Ac nos qui in vobis multum spei et in vestra prestanti virtute ponimus, ut aperiamus sententiam

desideriumque nostrum vellemus id primum, quod et facile est, et aliorum iam exemplo demonstratum, ut qualis Ratisponae per illos clarissimos, et religiosissimos proceres concordia inita, et foedus factum fuit, quo causam Christi, et patrii honoris communi ope et auxilio defendendam susceperunt, talis fieret inter coeteros, qui potestate principum praediti, et mentem habent, et voluntatem ad honesta et sancta opera paratam, in quorum numero, cum vos non mediocri auctoritate polleatis, hortamur nobilitates vestras in domino, et per viscera misericordiae Dei nostri toto animi studio requirimus, ut convenire cum caeteris, quos vobiscum iudicaveritis fore consentientes, operamque dare, hortari, monere, instare denique velitis ut foedere inter vos facto, popularibus motibus, et periculosae imperitorum licentiae communibus studiis resistatur, quandoquidem ad vulgi mentes seditionibus adversus principes suos concitandas, haec plurimum sumministret ignis, et incendii ad omnium perniciem et detrimentum exorta Lutherana factio. Hoc nos consulimus nob.bus vestris primum ob honorem Dei, animarumque illi desponsarum salutem, quarum interitum magno cum dolore quotidie sentimus. Deinde quod istius nobis dilectissimae nationis quies, et pax nobis est optatissima. Postremo quia cum vestras nob.tes paterna benevolentia amplectamur, sive in hoc opere est gloria, sive etiam utilitas, utriusque cupimus vestras nob.tes imprimis esse participes. Accidit autem, quasi occasionem praebente Deo, ut cum dilectus filius noster Al. car.lis Moguntinus etc. civitatem Magdeburgensem quorundam scelere et impietate magno cum tumultu his preteritis diebus ad heresim prolapsam, pro boni pastoris, et dignissimi cardinalis debito ad verae pietatis et obedientiae pristinae officium instituerit revocare, videatur id facile effecturus, si vestra et caeterorum recte sentientium auxilia illi non defuerint, in qua re nos etiam sic bene coeptam eam viderimus intendimus ope nostra intervenire. Sed ut id prompte et animose fiat, hortamur denuo no.tes vestras, ut interponere partes suas velint. Nollemus vim nos quidem, sed ut mansuetudinis et humanitatis potius via proficeretur. Sed si id non potest, omnis iusta vis est iniusta permissione et negligentia sanctior; ac dummodo salus inferatur, sive per vim, sive per voluntatem, utrumque et est et appellatur charitas.

„Ac intelligimus nos quidem ad hanc rem peragendam magna abs te auxilia eidem car.li fuisse oblata. Quo certe nuncio plurimum laetati sumus, recognovimus enim in hac declaratione tuae voluntatis, omnem illam virtutem, quam in te semper iudicavimus maximum, excitatam fuisse amore divinae religionis, et singularis tuae in patriam pietatis, cui etiam fraterna inter vos necessitudo fomentum praestitit".[1]) Sed ut haec melius, certiusque gerantur ac impiorum consilia et factiones terrore nominis vestri discutiantur, foedus illud et similis Ratisponensi concordia plurimum profecto est profutura, quam ut tractare, suadere, promovereque studeatis, magnopere nobilitates vestras in domino obtestamur, pro nostra etiam parte promittentes nos vobiscum et cum aliis, qui bene sentiendo convenerint, consilia, et auxilia nostra pro Germaniae salute vestraque dignitate communicaturos; sicut latius vobiscum dilectus filius Laur. Campegius cardinalis etc. nostro nomine coram, aut per litteras aget, cui omnem fidem nobilitates vestrae adhibebunt. Datum Romae etc. die vii. Februarii mdxxv. Anno secundo.

Similia brevia multa fient, mutatis paucis quibusdam.

53.

Grysonibus.

Dilecti filii. Vester animus constans et propensa semper in S. Sedem apostolicam voluntas eam quam diu antea vobis tribuebamus etiam postquam ad pontificatum Deo vocante venimus auxit benevolentiam: nam et multum in vestra virtute spei ac subsidii his periculosis temporibus Sedi apostolicae ponimus (et scimus vos in hanc S.tam Sedem atque nos amore et observantia esse propensos)[2]) et scimus vos cum preclaro illo titulo ecclesiasticae libertatis defensorum opera paria et facta exhibituros. Multis igitur nos de causis quae praecipue ad salutem nominis Helvetici et communem inter eos concordiam procuran-

[1]) Haec verba addita sunt tantum in litteris missis quatuor illis qui promiserunt auxilium.

[2]) Verba uncis inclusa addita sunt pro hominibus S.ti Galli.

dam quam pravae huius hereseos venenum disturbavit pertinent, cum mitteremus ven. fratrem E. episcopum Verulanum nuncium nostrum ad Helvetios tamquam hominem summe peritum et amantem illius nationis, quique etiam nobis ingenio, fide, integritate, prudentia mirifice probatus est, ut is mandata apud eos nostra exequeretur ei specialiter iniunximus ut cum devotionibus vestris, quibus est ipse deditissimus, etiam arctius nonnulla tractaret ad commodum vestrum atque honorem una cum nostra et huius S.tae Sedis dignitate spectantia. Quem ut suscipiatis amanter utque benigne audiatis, in Domino vos hortamur, atque ut illi vel nobis potius auxilio adesse velitis quo mala illa radice novae impietatis ex illa gente fortissima nobisque coniunctissima penitus sublata, unus Dei cultus et immaculata religio, ac mutuae inter eos consensionis pristinum vinculum vigeat: nam nos, etsi quacumque in parte gregis nobis a Deo commissi detrimentum evenit, id pro nostra pastorali cura moleste valde ferimus; tamen Helvetici nominis et vestri apud nos potissima est cogitatio. Saepe enim vobis a Sancta Sede apostolica dignitas simul atque utilitas, Sedi autem apostolicae a vobis fidelis opera et promptum auxilium fuit paratum; quam societatem preclari muneris inter nos et vos servare perpetuam intendimus: neque dubitamus vestras voluntates ad similem effectum nobis libenter esse affuturas. Sed quo magis in vestra propria virtute atque fide confidimus, hoc vos accuratius hortamur ut diligenter audire episcopum ipsum nuncium nostrum et conferre cum eo vestra consilia velitis, illumque in cunctis fovere dirigere adiuvare adhibereque illi in omnibus eandem fidem quam nobis ipsis adhiberetis. Quod a vobis expectamus nobis gratum vehementer et optatum. Datum Romae die xiiii. Februarii mdxxv. Anno secundo.

54.

Turricensibus Helvetiis.

Dilecti filii. Cum in omne Helveticum nomen huius S.tae Sedis auctoritas ac nostra precipue voluntas ob eorum multa et praeclara merita propensa semper fuisset, tum vero recordamur nos vobis, filii Turricenses, seorsum et vestrae eximiae virtuti imprimis fuisse fautores:

nam cum reliquos omnes pagos auctoritate et primatu antecellere videremini, virtutis vero et fortitudinis ac in hanc Sanctam Sedem observantiae precipuum nomen obtineretis, nos etiam vestris egregiis operibus vestra ope atque auxilio cum in minoribus constituti essemus aliquando sublevati atque adiuti gratissimae vobis nostrae voluntatis officium semper praestitimus; neque dissimulavimus nos Turricensium nomini et virtuti singularis benevolentiae esse debitores. Cumque initio pontificatus nostri veterem coniunctionem et amicitiam quae huic S.tae Sedi diu ante vobiscum intercesserat et nobis cum eisdem vobis maxime intercedebat stabilire et renovare meditaremur, primum apostolicae Sedis multis incommodis et difficultatibus attritae et exhaustae opes nos aliquantum supersedere et commodius tempus expectare coegerunt, deinde gravis ille nuncius animum nostrum percussit: vos tali antea virtute tali in Sedem apostolicam reverentia tali in Deum omnipotentem honore pietate religione praeditos quorumdam improborum et sceleratorum consiliis: qui leges summi Dei quas ipsi primo spreverant et abiecerant vobis quoque spernendas et posthabendas suaserunt, a sanctae religionis vero cultu a sanctorum patrum iustitutis et a maiorum piis ac religiosis doctrinis aliquantulum abductos esse: et quod nobis molestius afferebatur, eos qui iniqua eiusmodi consilia vobis obtulissent, suarum opinionum impiarum pretextum a Deo atque ab evangelio impudentissime sumere: quasi his novis interpretibus maligno Sathanae spiritu instructis ac non gloriosissimorum illorum doctorum celestiumque preconum quos spiritus Dei sanctus edocuerat auctoritatibus potius et sententiis ipsum evangelium sit interpretandum: qui perpetuatam tot iam seculis suae doctrinae fidem non probavissent, nisi eos Sancti Spiritus gratia et gloria illustrasset. Qui ergo isti sunt novi auctores evangelii qui vos gentem nobilem et christianissimam Deo omnipotenti et matri vestrae catholicae ecclesiae eripere contendunt? nonne qui laxatis continentiae et pudicitiae frenis turpissimam suam intemperantiam verbis scripturarum non sensu recto tegere conantur? qui pacem et concordiam quam dominus noster Jesus Christus abiens ad patrem tanquam testamento coelesti hominibus legavit, e medio vestrum tollere et seditiones inimicitias pericula seminare contendunt: qui quo scelerum et turpitudinum suarum maior sit illis parata defensio omnia in

vobis turbare et miscere et clades ac calamitates conserere non verentur? Qui si audent se pares facere illis veteribus a coelo instructis doctoribus Augustino, Gregorio, Hieronymo, Ambrosio, Cirillo, Cipriano, totque et talibus aliis multis summis et sanctissimis viris, quanam imprudentia sunt? quod odium non merentur? quaenam illorum est arrogantia stultitia importunitas? Si autem illis cedunt, ut cedere necesse est, qua ratione audent contra illorum pias salutaresque in sanctis scripturis sententias nova et impia et heretica disseminare? Quod si isti a diabolo inuncti et constituti sunt, vos quaesumus dilectissimi filii, vos inquimus ad sensum pium et catholicum adherete; auctoresque vestrae immaculatae religionis accipite eos quos supra nominavimus, quorum nomen et pietas in coelo consecrata est: qui a Deo missi sunt ad sanas doctrinas constituendas: non hos leves et improbos qui non salutem vestram sed suam licentiam intemperantiamque cogitant. Nam quem nobis dolorem afferre creditis talium filiorum, quos semper tantum amavimus iacturam? non temporali damno commovemur quod etsi non mediocre Sedi apostolicae accidit in vobis: tamen huius damni multa possunt remedia inveniri, vestra nobis fides vestra spes aeternae salutis cordi est, sine qua vita aeterna non acquiritur. Tenemus pastoris nomen et vigilantiam: quomodo ergo possumus non dolere detrimentum gregis nostri ac talis presertim gregis, quem et in amore et in charitate semper precipuum habuimus? Atque hos ambos fructus istorum impietatis et sceleris primos profecto sentitis, quod tantae inter vos sociosque vestros excitatae dissensiones sunt, ut nisi dominus Deus nobis opem tulerit qui hoc potissimum cogitamus et cupimus vos in fide mutua et amicitia continere, res ad maxima pericula progressura esse videatur: in quo vos admonemus et iubemus considerare primum hoc opus diaboli; quicquid enim ab diabolo est et ministris eius, id seditionem et zizaniam seminat, pacem consensionemque disturbat, odia inimicitiasque conserit. Nam quae a Deo sunt pacem faciunt et conspirationem. Fugite filii fugite tales heresum impietatis seditionum seminatores: ac nobis qui paterno erga vos amore vere ferimur fidem habete; sumus hac pontificali cura inter Deum et vos medii, pro vobis oramus pro vobis intercedimus pro vestra salute tam aeterna quam temporali Dominum ipsum Deum quotidie deprecamur. Hae nostrae

preces haec nostra charitas et benevolentia erga vos ut apud summum Deum habeat locum, si quid adhuc in vobis aut reverentiae erga ipsum aut erga nos amoris residet procurate. His quidem nos de causis ven. fratrem E. episcopum Verulanum nuncium nostrum ad vos totumque nomen Helveticum mittimus, hominem fidum ac prudentem et rerum vestrarum usu consuetudineque peritum, qui omnibus quidem istius invictae nationis sed nomini imprimis vestro tanto amore deditus est ut de vobis praedicando et vestras virtutes commemorando nunquam satiari posse videatur; qui licet iam annis gravis et laboribus attritus sit, omnem tamen vobiscum negociandi occasionem pro solatio sibi et requiete existimat: cuius nos prudentiam et industriam maxime facimus, eiusque adventum vobis utilem et iucundum si vos et illum audire volueritis futurum non dubitamus. Mittimus autem ob hanc causam ut is potissimum in hanc curam incumbat ut quae sunt inter vos et vestros socios dissidia pace consensioneque componat; nihil enim nobis aegrius auditu est, quam vos dissidentes et discordes intelligere: nec etiam quicquam est quod vobis perniciosius esse possit; si enim unquam generi Helvetico fuit necessaria pax inter se, cum hac Sancta Sede amicitia et coniunctio, hoc imprimis tempore quo tot turbulentis christianitas agitata est periculis summam videtur habere necessitatem; sed haec coniunctio sine mutua inter vos conspiratione stabilis esse non potest; auctor autem omnis fidelis et verae conspirationis ac concordiae est Deus, in cuius cultum et honorem pariter consentire decet eos qui concordes inter se sunt futuri. Quod ut facere velitis ac paternis nostris precibus monitionibusque ut acquiescatis multum devotiones vestras in Domino hortamur, vobis etiam significantes, si ad nos ad hanc S. Sedem ad maiorum vestrorum exempla ad sana doctorum celestium et divinorum monita respicere volueritis et impiorum a vobis consilia segregaveritis, nos in vobis ornandis, iuvandis, honestandis fore etiam promptos semper et liberales ac vobiscum ita acturos ut intelligere possitis vestram utilitatem gloriam felicitatem vobis, non secus ac si ex nobis essetis geniti, tanquam patri pio et amantissimo in animo et corde infixam semper esse; sicut latius ab eodem episcopo Verulano intelligetis cui fidem habebitis. Datum Romae etc. die xiiii. Februarii mdxxv. Anno secundo.

Reliquis duobus cantonibus Lutheranis incipiatur *Cum ab initio* et reliqua eadem postea.

(Foris).

Anno secundo mdxxv. Februarii xiiii.

Tribus pagis seu cantonibus Helvetiorum Lutheranis pro Verulano.

55.

Episcopo . . . .

Venerabilis frater. Cum mitteremus ven.m fratrem Ennium episcopum Verulanum nuncium nostrum ad Helvetios ipsorum inter se pacem atque concordiam et quae ad libertatem ecclesiasticam pertinent curaturum, mandavimus ei ut cum fraternitate tua verbis nostris ageret nonnulla et colloqueretur quae tibi pro honoris tui officio sunt ei curanda; cuius nos virtutem et prudentiam bene notam habemus; hortamur igitur eandem tuam fraternitatem in Domino ut ipsum episcopum Verulanum, qui nobis summe ex omni parte probatus est, diligenter audire eique ubi opus acciderit omni tua ope, opera, auxilio favere atque adesse velis, quod efficies nobis summopere gratum et fraternitati tuae honorique ecclesiastico imprimis consentaneum. Datum Romae etc. die xiiii. Februarii mdxxv. Anno secundo.

(Foris).

Anno secundo mdxxv. Februarii xiiii.

Episcopo . . . . ad Helvetios pro Verulano.

56.

Dilecto filio . . .

A. Dilecte fili. Cum mitteremus ven.m fratrem Ennium episcopum Verulanum nuncium nostrum ad Helvetios ut coniunctionem quae nobis et huic S.tae Sedi apostolicae cum ista invicta natione intercedit confirmaret et renovaret, eamque quam de illorum salute tam aeterna quam temporali curam et cogitationem capimus eis indicaret, cognoscentes separatim virtutem tuam et animum in huius Sanctae Sedis dignitatem propensum, illi mandavimus ut tecum aliqua nostris verbis colloqueretur

amoremque erga te tibi declararet nostrum, cui ut tu pari respondeas voluntate et hortamur plurimum in Domino devotionem tuam et ut dictum episcopum libenter audias fidemque illi praebeas indubitatam ac ei in omni actione tua virtute et opera assistas petimus. Quod facies nobis summopere gratum. Datum . . .

57.

Dilecto filio . . .

B. Dilecte fili. Vivit in animo nostro tuorum praeteritorum officiorum memoria quae partim operibus partim etiam voluntatis significatione huic Sanctae Sedi prebuisti; ob quae cum statuissemus mittere ad istam nobis carissimam nationem ven. fratrem E. episcopum Verulanum nuncium nostrum, qui et veteres coniunctiones confirmaret et quae nomini Helvetico ad salutem et ad decus cedere dignoscuntur ibi auctoritate nostra procuraret; iussimus eum multum opis et fidei in tua nobis bene nota virtute et devotione ponere ac ut tua prudentia et sedulitate uteretur mandavimus, quam certi sumus nobis non defuturam. Hortamur igitur devotionem tuam in Domino ut ipsi dicto iam episcopo fidem summam habere eique assistere omni tua ope et auctoritate velis quo ille mandata a nobis commissa expeditius perficere possit; in quo et rem optatam nobis facies et gratiam a nobis ac mutuam tibi obsequendi voluntatem experiere. Datum . . .

58.

Dilecto filio . . .

C. Dilecte fili. Cum optime cognosceremus devotionem tuam virtute et religione insigni praeditam esse, ac quid auctoritatis inter tuos obtineres etiam compertum haberemus, fidentes maiorem in modum ea consilia et opera quae huius Sanctae Sedis dignitatem cum istius invictae nationis laude saluteque coniungunt tibi grata fore et accepta: iussimus ven. fratrem E. episcopum Verulanum quem nuncium nostrum istuc mittimus, tecum cogitationes et res nostras conferre et communicare; atque ubi opus esset tuam sibi operam et virtutem in pera-

gendis sibi commissis negociis adiungere. Vere enim existimamus quicquid cogitamus pertinere ad nominis Helvetici, quod nobis super omnia cordi est, salutem vel existimationem, quae si unquam alias et nostra nunc cura ac huius S.tae Sedis coniunctione indiget et eorum qui inibi prudentia praediti sunt auxilio atque virtute. Hortamur igitur tuam devotionem in Domino ut ipsum episcopum diligenter audire iuvareque et fidem illi indubiam praebere velis, ac nostrae optimae de te opinioni tua benevolentia erga eum et operibus respondere, quibus efficies ut tibi nos quoque debere gratiam et compensationem fateamur. Datum Romae etc. die xiiii. Februarii mdxxv. Anno secundo.

(Foris).

Anno secundo mdxxv. Februarii xiiii.

Ad triginta non nominatos. Denos sub unaquaque minuta; ac tribus intus annotatis, pro Verulano.

59.

Valesianis.

Dilecti filii. Cum mitteremus ven. fratrem. E. episcopum Verulanum nuncium nostrum ad Helvetios et ad vos, qui his temporibus ubique periculosis illorum salutem et communem pacem quam impiae sectae Lutheranae pravitas conturbavit procuraret, dedimus in mandatis ut cum devotionibus vestris quas non solum erga Deum integras sed in Sanctam Sedem apostolicam fide amoreque constantes esse novimus multa tractaret ad nostrum et eiusdem S. Sedis commodum vestrumque pertinentia; cum pro nostra erga vos paterna benevolentia summam quamdam curam in animo nostro vestri generis et honoris habeamus. Qui quidem episcopus cum sit nobis ob integritatem et prudentiam ac peritiam vestrum omnium summe gratus et probatus, tum erga vos amore et studio est singulari. Hunc ut ad vos accedentem et mandata vobis nostra exponentem grate benigneque admittatis vehementer vos in Domino hortamur; utque ei omni ope operaque vestra adesse auxilio velitis quo is melius et pristinam inter Helvetios confoederatos vestros concordiam constituere et honorem ac decus s.tae christianae religionis reducere ad eos qui aberrarunt possit. In quibus rebus

omnibus si sedulitatem et virtutem vestram interposueritis, ac in his quae vestram et Sedis apostolicae communem utilitatem dignitatemque continent solitum vestrum amorem et studium attuleritis, non solum rem nobis gratissimam sed et vobis ipsis ut arbitramur commodissimam efficietis. De quibus vobiscum latius idem episcopus nuncius noster nostro nomine aget, cui habebitis omnem fidem. Datum Romae die xiiii. Februarii mdxxv. Anno secundo.

60.

Praefecto Turgoviae.

Dilecte fili. Tuae bonitatis et erga ven. fratrem Ennium episcopum Verulanum nuncium nostrum benignitatis eximia significatio quam illi in omni ubi accidit tempore praestitisti, et de qua ille exemplum apud nos perhibuit, testimonium fecerunt ut etsi sine nostris litteris te in eadem erga ipsum episcopum voluntate permanere crederemus; quod tamen nobis rem gratam fecisses nobis scribentibus intelligere te vellemus; vere enim illa omnia officia in tantum hominem nobis imprimis gratum et probatum nobis ipsis data fuisse arbitramur; neque illorum memoriam sumus dimissuri plurimumque ex eis benevolentiae erga te nobis innatum esse affirmamus. Sed cum eundem nunc ad istam fortissimam et nobis charissimam Helvetiorum nationem episcopum nuncium mittamus, qui et quae ad communem illorum salutem atque utilitatem et quae ad Sanctae Sedis apostolicae dignitatem pertinent nostro cum illis nomine agat et communicet, licet te non egere hortatione nostra ad illum adiuvandum dirigendumque existimemus, tuam tamen devotionem in Domino hortamur et enixe requirimus ut nostro etiam intuitu et contemplatione eiusdem bonitatis tuae nostraeque in te paternae benevolentiae ita velis ei in omnibus suis actionibus adesse favore consilio gratia auctoritate ut is nostrorum mandatorum munus te adiutore perficere melius et expeditius possit; cui tuo officio existimes volumus nos data occasione pari liberalitate et studio satisfacturos. Datum Romae die xiiii. Februarii mdxxv. Anno secundo.

61.

Helvetiis oratoribus X cantonum.

Dilecti filii. Vetus illa iam coniunctio quae coelestibus verae et immaculatae religionis auspiciis consecrata ac mutuis plurimus officiis confirmata huic Sanctae Sedi cum ista invicta natione intercedit, fecit ut ab initio statim nostri pontificatus tantum in vobis spei poneremus, quantum a patre amantissimo atque indulgentissimo in peculiaribus filiis ponendum iudicabamus; cum ad illam amicitiam et societatem quam praedecessores nostri vobiscum habuerunt, nos praecipuam adiungeremus memoriam vestrae singularis erga nos ipsos voluntatis; sumus enim memores, neque id unquam obliviscemur, nos in minoribus constitutos ista nobis assistente fortissima natione cum vestra summa gloria non mediocrem laudem fuisse consecutos. Ita cum coeteri romani pontifices praedecessores nostri qui vestra forti et fideli opera in magnis suis rebus usi fuerunt, post pontificatum adeptum gratiam vobiscum et amicitiam contraxerint, nos ad hanc ipsam pontificalem dignitatem iam vobis devincti et obligati accessimus; ut Helvetici nominis amorem in sensibus atque in memoria nostra gereremus infixum. Accidit autem non mediocri nostra cum molestia ut quod agere summe cupiebamus ipsius nostri pontificatus initio, neminem ad vos mittere possemus qui hunc honorem nostrum vobis gratularetur et voluntatem ostenderet benevolentiamque nostram erga vos declararet eaque a nobis offerret et polliceretur quae nos non magis propria nobis quam vobiscum volumus habere communia; multis enim et magnis difficultatibus et impedimentis retardati fuimus; nam et inopia ac plane paupertas Sedis apostolicae nihil nobis ostendebat quod polliceri vobis liberaliter possemus et bellorum undique tumultuantium strepitus Turcarum quoque immanis et rei christianae imminens cum extremi exitii periculo potentia; tota denique christianitas armis, caedibus, dissensione, heresibus perturbata, nos pene attonitos et consilii inopes esse cogebat: ut cum facultatibus attriti, periculis impediti valde essemus, nostrum quidem erga vos intus et in animo servaremus amorem, illius autem manifesta indicia atque opera edere apud vos nequiremus. Quo etiam tempore id quod summo nobis dolori fuit aliquot ex societate et gente vestra pagi Lutheranae perfidiae fallacibus labefactati machinis a vera

patrum et maiorum suorum pietate aliquantum deflexerunt; quo nihil nobis gravius evenire potuit. Nam et si apud quoscumque Deo sacratos et verae fidei signaculo munitos populos haec labes perniciosa inciderit, nobis incidit permolesta, propterea quod hanc curam et vigilantiam pastoralem universo gregi christiano debitam adhibemus; tamen in natione et gente Helvetica, omne eiusmodi damnum et detrimentum, nostrum proprie cor et huius Sanctae Sedis viscera vulnerat; quo enim illa amantius in vobis dilectissimis filiis suis acquiescit, hoc plus sentit ex hac alienatione doloris; cum praesertim intelligat ex hac quoque causa non exiguas esse inter vos dissensiones excitatas. Ac nos quidem in hac animi molestia non parum inde solatii sentimus quod non solum maxima pars vestram in recta fide est constans illamque Deo omnipotenti illibatam conservat; sed etiam apud nos iam non semel institit ut auctoritatem nostram adhibere vellemus atque hominem idoneum cum facultatibus mittere, qui nostra auctoritate et virtute ac sedulitate vestra fretus, corrigere quae depravata sunt, et lapsa restituere in pristinum statum posset; quod vos praecipue qui ex decem pagis estis per nuncios vestros et litteras a nobis postulastis qui honorem summi Dei, qui salutem animarum vestrarum, qui Sedis apostolicae decus a qua tot ornamenta et decora ad vos profecta sunt, salvum atque inviolatum retinere voluistis. Hic animus vester, haec pietas, haec sapientia, si quid addi amori nostro erga vos potuit, permultum addidit; praeclarum erat nobis antea qui patris et nomen et mentem in vos gerimus tales habere filios, virtute, fidelitate fortitudine praestantes; verum ita etiam religiosos, ita Deo deditos, ita ecclesiastici nominis cultores habere. Cuius tandem est felicitati et praeeminentiae, vere hoc vobis dicimus cum innumerabilia totius istius nationis sint in Sanctam Sedem apostolicam merita, pro quibus gratiam vobis et benevolentiam debeamus, hoo unum superat universa, in quo Dei praecipuus honor est, et vestrarum salus animarum; neque enim maius a vobis beneficium accipere possumus, quam intelligere vobis vestram aeternam salutem esse cordi, pro qua nos conservanda non parum sanguinis nostri, si opus esset, ex debito et amore pii patris pro vobis effunderemus. His nos de causis et ut alia quoque multa tractentur vobiscum, quae ad pacem christianae reipublicae procurandam et con-

cordiam inter vos conciliandam pertinentia commodum vestrum et honorem cum huius Sanctae Sedis honore et commodo comprehendunt, elegimus ex multis quem ad vos mitteremus ven. fratrem. E. episcopum Verulanum hominem non solum fidum atque prudentem et rerum vestrarum usu consuetudineque peritum, sed qui tanto vobis studio tanto amore deditus est ut nihil sit eximiae et maximae laudis et commendationis quod non assidue ex ore illius in celebritatem et gloriam vestri generis nominisque procedat; qui quamvis iam aetate gravis et laboribus, perfunctus sit, omnem tamen negociationem quam vobiscum sit acturus sibi pro solatio et pro requiete existimat; cuius nos prudentiam et industriam maximi facimus; et quod vobis is optime notus est, adventum quoque illius voluptati vobis fore non dubitamus; ei igitur commisimus arcana omnia consilia nostra vobiscum conferenda et quid animi habeamus in salutem ac dignitatem vestram, quantam rerum vestrarum curam, quove amore capiamur ut is vobis exponat; quem ut benigne et grate admittatis ac illius verbis nosmetipsos veluti loquentes attendatis audiatisque devotiones vestras magnopere in Domino hortamur; vobis promittentes si nostra paterna monita et consilia vestra prudentia et bonitate excepta ut optamus fuerint, vos vestrae eximiae virtutis uberiores fructus quam unquam antea laturos, sicut et confidimus fore, et omne quod vobis utilitati commodo ornamentoque esse possit omnibus votis a Deo omnipotente petimus et obsecramus. Sed haec cuncta idem episcopus Verulanus nuncius noster aget nostro nomine copiosius vobiscum, cui summam fidem habebitis. Datum Romae etc. xiiii. Februarii mdxxv. Anno secundo.

62.

Suitensibus.[1]) In qua laude praecipue vobis dilecti filii multum tribuimus, qui illius magnae ligae caput et origo tam vetustate coeteris praecellere quam in omni virtute et in hanc Sanctam Sedem observantia in communem christianorum pacem studio, peculiari quadam erga personam nostram voluntate a nemine vinci et superari contenditis; qui semper honorem etc.

[1]) Haec addita sunt in litteris singulis pagis inscriptis.

Undervaldensibus et Vraniensibus. In quo laudis genere ut vestra emineret virtus, utque defensioni sanctae religionis huiusque Sanctae Sedis honori ea dedita esset, vos singulari quodam studio effecistis. Qui honorem etc.

Lucernensibus. In quo defendendae et propugnandae verae et sanctae religionis studio vestra virtus et pietas praecipue se ostendit, vos enim nos catholicae fidei tutelam et patrum maiorumque nostrorum qui Spiritus Sancto pleni fuerunt auctoritatem adversus illam impiam sectam quodam peculiari zelo ardentissime suscepistis; vestra in his vestra inquam eximia et commemorabilis laus est. Qui honorem etc.

Bernensibus. Quam quidem rem devot.bus vestris pro honore et praestanti auctoritate pagi vestri, cui eximia semper laus nec magis fortitudinis quam erga Deum omnipotentem suamque immaculatam religionem pietatis iure tributa est, gratám maxime futuram non dubitamus; qui licet forsitan paucorum istic constantia fuerit labefactata, quod tamen credere vix possumus, communi tum consilio catholicae fidei vestrum prebuistis patrocinium. Qui honorem etc.

Friburgensibus. In quo sancto opere vestram precipuam et poscimus et expectamus operam; scimus enim quam praestanti animo et singulari in Deum omnipotentem religione causae catholicae fidei semper adfueritis. Scimus quo amore erga nos ipsos privatim qua in Sanctam Sedem hanc observantia sitis et fueritis, ex quibus omnis laus et benevolentia vobis potissimum per nos debita est. Qui honorem etc.

Solodorensibus, Claronensibus, Zuchensibus. In qua re cum nos salutem vestrorum et honorem tum nationis universae Helveticae tum vestrum proprium nobis ante oculos proponamus, speramus etiam vestra singulari et diligenti opera futurum ut fidei catholicae imprimis et huius Sanctae Sedis honoris ratio habeatur, et quidem praecipue vobis faventibus. Qui honorem etc.

Basiliensibus (ut in . . . usque ad faventibus, deinde addatur) qui ea prudentia quam in vobis Spiritus vere sanctus illuminavit cum occultas et perniciosas labes heretici veneni in vobis iam serpere sensissetis, reiectis et repudiatis pravis machinationibus impiorum verum honorem summi Dei et salutem animarum vestrarum et Sedis apostolicae decus a qua etc.

(Foris).
Anno secundo mdxxv. Februarii xiiii.
Oratoribus X cantonum Helvetiis et cantonibus intus annotatis pro Verulano.

63.

Duci et populo Genuensi.

Dilecti filii. Dum esset locutus nobiscum dil. fi. Dominicus de . . . . . eadem quae iam rumoribus aliquorum ad nos fuerant delata, atque in sermone exposuisset mirabilem quandam et inauditam consensionem multo maximae optimaeque partis vestrorum civium ad salutem istius inclytae civitatis et ad formam aliquam verae et bene temperatae reipublicae constituendam extitisse, per quam factionibus discordiisque civilibus aliquando liberata recuperare pristinam auctoritatem et potentiam posset; sane eo ut debuimus vehementer laetati sumus, ipsique Dominico quantum ex ea re ad nos perveniret voluptatis propter nostram perpetuam et singularem in istam civitatem benevolentiam aperuimus; hortatique fuimus ut quos huius praeclari incepti auctores intelligeret nostris quoque verbis ad id quod aggressi fuerant una cum reliquis eiusdem animi atque sententiae prestantissimis civibus ad desideratum exitum deducendum confirmaret. Qui cum egisset nobis ob hanc nostram voluntatem gratias, institit postulare et precari ut eadem de re quid esset nostrae auctoritatis et consilii ad nobilitatem et devotionem vestras scribere vellamus. Quod facimus libenter; nihil est enim rerum omnium in quo nobis studiosius laborandum existimemus, quum ubicumque licitum nobis sit conserere pacem, tollere discordiam, et labentem ex omni parte propter huiusmodi factiones et bella christianitatem quibus remediis possumus fulcire et sustinere. Quare hoc primum nobis apud vos expromendum est vestra ista cogitata atque consilia quae ad tollendas e civitate discordias unamque illam et sibi ipsi consensientem atque inter omnes partes conspirantem constituendam pertineant, nobis vehementer grata et iucunda accidisse; magnamque nos vobis impertire laudem quod aliquando tandem et prudentia bonitateque vestra et multorum iam

saeculorum continuis detrimentis cladibusque eruditi, quas haec civitas ob domesticas dissensiones pertulit, convertere in publicum privatas voluntates et patriae pietatem quam debetis praestare institueritis; quae hoc magis illam postulat a vobis et expetit, quo gravioribus damnis attrita et labefactata est; ut nullum nisi in concordia et consensione omnium vestrum suis afflictis rebus subsidium possit reperire. Quae cum maiorum vestrorum virtute et sapientia quondam freta sui nominis famam in cunctas nationes extenderit orbemque terrarum et maritimis et terrestribus ab se partis referserit victoriis, saepeque magno praesidio atque adiumento catholicae religioni et fidei summi Dei adversus infideles et barbaras nationes fuerit, tantum nunc a vetere illa virtutis gloria degenerarat, ut non magis hostium armis quam intestinarum factionum discordiis vastata et exhausta predae prope atque ludibrio omnibus esset. Hanc in vobis et praeteritorum errorum paenitentiam et in posterum salutis ac dignitatis recuperandae spem et cogitationem valde admodum in Domino commendamus, eamque imprimis Deo fore gratam confirmamus. Is enim cum pacem semper omnibus proponat, civibus certe inter se magis propositam vult et ut quique arctiori vinculo sanguinis aut legum coniuncti sunt, ita in iis sanctior semper est mentium et voluntatum consensio. Atque idem Deus et Dominus noster Jesus Christus ita ab omni contentione dissidio discordia abhorrens fuit ut cum in sancto evangelio ostenderet quae inde in regnis omnibus venirent mala, etiam regnum Belzebub contra se divisum stare diutius negaverit posse. Quod si illae demonum potestates quamquam pravae malaeque aeternae tamen et spirituales sine concordia permanere non possunt, quid est de urbibus et imperiis temporalibus sentiendum; quae profecto eisdem dissensionibus et Dei regno renunciant et regnum suum abiciunt? Cuius divino oraculo emissae veritatis documenta utinam non tam graviter et acerbe et Italia omnis et civitas imprimis vestra comprobasset. Sed nos et alibi ubicumque nobis fari et consulere et hortari ac monere est datum, pacem suadere et rogare non destitimus; et si apud alios furor armorum et privatae a publico christianitatis bono seiunctae cupiditates hortatus nostros exaudiri non permisserunt; vobis dilecti filii sit nostra charitas et in vobis pie admonendis auctoritas accepta. Qui et vobis

quod summe est commodum honorificumque proponimus et sanctae quoque Sedi apostolicae cui divina providentia praesidemus maximum speramus ex huiusmodi statu et reipublicae vestrae ordine, si ea a vobis recte et sapienter fuerit constituta, emolumentum simul atque ornamentum venturum esse; nam in omni tempore coniuncta vobiscum fideli perpetuaque benevolentia sumus copulaturi: quae et sibi a vobis commodum spectatura et vobis vicissim in omnes casus opitulatura est si modo concorditer et unanimiter non diviso cuiusque sensu neque propria ullorum cupiditate, sed publico communique consilio cuncta gerere instituetis; in quo si communem et aequam constitueritis rempublicam cuius universa potestas privatis opibus sit potior, non solum antiquam recuperabitis potentiam et dignitatem sed fluctuanti periclitantique christianae reipublicae firmae et stabilis anchorae frenum iniicietis ne tota praeceps in scopulum impacta corruat, eritque vestra virtus vobis ipsis decori et utilitati, reliquis omnibus exemplo, ut sapientiae vestrae imitatores effecti a continuis calamitatibus viam aliquando respirandi inveniant. Quorum utrum prestantius sit et ad Dei omnipotentis gratiam et ad hominum laudem sibi ne constituere an aliis modum constituendae salutis ostendere, valde dubium est. Certe magnum tuum erit, fili Antoni, virtutis nomen et animi magnitudinis si de tua aliquantum dignitate detraxeris ut sit per te dignitas patriae tuae sublimior; magnum vestrum omnium qui in tam praeclaram cogitationem vos contulistis; magnum ceterorum qui horum principum auctoritatem secuti estis. Quae cogitatio et quod consilium si ad finem deductum et in concordi ac bene morata republica constituenda perfectum fuerit; non solum erit ista civitas ab insidiis a rapinis a caedibus a tumultu factionum a periculo captivitatum a metu direptionum tuta atque libera, sed aliis etiam multis sua auctoritate pariet tutelam ac libertatem. Quam rem nos non solum pro paterna illa nostra in universam hanc civitatem ac singulares cives ipsius voluntate et benevolentia summe expetimus ac desideramus, sed etiam ad eam tractandam efficiendam adiuvandam nostras offerimus et pollicemur facultates quaecumque illae in nobis sunt et opis et auctoritatis et patrocinii. quas et nostra sponte, si quae vobis proficua et opportuna venerint in mentem et vestrorum hic actorum significatione et monitu sive per

nos ipsos erit quidpiam faciendum sive ab aliis christianis principibus petendum atque impetrandum, scribendo, rogando, laborando, omnes adhibebimus, tantumque pro vobis enitemur ut si eodem oriundi sanguine et eiusdem patriae charitate astricti et obligati essemus plus agere et eniti non possumus. Quod factis magis quam verbis in vestram utilitatem et Sedis apostolicae commodum, quod utrumque ex hac re redundabit, sumus ostensuri. Datum Romae die xviii. Februarii mdxxv. Anno secundo.

64.

Duci Opoliae.

Dilecte fili. Litterae tuae die x. Novembris datae plenae prudentiae ac in summum Deum religionis et erga nos amoris singularem nobis laetitiam attulerunt; cognovimus enim ex iis te prestantem optimumque principem dignum ea nobilitate quae tibi maiorum tuorum continuatis eximiisque virtutibus tradita est, et iis beneficiis quae ab omnipotente Deo plurima accepisti, defendere ac tutari eiusdem Dei causam quam multorum et impiorum satellitum suorum ministerio Sathanas labefactare et convellere conatur; qui cum omni ordine confuso et aequatis hominum gradibus plebeque adversus principes et superiores ubique incitata, speret sublata maiestate legum presertimque ecclesiasticarum omnibus fore suo arbitratu vivendi agendique licentiam, in tanta colluvione morum et licentia temeritatis, omnem Dei reverentiam, omnem cultum pietatis extinctum et abolitum iri putat; cui nos gravi et acerbae aliquot iam nationum calamitati occurrimus quantum possumus et hortando et monendo et laborando, sed quominus tantum efficiamus quantum vellemus dura haec temporum conditio est nobis impedimento; non solum enim heresibus sed gravissimis atrocissimisque bellis agitata et vexata laborat christiana respublica, in quorum fremitu et furore nostra paterna vox pacem orans et exclamans adhuc non potuit exaudiri; nec desistimus tamen; Deumque nobis ante oculos ponentes, ipsius sola misericordia confidimus, dolentes et gementes quia omnia filiorum nostrorum et christiani nobis dilecti gregis incommoda exitia calamitates, nostra sunt incommoda; nec

quisquam aut in corpore, aut in bonis, aut in vita, aut pravo sensu erga Deum eiusque sanctam fidem leditur, quin tot nos in animo et in corde vulneribus, quot ille quisquis est, incommodis et detrimentis afficiamur; suscepimus enim simul cum honore pontificis atque pastoris animum et amorem erga omnes Christo dicatos patris. Quare in tanta cura et sollicitudine nostra tuae nobis litterae tanquam coeleste quoddam solatium nobis attulerunt; gratissimum enim nobis et iucundissimum fuit habere socium nostri laboris et collegam optimae in Deum et religiosissimae mentis talem et tam preclarum principem, qualem te nos antea noveramus et nunc maxime perspectum et cognitum habemus. Quod foedus clarissimi muneris et sanctissimae societatis volumus inter nos perpetuum esse. Namque tu eas laudes in nos confers, quas non tam res ipsa quam amor tuus erga nos tibi dictavit, agnoscimus optimum animum tuum et benevolentiae erga nos gratias agimus. Verum dilecte fili nihil nostrum est proprium sed omnia a summo Deo habemus nos aliquid bonae voluntatis, idque ab eodem Deo; ut vero christianae reipublicae ea praestare possimus quae tu amantissime et piissime auguraris nostrarum non est virium, sed munus omnipotentis Dei. Qui ut nobis det facultatem preclare operandi idem qui dedit voluntatem humiles illum et supplices deprecamur. Qui te quoque in suorum athletarum numero esse voluit ut subires partem certaminis adversus impios hereticos, filiique sui d. n. Jesu Christi fidei et religionis vexillum fortiter defenderes. Ad quod opus sanctum et gloriosum tuam nobilitatem hortaremur animaremusque nisi eam sua sponte satis incitatam ex Spiritus Sancti igne charitatis esse videremus. Verumtamen ne nostri officii obliti videamur, tuae nob.ti promittimus hanc singularem tuam pietatem atque in ea quae a Deo et maioribus nostris tradita nobis est catholica immaculataque fide tuenda constantiam tibi in coelo et in terra maxima et aeterna praemia felicitatis gloriaeque allaturam; in quo proposito ut perseveres et permaneas, etsi non est hortatione opus, tuam tamen nobilitatem plurimum in Domino hortamur; illam quoque moderationem animi tui magnopere commendantes qua cum multa ut scribis ab hominibus ecclesiasticis in ista patria nascantur incommoda, noluisti tamen nobis inconsultis aliquid contra eos durius agere; sed nostram quaesisti auctoritatem.

Quam ut petiisti dilecto fi. Melchiori adversus absentes et Lutheranos tribuimus, ac de certis beneficiis ecclesiasticis id tibi concessimus, quod visum est nobis salva iustitia et honestate tuis posse concedere. Quod si in posterum quomodo res se illae habeant iuridice et legitime erimus edocti, intelliget nob.tas tua et re ipsa experietur summam a nobis haberi in rebus omnibus et virtutis et dignitatis et voluntatis tuae rationem.

Datum Romae die xx. Februarii mdxxv. Anno secundo.

65.

Episcopo Brixinensi.

Venerabilis frater. Etsi quodcunque nobis et Sanctae Sedi apostolicae consilium capiamus modo id rectum iustumque sit, debemus uni Deo omnium operum et cordium inspectori ac conscientiae nostrae acquiescere; tamen, ne quandoque vocibus obtrectantium quae optima ratione facta sunt in deteriorem partem detorqueantur, est etiam boni pontificis quantum ei datum est, providere: cum ergo superioribus diebus conventionem cum christianissimo rege fecerimus ut neuter nostrum alteri ulla in re nocere deberet; in qua adiecimus etiam nostram singularem erga ser.mum Caesarem benevolentiam et quam cum illo habemus summae coniunctionis societatem nolle nos nova coniunctione ulla ex parte esse diminutam, scripsimus ad dil. fi. Hieronimum Rorarium causamque huius nostri consilii vel necessitatis potius illi significavimus; de qua etsi existimamus fraternitatem tuam ab eo fuisse edoctam, tamen pauca hec voluimus tibi etiam adscribere. Nam si neutralitas in vero et bono pontifice requiritur, propter quam et omnium communis pater sit et ad tractandam ac procurandam pacem aptior efficiatur; illa ipsa neutralitas nos coegit ut ad hanc conventionem cum Francorum rege veniremus; cum enim is partem exercitus sui per nostros et S. R. E. status mittere destinasset ad regnum neapolitanum tentandum, aut arma nobis capienda fuerunt ut prohiberemus transitum; quod si fecissemus continuo et omnem belli vim contra nos convertissemus et neutralitatem abiecissemus effectique fuissemus belli socii non pacis mediatores, aut standum illorum tran-

seuntium licentiae atque arbitrio, quod consilium et vacuum omni prudentia et nobis vehementer periculosum fuisset; ergo ad hos duos tanquam scopulos fugiendos et petenda a rege fides et danda illi fuit ut ne inter nos iniuria ulla damnumve intercederet; quam certe conventionem et periculum et necessitas a nobis extorsit et boni pontificis persona non recusavit. At multi addunt fortasse multa. Sed nobis veritas et Deus ipse sunt satis. Nunc quoniam ad fraternitatem tuam et ad ven.m fratrem N. episcopum tridentinum hac eadem de re scribimus, hortamur eandem tuam fr.tem in Domino ut suscipere causam nostrae dignitatis atque in omnibus sincerae mentis ac voluntatis studeas adversus pravos obtrectatores, qui ubique discordias et suspiciones seminare contendunt; si tamen id te recte et vere facere posse putas. Nos enim cum tibi large et constanter de optima nostra in Caesarem et christianam rempublicam et studium pacis voluntate asserendi, affirmandi et promittendi auctores sumus, tum pollicemur fraternitati tuae nos hoc tuum officium imprimis gratissimum esse habituros, sicut cum eadem dictus Hieronimus Rorarius camerarius noster, nostro nomine aget, cui fidem habebit. Datum Romae etc. die xxi. Februarii mdxxv.

Simile Episcopo Tridentino.

(Foris).

Anno secundo mdxxv. Januarii *(sic)* xxi.

Episcopo Brixinensi Sebastiano.

Simile episcopo Tridentino.

66.

Dilecto filio Joanni de Medicis nostro secundum carnem consanguineo.

Dilecte fili etc. Doluimus graviter hoc casu quo es ex insidiis vulnere affectus, et pro nostra paterna in te benevolentia curam salutis tuae maximam gerentes misimus dil. fi. Jo. Franciscum Nigrinum camerarium nostrum qui ad te animum et consilium nostrum deferret; velle nos videlicet et tibi idem suadere ut Placentiam te referri permittas, non solum quo salus tua diligentius curetur, sed ut etiam

recepta celerius valetudine ad exercitationem tuae eximiae virtutis possis reverti; proinde si nos amas observasque et si te a nobis amari scis, morem hac in re nobis gerere non postponas, ut quamprimum et quam maxime sedate Placentiam te conferens inter tuorum manus commodiore ratione medelarum possis uti; hoc nobis facere gratius nihil potes. Super quibus eidem Jo. Francisco fidem habebis. Datum Romae etc. xxiii. Februarii mdxxv. Anno secundo.

67.

Cardinali Campegio.

Dilecte fili noster etc. Cum in regno isto Ungariae noster et Sedis Apostolicae de latere legatus nunc existens nostrarum sollicitudinum ac laborum, quos pro salute illarum nobis charissimarum nationum suscipimus sis particeps, ac presens facile videre et discernere possis quae sint ad regni adversus Turcas defensionem necessaria; sitque expediens et opportunum multos et donis spiritualibus et aliquarum etiam facultatum commodo ad alacritatem tutandae fidei Christi et vigilantiam animare, circumspectioni tuae, de cuius prudentia et integritate in rebus omnibus summam fidem et opinionem habemus, ut quibus tibi visum fuerit expedire licentiam et facultatem prebeas sine aliquo penae aut censurarum incursu aliqua cum hostibus Christi commercia habendi et parvos gladiolos aut etiam salis summam quantum tibi aut eis videbitur illis vendendi aliisque ne idem agant etiam sub excomunicationis poena prohibendi, nec non iis qui in prelio pro honore Christi et catholica fide contra infideles militando morientur omnium suorum peccatorum plenariam indulgentiam et remissionem consequendi, lapidesque et cementa ac materiam ecclesiarum dirutarum in confinibus infidelium, quarum reparandarum spes nulla est, in aedificationem et constructionem moenium et arcium ac reparationem munimentorum pro christianorum tutela convertendi, gratias quoque et indulgentias quibusvis a Sede apostolica concessas si forte per bullam nostram moderni iubilei revocatae sint in pristinum statum et vigorem restituendi, aut non esse nec fuisse revocatas declarandi, fructusque, a suis ecclesiis et beneficiis absentium in civitate et diocesi Colonn.,

si moniti etiam edicto publico sub honesto termino ad residendum venire neglexerint, ad stipendia militum contra eosdem Turcas et infideles vertendi, similiaque alia quae ad pacem et solatium animarum tutelamque illorum populorum pertinere et utilia esse ipse iudicaveris cum debita moderatione agendi, amplam tenore presentium facultatem concedimus simul et potestatem. Non obstantibus omnibus quae in contrarium visa fuerint obstare.

Datum Romae die xxiiii. Februarii mdxxv. Anno secundo.

68.

Eboracensi.

Dilecte fili noster. Adventus dil. filii Gregorii Casalis qui a tua circumspectione et isto serenissimo rege missus est summam nobis attulit voluptatem; gavisi enim sumus res Italiae et conditionem temporum illi fuisse perspectas qui et de illis, et de nobis nostraque in vos utrosque benevolentia charitate fide certissimum ad vos posset testimonium referre. Qui adhuc nobiscum erat, cum incredibilis allatus est nuncius, regem Francorum apud Papiam commisso prelio fusum captumque in manus victorum vivum devenisse; quo certe nuncio maxime admoniti rerum humanarum sumus, imbecillitatisque et fragilitatis nostrae et ut in solo Deo confidere stabilis est et explorata salus, reliqua omnia caduca et levia sunt. Ergo hoc tanto casu et documento fallacis potentiae aetas nostra memorabilis facta est ad predicationem futurorum seculorum quoad illa constiterint sempiternam. Sed si quando sapientia tua quae maxima semper fuit christiana eguit respublica, illud nunc tempus est in quo adhibere eam necesse est, ut hoc iudicium summi Dei quod ad tranquillandam et sedandam ut firmiter credimus a tot et tam assiduis cladibus et bellis christianitatem factum est; moderatione et temperantia eorum qui vicerunt salutare et commodum christianitati reperiatur. Neque tamen dubitamus hac optima mente esse et ipsum Caesarem et istum invictissimum regem. Sed tamen nostrae partes fuerunt ut pro pastorali officio illud idem nobis in memoriam redigeremus, in quo scimus maximas partes esse et prudentiae et auctoritatis tuae. Quae ut nunc eluceant cir.ni tuae

pro perpetua laude tuae prestantissimae virtutis elaborandum est. Res est eo loco posita ut remoto eo qui culpam diuturnarum inter christianos dissensionum sustinebat, nunc sit paci et quieti paratus campus, quae si celeriter stabilietur erit occasio divinitus oblata imminentibus et iam iamque instantibus immanissimi Turcae periculis resistendi, quod quidem nisi cito fiat, graviter est pertimescendum ne insigni damno christianitatis errores intestini nostri puniantur. Sed haec tu pro tuo summo ingenio facile intelliges. Nos cum ipso Gregorio Casali cir.nis tuae fidissimo studiosissimoque, quique nobis prudentia sua admodum satisfecit adiunximus ven. fratrem Hieronimum episcopum Wigorniensem totum tibi deditum et tui observantissimum cum quo large et sincere de omnibus sumus locuti. Quem ut referentem tibi benigne audias summamque illi fidem et aliis nunciis ibidem nostris habeas valde cir.nem in Domino hortamur. Datum Romae die iii. Martii mdxxv. Anno secnndo.

(Foris).

Anno secundo mdxxv. Martii iii.

Cardinali Eboracensi pro Gregorio equiti Casalio et Hieronymo Ghenutio episcopo Wigorniensi credentiale.

69.

Regi Angliae.

Carissime. Nihil nobis gratius potuit accidere quam his temporibus missum a serenitate tua fuisse dilectum filium Gregorium Casalem virum prudentem et tibi fidelissimum qui statum conditionesque totius Italiae presens inspiceret; nostrique illius perpetui erga serenitatem tuam animi atque amoris certus posset esse testis, qui cum nostra consilia acta cogitataque perspexerit omnia, tibi ea ipse est cum fide relaturus; evenit autem hoc ipso tempore mirabili Dei iudicio quod neque expectatum nec cogitatum unquam fuit, ut praelio apud Papiam commisso non solum funderetur Franciscus Francorum rex sed ipse etiam caperetur vivusque in potestatem suorum hostium deveniret; quae res, cum humana ratione videatur fieri non potuisse, necesse est intelli-

gamus ita voluisse et ordinasse ipsum Deum; ut quidem credimus infensum iis qui afflictam miseram christianitatem assiduis bellis turbare non desistunt, atque ut omnibus appareat non esse cuiquam fortunae aut potentiae suae sed ipsius unius auxilio confidendum. Nos, etsi alia via ad sedandam et tranquillandam rem christianam tendebamus, nec ea quam voluntas magis nostra quam necessitas temporum prescribebat, tamen et quod a Deo factum est id in optimam accipimus partem; et serenissimo Caesari ac Maiestati tuae de tanto vestro honore et gloria gratulamur quae hoc magis est nobis gratulanda quod speramus vel confidimus potius utriusque vestrum moderatione et prudentia christianae reipublicae consultum fore, quae ut et ab intestinis bellis ac dissensionibus conquiescat et adversus imminentem ac prepotentem Turcarum vim muniatur, maxima nunc si alias unquam urget necessitas. Quod certe a vobis fiet, si et moderari prosperitatis impetum et victoriam non tam terrore cuiusquam quam lenitate et clementia perpetuam retinebitis. Quod et si nobis dubium non est vos effecturos, tamen serenitatem tuam voluimus admonere ad ipsius maxime sapientiam pertinere ita ordinare res christianitatis ut intelligant omnes res secundas vestras nec perniciosas alicui et universo nomini christiano fuisse maxime salutares. In quo tuae partes precipuae futurae sunt. Quando et ipse Caesar tuae plurimum tribuit auctoritati et nos eadem tua virtute et prudentia summe confidimus. (Sed hec et alia aget tecum nostris verbis idem Gregorius Casalis cum quo multum et ampliter de omnibus sumus locuti cui serenitas tua fidem habebit. Datum Romae etc. i. Martii mdxxv. Anno secundo).[1]

[2])Atque ob hec ut serenitati tuae melius et copiosius exponerentur redeunti ad te ipsi Gregorio adiunximus comitem ven. fratrem Hieronymum episcopum Wigorniensem tuarum rerum studiosissimum qui omnia verbis nostris explicaret cui et duobus aliis nunciis nostris ibidem existentibus ut serenitas tua fidem omnem habeat illam in do-

[1]) Quae uncis, inclusimus, deinde deleta sunt.

[2]) Haec verba addita sunt in simili epist. pro episcopo Wigorniensi. Et in fine adnotatur: „Episcopus postea non ivit."

mino adhortamur. Datum Romae etc. die iii. Martii mdxxv. Anno secundo.[1])

(Foris).

mdxxv. Anno secundo. Martii iii.

Anglie regi pro Gregorio Casali equite redeunto ad Caesarem.

70.

Viceregi.

Dilecte fili. Redeunti ad carissimum in Christo filium nostrum Henricum Angliae regem fidei defensorem dilecto filio Gregorio equiti Casalio ac iter istac facienti adiunximus ven. fratrem Hieronymum episcopum Wigorniensem prelatum nostrum domesticum qui ad eundem regem tendens nostra prius tecum communicaret consilia, factaque gratulatione tam insignis victoriae quam Dominus omnipotens serenissimo Caesari et vobis ducibus ipsius ad extinctionem bellorum, ut speramus, omnium et salutem christianitatis concessit, alia deinde exponeret quae nos certo arbitramur christianae reipublicae et ipsi Caesari ad stabilitatem laudis et omnium salutis esse necessaria. Hortamur nobilitatem tuam in Domino ut ambobus ipsis tam equiti Casalio quam prefato episcopo in iis que nostris verbis tibi significaverint fidem omnem habere ac mentem auresque benignas et faciles adhibere velis. Quod facies nobis summopere gratum. Datum Romae etc. die iii. Martii mdxxv. Anno secundo.

Simile mutatis mutandis:
Infanti
Marchioni Piscariae
Duci Borbonii
Duci Mediolani.

[1]) In alio exemplari huius epistolae, ubi notatur: Simile pro episcopo Wigorniensi his adiunctis = non leguntur verba = *sed idem episcopus postea non ivit* = et illis verbis ubi dicitur = cui et duobus aliis nunciis nostris ibidem etc. = deleta sunt verba = *duobus aliis* et hoc videtur ab ipso *Sadoleto* factum nam sub correctione illa signatur *Sad.*

71.

Reginae Angliae

Carissima in Christo filia nostra etc. Redeunti istuc ad carissimum in Christo filium nostrum Henricum Anglice regem fidei defensorem coniugem tuum dilecto filio Gregorio equiti Casalio adiunximus ven. fratrem Hieronymum episcopum Wigorniensem praelatum nostrum domesticum, qui ad eundem regem tendens, nostra etiam tecum communicaret consilia, factaque gratulatione tam insignis victoriae quam Dominus omnipotens serenissimo Caesari et eius ducibus ad extinctionem bellorum ut speramus omnium et salutem christianitatis concessit, alia deinde exponeret quae nos certo arbitramur christianae reipublicae et ipsi Caesari et serenissimo etiam coniugi tuo ad stabilitatem laudis et omnium salutis esse necessaria. Hortamur serenitatem tuam in Domino ut prefato episcopo et coeteris istic nunciis nostris in iis quae nostris verbis tibi significaverint fidem omnem habere ac mentem auresque benignas et faciles adhibere velis, gratiamque omnem tuam et opem et favorem apud serenissimum coniugem tuum ad peragenda mandata nostra et commune totius christianitatis commodum et tranquillitatem procurandam impendere, eundemque ipsum coniugem tuum una cum ipsis nunciis omni studio hortari et rogare, ut quanto ab eodem Deo omnipotente facilior omnibus via ad componendam inter christianos pacem hac insigni victoria videtur patefacta esse, tanto is eam maiore studio ac fervore omni sua auctoritate et prudentia apud Caesarem ipsum, atque se, persuadere velit et procurare. Quod nobis summopere gratum faciet tua serenitas. Datum etc. ut supra.

(Foris).

Anno secundo mdxxv. Martii iii.

Viceregi
Archiduci
Marchioni Piscariae
Duci Mediolani
Duci Borbonio
Reginae Angliae
Pro Gregorio equiti Casalio.

72.

Matri Regis christianissimi.

Dilecta in Christo filia salutem etc. Quantum dolorem acceperimus et quam animo fuerimus perturbati ex hoc casu acerbo et inopinato qui filio tuo regi prestantissimo et nobis omni amore carissimo accidit, tuae prudentiae est existimare; sive enim illius studium erga nos et Sanctam Sedem apostolicam, sive virtutem atque animum dignum illo honore quem gerebat, sive rerum humanarum imbecillitatem variosque et incertos casus cum animo nostro cogitamus, omnia sunt eiusmodi ut magnum in eo detrimentum videatur fecisse haec apostolica Sedes, et universa christiana respublica. Nos quidem adhuc propemodum stupemus, nec satis mentis sumus compotes cum defigimus cogitationem nostram in consiliis summi Dei, qui haec rara et mirabilia quandoque evenire vult; ut ab omnibus intelligatur unam esse in rebus stabilem et firmam, quae ipsi tribuitur fidem ac pietatem, cetera omnia incerta caduca fragilia, quibus confidere nemo sapiens possit. Cuius rei documentum si unquam alias, nunc profecto maximum et apertissimum a Domino Deo datum est. Sed tamen etsi res luctuosa et acerbus est dolor, quem te matrem indulgentissimam pro tali filio accipere necesse est, cuius etiam nos calamitatem patrio merore prosequimur; attamen tibi prudentissimae et religiosissimae foeminae omnis tanti doloris levatio ab eodem ipso Deo petenda est. Ille enim disponit res nostras secundum altitudinem divitiarum consilii sui, per quem quae nobis saepe aspera et intolerabilia videntur, eadem proficua et salutaria sunt, siquidem multa sensibus nostris gravia incidunt et molesta, quae eadem animabus afferunt salutem; omni enim honore et dignitate huius mundi salus animae multo est praestantior, quam maxime affert et comparat patientia, cuius omnis actio atque exercitatio in rebus adversis cernitur. Atque haec nos non ideo scribimus, quin maximam spem habeamus, et filium aliquando tibi, et regno Galliae regem suum, et nobis ac Sedi apostolicae nobilissimum principem restitutum iri, quam spem in nobis et Dei bonitas ac providentia et Caesaris benignitas valde confirmat, sed ut nobilitatem tuam patienter hunc casum ferendo, atque ipsi Deo ultro gratias agendo, omnemque

suam fidem in eo collocando celerius divinam opem ac clementiam impetrare mereatur. In quo, nos quoque nec tibi nec filio tuo deerimus, quantumque et nostrae apud Deum preces et apud optimum Caesarem valebit auctoritas, instabimus et innitimur ut sit filii tui salus ac libertas in pristinum locum restituta. Quod maiore cura et studio efficiemus quam audeamus nunc tibi polliceri. Tu si quid esse in nobis arbitrare quod opportunum esse possit ad tuum dolorem consolandum atque levandum, ita volumus confidas, id totum tibi paratum esse, ut nihil simus gratius habituri, quam ea tibi prestare officia, quae certissima esse testimonia possint nostrae singularis et propensae in tuum et filii tui amorem voluntatis. Datum Romae etc. die iiii Martii mdxxv. Anno secundo.

(Foris).

Anno secundo mdxxv. Martii iiii.

Matri regis christianissimi consolatorium ab filium captum.

73.

Dilecte fili.[1]) Querentes in omnibus quidem christianis sed precipue in nostro et Sanctae Romanae Ecclesiae statu pacem subditorum ac inter ipsos tranquillitatem et ut omnibus tumultibus rapinis iniuriis seditionibus via precludatur, ac intelligentes dilectum filium nobilem virum Ascanium Columnam aliosque nonnullos domicellos romanos cum armatorum copiis per aliqua status ecclesiastici loca iter facturos ac forsitan per terras et oppida dilectorum filiorum Ursinorum stationes et moras habituros, in quo magnum possit accidere periculum, ne ob veteres aemulationes ad cedes utrinque et arma veniatur ac status ecclesiasticus perturbetur; Te, de cuius fide et diligentia bonam opinionem tenemus, commissarium per omnia loca et terras dictorum Ursinorum tenore presentium facimus constituimus et deputamus, tibi iniungentes ut ubicumque opus sit apud dictum Ascanium Columnam aliosque eius amicos et adherentes instare nostro nomine studeas, qua-

[1]) Deest indicatio nominis; sed epistola data videtur commissariis a pontifice nominatis pro tuenda pace et tranquillitate subditorum in motibus Columnensium et Ursinorum.

tenus illi nobis et S.^{tae} Sedi apostolicae cui fide obstricti sunt, debitum honorem et reverentiam habentes, atque ab omni iniuria subditis nostris inferenda abstinentes, quae etiam in nostram iniuriam resultare quodammodo videretur, pacate ac tranquille itinera agant ac a rapinis milites et ab omni insolentia arceant, ac vicissim tu in dictis terris Ursinorum cura et auctoritate provideas ut transeuntibus militibus ipsis eorumque ductoribus, quatenus opus sit, de victualibus et commeatu pro honesto pretio copia fiat utque utrinque ita inter se agant, alterque alterum tractent ut nos ambarum partium modestiam et erga nos observantiam commendare laudareque possimus; quod accipiemus summopere gratum; super quibus omnibus amplam tibi tenore presentium concedimus facultatem. Datum Romae die vi. Martii mdxxv. Anno secundo.

(Foris).
mdxxv. Anno secundo Martii vi.
Commissariatus etc.

74.

Viceregi.

Dilecte fili. Ex litteris nobilitatis tuae die tertia Martii datis et ex eis quae dil. fi. Bernardinus Castellacius electus Casalensis nobis rettulit cognovimus curam et sollicitudinem quam geris de conservatione regni Neapolitani quam tibi et fidei tuae erga serenissimum Caesarem dominum tuum convenire intelligimus; sed et nos non sumus cunctati quin manum illam militarem que id regnum oppugnatum ibat, accepto nuncio felicis vestrae victoriae iuberemus commorari et se intra fines nostros contrahere, damusque operam ut tota dissolvatur, sicuti iam aliqua ex parte soluta est, ad quod negotium adhibemus dil. fi. nobilem virum Aloisium Suessae ducem, caesareum apud nos oratorem, qui te de his plenius edocere poterit. Quamobrem quod partem istius exercitus huc destines huius periculi propulsandi causa, nihil est quod amplius in eo tua nobilitas laboret, nostra enim cura omnia providebuntur qui tamen dissipatis reliquiis multorum innocentum quod ad

vitam et salutem eorum attinet cupimus consultum esse.[1]) Nos et cum prefato duce ac dil. fi. Jo. Bartholomeo de Gattinaria caesareis oratoribus quotidie consilia conferimus per quae nostra quae optima semper fuit in Caesarem voluntas facile cognosci possit, et de omnibus his rebus quas nobis significandas curasti supradicto Bernardino electo Casalensi mandata ad te dedimus latius tecum communicanda, cui propediem ad te venturo fidem omnem habere poteris. Datum Romae etc. die vii. Martii mdxxv. Anno secundo.

(Foris).

Anno secundo mdxxv. Martii vii.

Viceregi.

75.

Caesari.

Carissime etc. Etsi diebus superioribus cum bellum in Italia maxime arderet nos, miserantes duram huius nobilissimae regionis conditionem ac gregi nostro dilecto pastorali cura affecti, alia quadam via ad communem pacem tendebamus, sublatisque inter serenitatem tuam et regem Francorum dissidiorum causis, concordiam suadebamus; tamen postquam Deo omnipotenti aliud visum est, atque eius nutu ac numine, arma non per compositionem dimissa sunt, sed per victoriam detracta; id quod evenit, evenisse nos quidem laetamur ut ad arbitrium et providentiam tuam cum magna tua gloria bello feliciter confecto, ipso Francisco Gallorum rege capto et in tuorum ducum potestatem redacto, salutis et quietis omnium spes ac ratio delata fuerit.

[1]) Addita erant sequentia verba postea omissa et linea transversali signata: „Transitus vero tui victoris exercitus per loca nobis et Sedi apostolicae subiecta aliquam subditis nostris afferre posset forte perturbationem quae nobis accideret molestissima, qui hanc serenissimi et nobis in omni amore coniunctissimi Caesaris victoriam speramus et confidimus nobis letitiae, universae christianitati pacis et tranquillitatis plenam fore. Itaque facies nobis gratissimum si ab hoc omnino consilio hoc tempore destiteris. Nam quin nos omnes tumultus et coitiones armatorum in tota Sanctae Romanae Ecclesiae ditione divulsos et sublatos velimus dubium tibi non sit“.

In qua constituenda hoc tibi magis elaborandum est, quo sunt in te divina beneficia maiora. Nam cum tua serenitas assecuta fuerit victoriam, cui similem nec prisca unquam secula viderunt; non in eo tua magnitudo ampla est, quod viceris, potest enim hoc saepe etiam indignis fortuito et casu evenire; sed in eo tua virtus praeclara et gloriosa futura est, si hac victoria iuste, temperate, prudenter usus fueris, quanquam nos hoc magis ex abundantia cordis et amoris erga te nostri scribimus, quam quod iudicemus te huiusmodi monitionibus indigere, quem semper novimus tum Deo deferentem tantum, quantum ab optimo principe aequum est deferri, tum in amplissimis donis ac beneficiis quae tibi ab eodem tributa sunt, gratiam illi et pietatem semper referentem. Sed est huius temporis occasio eiusmodi, ut nunc maxime per te providendum sit, ut omnes intelligant victoriam et felicitatem tuam omnibus saluti et commodo esse, quo maxime modo illa stabilis et diuturna futura est. In qua tamen voluntate ac deliberatione et manere te et esse mansurum tum tua proba mens et iustissima natura tum etiam duces et actores tui hic sua virtute et temperantia ostendunt; in eorum enim modestis actionibus iam apparere omnibus incipit lumen integritatis et sapientiae tuae. Nos quidem pro nostro perpetuo de tuis praestantissimis virtutibus animi iudicio, proque ea benivolentia qua serenitatem tuam semper mirifice prosecuti fuimus, tibi de omni tuo honore et gloria et amplitudine gratulamur, maximamque ad nos ex iis rebus laetitiam pervenisse confirmamus. Ac quod cum voluntate summi Dei et Italiae tranquillitate omniumque salute fiat, tibi ad tuam victoriam et felicitatem stabiliendam, augendam, confirmandam, omnem nostram opem, amorem, studium, auctoritatem, diligentiam deferimus et pollicemus. De quibus omnibus et aliis etiam quae arctius et melius nostram optimam voluntatem in res tuas ostendant dedimus mandata per litteras, dilecto filio Baldassari Castilioneo notario et nuncio nostro, aut eo absente Jo. Corsio oratori Florentino, ut cum tua serenitate uberius et plenius agant, quibus illa fidem omnem habebit. Datum Romae etc. ix. Martii mdxxv. Anno secundo.

76.

Marchioni Piscariae.

Dilecte fili. Cum dilectum filium Bernardinum Castellacium electum Casalensem ad vos istuc remitteremus quid nostri sit animi et optimae erga serenitatem caesaream et vos omnes voluntatis accurate et diligenter instructum, mandavimus illi ut verbis nostris conferret cum nobilitate tua omnia; tibique de tuae eximiae virtutis laude gratularetur, cui nos quoque qui te semper in filii dileximus loco, valde per litteras gratulamur, nam in maximo et periculosissimo conficiendo bello tua virtus praeclara ita enituit ut omnium iudicio in communi cunctorum laude precipuam quamdam gloriam fueris assecutus, quod hoc nobis gratius est quod in homine collocata est, cuius prestantem erga nos benivolentiam et animum cum ser.mi Caesaris dignitatis cura communi christianae reipublicae saluti deditum semper sumus experti. Sed haec nostra gratulatio et rerum gestarum tuarum commendatio quia breviter tractanda non est uberiusque officium requirit, eam in commodius tempus reiiciemus. Tu ut nunc ipsum Bernardinum humane et attente audiendo plenam illi fidem habeas, omnique tua ope illi in rebus nostris et auctoritate assistas, valde nobilitatem tuam in Domino adhortamur. Datum Romae die ix. Martii mdxxv. Anno secundo.

77.

Viceregi.

[1])Tibique de hac mirabili victoria denuo gratularetur, quam sumus his diebus ei per litteras nostras gratulati in qua paranda et consequenda quoniam tuae prudentiae ac virtutis partes maximae fuerunt, erit constantiae tuae easdem quoque partes adhibere ut fundamenta iaciantur perpetuae quietis ac salutis: sed quoniam de his et aliis sumus cum ipso Bernardino copiosius locuti qui ad te relaturus est, hortamur tuam nobilitatem in Domino ut eum attente et diligenter audire fidemque illi indubiam adhibere velis. Datum die eodem etc.

(Foris).

Anno secundo mdxxv. Martii ix.

Marchioni Piscariae et simile Viceregi mutatis ut intus.

[1]) Post initium quod sicut in antecedenti habetur, prosequitur istis verbis.

78.

Magno Cancellario Caesaris.

Dilecte fili. Magna magnalia quae fecit Deus iam ad devotionem tuam delata arbitramur vel potius certum habemus; certe id accidit quod nemo arbitratus est posse evenire, ut non solum rex potentissimus cum exercitu maximo funderetur, sed caperetur ipse etiam, vivusque in hostium caderet potestatem; cuius tantae et tam mirabilis victoriae etsi caesarei duces ac felicitas ipsius Caesaris magnum nomen obtinent, tamen Dei omnipotentis manifesto iudicio hec decisa sunt, qui ostendere voluit et infestos sibi esse qui semper bellum et arma appeterent, et caros quorum voluntas et consilia ad pacem fuissent proniora. Nos quidem etsi alia via sperabamus componi posse pacem; atque ideo ad neutram partem inclinavimus ut pacis hortatrix et monitrix vox nostra plus haberet auctoritatis, in qua mente et sententia perpetuo mansisse nos, quamquam multis acta nostra calumniantibus cursus et exitus rerum ipse declarat, tamen laetamur, si bellum fuit non compositione sed victoria terminandum, res ita ut acciderunt accidisse; nam cum amor noster perpetuus erga ser.mum Caesarem tum illa egregia opinio quam de eius omni summa virtute et modestia et in ipsum Deum religione habemus, semper nobis optabilem fecit illius amplitudinem ac dignitatem; quam tam illustri victoria auctam et ipsi per litteras gratulati sumus et devotioni quoque tue ex animo gratulamur. Quod hoc liberius et secundum Deum magis agere nos non dubitamus, quod certe confidimus Caesaris ipsius optimam et iustissimam mentem ad tranquillandae Italiae studium et christianae reipublicae adversus vim et arma infidelium constituendae ac confirmandae curam promptam et paratam fore, quo maxime modo et presentem victoriam perpetuam retinebit et longe maiorem iustitiae ac moderationis gloriam assequetur quam bellicae felicitatis fuerit assecutus. In hoc autem officio ac consilio ut quae deinceps gerenda sunt temperate prudenterque gerantur, atque haec victoria omnibus saluti et commodo cedat, est tuae quoque auctoritatis partes suas quas plurimum valere scimus apud Caesarem interponere, hicque maxime ostendere et prudentiam tuam et eam quam nobis saepe ostendisti optimam in nos et

Sanctam Sedem apostolicam voluntatem.[1]) Quod etsi facturum te fuisse tua sponte scimus, voluimus tamen adhibere modicam hanc hortationem et tibi in memoriam reducere nostram si in quoquam homine posita est, in te uno maxime fixam et locatam esse fidem ac rerum omnium bene gerendarum spem: quam ut tua virtute et sapientia confirmes devotionem tuam magnopere in Domino adhortamur. Deque his omnibus et pluribus aliis dilecto filio Baldassari Castilioneo nuncio nostro aut, si is abfuerit, Jo. Corsio oratori Florentino fidem amplam adhibeas eorumque acta adiuves, quod facies nobis super omnia gratissimum. Datum Romae etc. die ix. Martii mdxxv. Anno secundo.

79.

Archiduci.

Dilecte fili etc. Quod iudicium de paulo ante ancipiti et periculoso bello quod in Italia gerebatur factum est, etsi in eo militum virtus ducum singularis providentia tuae nobilitatis cura et auctoritas ser.mi Caesaris felicitas multum potuerunt tamen Dei voluntate et consilio transactum fuisse non dubitamus, cum presertim hominum ratio talem rerum exitum non videretur posse expectare; ut enim magnum fuerit vincere et fugare regem potentissimum pellereque ex Italia tantam vim collecti exercitus, capere certe et prope momento victoriam adipisci prelio hoc beneficium divinum non humanum factum est, ex quo possumus manifesto cognoscere infensos Deo omnipotenti esse quorum mens bellis in christianos conserendis nimis fixe intenta est. Sed nos, etsi alia prius via tendebamus ad pacem, potiusque compositione et concordia finiri bellum quam victoria cupiebamus, cuius nostrae piae et sincerae voluntatis ea quae acta per nos sunt quamquam multis

[1]) In originali minuta haec sequebantur quae deinde omissa sunt: „Certe enim hoc maxime opportunum tempus est agendi et procurandi ut huiusmodi rite administretur et gubernetur victoria, quae omnium mentes conciliatura Caesari est ad stabilitatem illius amplitudini sempiternam. Nos et pro vetere nostra erga ipsius serenitatem benivolentia; et pro salute communi Italiae totiusque christianitatis ita illi adhesuri omni fidissimae et perpetuae societatis vinculo sumus“.

animum nostrum calumniantibus fidem certam prebuerunt, quarum et actionum et voluntatum nostrarum confidimus te iam non solum conscium sed fidum et benevolum esse et fore testem, tamen si hoc futurum fuerat ut ad certaminis discrimen veniendum esset id quod accidit potius multo accidisse letamur; veterem enim et perpetuam et, quamquam multis prave interpretantibus, fidelem et singularem in Caesarem benivolentiam nostram haec illius nova gloria summa voluptate affecit; noluissemus sanguinem nec damnum cuiusquam, sed quantum ad decus Caesaris attinet est id nobis super omnia gratissimum; atque eo gratius quod nobilitatem tuam tanti honoris et decoris non modo participem verum etiam ducem atque auctorem esse intelligimus; quam nos plurimis maximisque de causis in filii semper habuimus loco. Itaque quod Caesari ipsi per litteras fecimus id quoque nobilitati tuae de tua omni amplitudine et gloria vere et ex animo gratulamur, hancque laudem vobis perennem et propriam optamus. Quod vero in tanta laetitia et gratulatione paternum est et nostri proprium honoris atque officii et Caesarem amice admonuimus et tuae quoque nobilitati volumus esse suggestum; hanc admirabilem incredibilemque victoriam ita tibi fore perpetuo commodo et voluptati, si ea quae deinceps gerenda sunt, iuste moderate clementerque gerentur; est enim tibi elaborandum ut hunc secundum et prosperum cursum rerum non ad aliorum damnum et detrimentum sed ad tranquillitatem Italiae orbis christiani salutem vestrae quoque virtutis et iustitiae exercitationem assecuti esse videamini. Sed haec tu pro tua prudentia etiam sine monitu nostro facile intelliges. Nos quae nostrae in te partes patrii amoris sunt cum vobis studeamus in reipublicae christianae commodum esse coniuncti quantum cum Deo possumus, quae ad vestram laudem auctoritatem dignitatem fovendam confirmandamque pertinent suntque ea in potestate nostra omnia et tibi et ser.^mo fratri tuo et deferimus et pollicemur, sicut cum eadem nobilitate tua dilectus filius Hieronymus Rorarius camerarius noster verbis nostris aget; cui illa fidem habebit. Datum Romae die x. Martii mdxxv. Anno secundo.

(Foris).

Anno secundo mdxxv. Martii x.

Archiduci Austriae.

80.

Marchioni Piscariae.

Dilecte fili. Cum mitteremus ven.em fratrem Antonium episcopum Pistoriensem prelatum nostrum domesticum ad vos, qui et gratulationem vobis nostram tantae et tam admirabilis victoriae *cuius honor post Deum tuae virtutis est proprius*[1]) renovaret et viseret etiam consolareturque nostro nomine carissimum in Christo filium nostrum Franciscum Francorum regem christianissimum quod hoc officium nobis tanquam vicario Christi et omnibus afflictis misericordiae debitori convenire maxime intelligebamus, mandavimus illi ut cum nobilitate tua aliqua nomine nostro loqueretur, hortamur eandem tuam nobilitatem in Domino ut eum benigne audire fidemque illi indubiam adhibere velis quod facies nobis summopere gratum. Datum Romae etc. die xii. Martii mdxxv. Anno secundo.

Similia:
Duci Borbonii
Duci Mediolani
Frerdinando de Larcon
Antonio de Leva.

81.

Regi Francorum.

Carissime. Etsi ex eo eventu rerum qui preter expectationem omnium serenitati tuae accidit, eam molestiam contraximus quam humanae imbecillitatis cogitatio et nostra erga te paterna voluntas postulabat, tamen cum ad illam curam animum converteremus, esse Deum omnipotentem gubernantem omnia, qui saepe ea quae gravia et aspera nobis videntur esse, ex altitudine sui infiniti consilii ad optimum finem dirigit, freti etiam ingenio et prudentia tua, cum acquievimus animo voluntati summi Dei, tum etiam ad consolandum te et optimam nostram mentem in hoc adverso tempore tibi declarandam misimus ven. fratrem

[1]) Quae sequiori charactere impressa sunt, subsignata leguntur in minuta originali.

Antonium episcopum Pistoriensem prelatum nostrum domesticum, qui et dolorem nostrum ex tuo casu et spem eam quam haberemus meliorum rerum tibi exponeret; confidimus enim Domino Deo qui propter magnam suam pietatem et misericordiam, si ad eius opem supplex confugeris vimque illius et potestatem fueris deprecatus, quod tamen te pro tua religiosa voluntate facere non dubitamus, te in prosperiorem statum restituturus erit. De ipso quoque ser.mo Caesare spem maximam habemus, cuius bonitas est nobis cognita et clementia perspecta quod is victoria sibi a Deo delata temperate et sapienter usurus erit tractaturusque serenitatem tuam tanquam regem clarissimum non velut hostem. In his quidem omnibus, vel si que alia fuerint quae sint nostrae facultatis, apta ad minuendum ac levandum casum tuum, quantum cum Deo et iustitia licebit non sumus ullo tempore ser.ti tuae defuturi, interponemusque partes nostras apud ipsum Caesarem, ut sit in te illius voluntas placatior, atque ea denique agemus omnia per quae appareat nos et amoris nostri pristini erga te memores esse, et ad misericordiam opemque prestandam indigentibus propensos. De quibus quoniam dictus Antonius episcopus Pistoriensis latius habet in mandatis, eum serenitas tua attente audiet fidemque illi indubiam in cunctis adhibebit. Datum Romae etc. die xii. Martii mdxxv. Anno secundo.

82.

Viceregi.

Dilecte fili. Bis iam ad nobilitatem tuam scripsimus tum respondentes litteris tuis, tum admirabilem hanc excellentemque victoriam et tibi et serenissimo Caesari gratulantes; quarum litterarum primas molestissimum fuit nobis ad te delatas statim non fuisse; casu enim quodam reportatae in urbem denuo tum ad te per dil. fil. Bernardinum Castellarium electum Casalensem nuncium nostrum remissae sunt; atque in ambabus illis praeter gratulationem fuit etiam significatio non parva nostrae voluntatis qua ipsi Caesari omnino coniuncti esse volumus; quamquam non erit nova nostra coniunctio, cum tantus semper amor inter nos et illum intercesserit, sed ut perpetuo federe copulemur, id

statutum habemus: in quo ratio ab illo quoque habeatur dignitatis nostrae: nec ulla in re deesse volumus quae sit apta ad stabiliendam et perpetuandam ipsius amplitudinem; cum autem nunc quoque mitteremus ven. fr. nostrum Antonium episcopum Pistoriensem prelatum nostrum domesticum et huius eiusdem officii causa et ut carissimum in Christo filium nostrum Franciscum etc. nomine nostro viseret ac consolaretur, quod officium pro honore quem gerimus vices Christi representates et pro ea misericordia quam afflictis debemus, ad nos maxime iudicavimus pertinere, mandavimus illi ut cum nobilitate tua aliqua verbis nostris loqueretur; hortamur eandem nob.tem tuam in Domino ut eum benigne audire fidemque illi in omnibus indubitatam habere velit. Datum Romae die xii. Martii mdxxv. Anno secundo.

83.

G. Salamancae Comiti Ortemburg.

Dilecte fili. Optimum animum principis istius nobis omni ratione charissimi atque tuum erga christianam rempublicam atque nos, etsi semper habuimus perspectum, tamen quod eius melius ostendendi et bene de eadem christiana republica promerendi facultatem nobis ampliorem Dominus Deus attribuit id certe et nostra et tua et omnium gratulatione dignum est; dedit enim ipse qui omnia suo infinito consilio moderatur Caesaris partibus eam victoriam cuius similem nulla secula viderunt, nec dubitamus quin et is ad optimum finem tanta benignitate in serenissimum Caesarem et fratrem ipsius pari virtute preditum usus sit et ambo sint ipsius singulare beneficium ad eiusdem laudem ac decus conversuri; videtur certe pacis omnis potestas ad eos delata; quam ut apprehendere et regere et temperantia ac moderatione perpetuam sibi hanc victoriam et gloriam conservare velint non solum expectandum ab illis est sed et illorum virtuti ac sapientiae magnopere confidendum. Nos ad hunc eundem finem pacis inter christianos et christianitatis adversus impios Dei hostes defendendae omnia semper nostra consilia dereximus; summeque laetamur hanc quoque devotionis tuae mentem et voluntatem esse. Quam ex tuis intelligere litteris fuit nobis charissimum; et quoniam sicut nostra mens cum ipsis serenissi-

mis fratribus Caesare et tuo principe cum semper coniuncta omni studio amoris fuit tum in posterum esse vult, quamquam necesse non est, hortabimur tamen devotionem tuam ut pro loco et auctoritate quam geris des operam atque enitare ut aliquando virtute tuorum principum christiana res in meliorem et tutiorem locum deducta esse videatur quod maxime fiet hereticis extirpandis et infidelibus contundendis; cuius tuae operae et diligentiae tum maximos a Deo fructus tum a nobis et aliis omnibus quales licebit poteris sperare atque expectare. Datum Romae die xxi. Martii mdxxv. Anno secundo.

84.

Bernardino de Frangepanibus.[1])

Dilecte fili. Litterae tuae plenae officii atque amoris fuissent nobis multo gratiores si te quem valde in Domino diligimus nullis molestiis oppressum intellexissemus; certe enim dolendum est Deum omnipotentem peccatis nostris infestum tantum arbitrii et licentiae efferatis hostibus christiani nominis tribuisse ut semper nostris damnis vires suas ostendere et ampliare audeant. Quem nos speramus ipsius freti misericordia aliquando mitius et benignius res nostras respecturum, hoc maxime tempore quo tanta et tam admirabili victoria ad ser.mum Caesarem delata, viam nobis munire ad sanctam expeditionem videtur. Itaque nos et instamus assidue ut hoc necessarium bellum adversus Turchas suscipiatur et interim dum hoc fiat tui et rerum tuarum omnium curam quantum nobis licebit non sumus omissuri; te in Domino hortantes ut pro tua et maiorum tuorum pietate ac virtute forti resistere animo et acquirere perpetui meriti gratiam apud Deum et nos contendas. Nos certe nobilitati tuae ex animo favemus, ipsamque diligimus salutemque et tranquillitatem tuam aliqua nobis oblata occasione sumus cordi habituri. Quod vero ad iubileum istis indulgendum attinet, gratiam tibi nostram libenter impartivimus sicut per alias nostras litteras cognosces, in qua ea re et aliis omnibus omnem nostram paternam benignitatem tibi et tuis rebus sumus semper praestituri; sicut coram

[1]) Comes Clysiae qui summa virtute insultibus Turcarum obstiterat.

exposuimus nuntio tuo, qui tibi plenius referet. Datum Romae die xxi. Martii mdxxv. Anno secundo.

85.

Viceregi.

Dilecte fili. Quod nostram cum ser.mo Caesare coniunctionem vinculis colligari indissolubilibus optas, ut iam alias ad nobilitatem tuam scripsimus, nostrum id potissimum est desiderium quanquam in amore non novum; sed quod ad federis rationem attinet, cum ipsius hic oratoribus quotidie in tractando versamur et iam iamque sumus conclusuri quod celerrime homine dedita opera misso tibi significabimus; vere enim quo plus Dei iudicia animo volvimus hoc magis intelligimus preclara divina erga eum beneficia ad constituendam et stabiliendam salutem totius christianitatis maxime apta fore, virtute autem ipsius et prudentia et bonitate precipue confidimus. Quare existimes volumus, nos et que grata illi ac tibi et que a bono pontifice expectanda sunt libenter et sedulo esse facturos, sicut cum nob.te tua dil. fi. Bernardinus electus Casalensis nostro nomine aget, cui fidem habebis. Datum Romae die xxii. Martii mdxxv. Anno secundo.

86.

Matri Regis Christianissimi.

Dilecta in Christo filia. Scripsimus alias ad nobilitatem tuam post acerbum eum qui evenit casum cum dolorem nostrum quem non mediocrem ex ea re accepimus tecum communicantes, tum dolori tuo consolationem eam adhibentes, quam et amor in te paternus noster et tua singularis virtus postulabat. Quanquam enim rei gravitas et inopinati casus magnitudo quenlibet constantem animum potuit permovere; tamen de tua prudentia eam opinionem habemus ut existimemus eventus humanos non tantum habere virium ut te penitus labefactare et convellere possint, presertim confidentem Deo altissimo, qui quandoque sinit contingere talia ut sit postea illius benignitas et misericordia illustrior; itaque quod tunc scripsimus nunc quoque idem re-

petimus non dubitare nos serenissimum filium tibi, regem suum Galliae redditum iri, quam spem in nobis excitat Caesaris ipsius optimi principis bonitas et summi Dei clementia, quos nos ambos quantum in nobis erit precibus nostris placare non desistemus. Cum autem nunc cum dilecto filio Joanne Langiato regio consiliario et magistro requestarum homine prudente et singularibus virtutibus predito multum de te et rebus tuis omnibus essemus locuti, hortati sumus eum ut nob.tem tuam nostro quoque nomine ipse consolaretur ac tibi paternum animum nostrum in omnibus aperiret, in quo is nobis et sermone apto atque prudente et omni significatione fidei atque amoris erga res vestras satisfecit; cuius de virtutibus quamquam multa multorum testimonio antea intellexissemus, tamen illae nobis postquam illum propius agnovimus visa sunt maiora; idoneum igitur iudicavimus, qui benevolentiam nostram ad te et studium rerum vestrarum omni honesta ratione apud Caesarem ipsum presertim iuvandarum perferret, cui ut fidem in his habeat nob.tem tuam enixe adhortamur. Nos pro peculiari illo amore quo et natum tuum filium nobis charissimum et nob.tem tuam sumus prosecuti, etsi alias idem fecimus, tamen nunc quoque tibi omnem operam gratiam consilium auctoritatem nostram quantum ex boni pastoris officio licitum est et referimus et pollicemur, nihilque praetermissuri sumus quod aptum esse possit ad levandam et mitigandam ut supra diximus calamitatem tuam sicut ab eodem Langiato quem amare non mediocriter cepimus nob.tas tua plenius intelliget. Datum Romae die xxiiii. Martii mdxxv. Anno secundo.

87.

Magno Cancellario.

Dilecte fili. Cum reverteretur ad ser.mum Caesarem dil. fil. Jo. Bartholomeus de Gattinaria qui devotioni tuae virtute et prudentia similis consanguinitate coniunctus est, etsi huic homini, cuius fidem doctrinam dexteritatem, et in omni genere mentem integram rectamque sumus experti omnia nostra consilia credididimus, quae ad te eum afferre voluimus, tamen his quoque litteris voluimus te admonere, nihil nobis unquam magis ex sententia accidisse, quam quod sine scrupulo

cum honore et debito huius personae quam gerimus potuimus Caesari omni benevolentiae et federis vinculo coniungi; quamquam in amore et benevolentia quidem nihil in animo nostro novatum est; sumus enim qui fuimus; nec tempus ullum fuit quo eius nobis non esset maiestas et amplitudo omni humana re carior. Sed quod intus molestum et ardens gerebamus, id omni iam impedimento ei obice sublato potuimus in apertum patefacere; nam antea quidem cum Gallorum terrores et pericula in Italia versarentur, cumque percrebuisset opinio fere omnium communis viribus illorum diutius non posse resisti; tum videbatur nobis pontificiae personae consentaneum neutro se dare, et in mediis aliorum contentionibus communis patris gerere personam; tum vero timores et pericula nostri et ecclesiastici status nos eo adduxerunt ut et nostrarum rerum securitatem ab ipso Francorum rege quaereremus et vicissim ei illam a nobis sponderemus, qua conventione facta cum multorum iniquis obtrectationibus tanquam aliarum partium facti insimularemur perstitimus tamen in suscepta neutralitate, totiusque belli iudicium, in quo nos multum momenti facere potuissemus si alienae voluntatis fuissemus, Deo omnipotenti permisimus, qui sua ineffabili providentia, quantum et Caesaris causa vellet, et suae sanctae fidei a Caesare expectaret, inopinato et admirabili beneficio declaravit; ergo hec sic effecta sunt, quae nobis exitu ipso grata et probata, in expectatione dubia et anxia extiterunt; ubi autem primum locus datus est sine pontificii honoris preiudicio iungere nos Caesari, nec solum amoris pristini fide, sed vinculo etiam sanctissimi et perpetui federis; quo animo et cuiusmodi studio id effecerimus, habebis non solum rectum sed verum et conscium dicti Jo. Bartholomei testimonium; quamquam nos nullo teste magis nitimur quam conscientia et veritate. In ipso quidem federe tractando quid nos Caesaris amplitudini tribuerimus res ipsa fidem faciet. Nunc quando iam fedus ictum est et aeternae ac singularis amicitiae coniunctio corroborata etsi te tua sponte omnibus officiis huic coniunctioni suffragaturum novimus, voluimus tamen hortari devotionem tuam ut et nos ipsa sibi persuasissimum haberet optima fide sincera voluntate accessisse ad confederationem hanc, in illaque perpetuo permansuros esse, et de eadem re ser.mo Caesari fidem pro nobis ipsa preberet. Quam federis coniunctionem Deo altissimo

freti confidimus non solum ad Caesaris ipsius amplitudinem et gloriam, sed ad totius christianae reipublicae salutem et utilitatem redundaturam esse. In quo preclaro opere et munere tuae bonitatis et prudentiae partes non mediocres futurae sunt. Sed haec quae pluribus verbis exponenda essent brevius attingemus, quum ipsum Jo. Bartholomeum habiturus et omnium apprime rerum instructum, qui una cum dilecto filio nobili viro duce Suessae egregiam operam et industriam ad conficiendam hanc nostram coniunctionem adhibuit, cuius integritatem et prudentiam nisi summe probavissemus, misissemus aliquem ex nostris, sed eo uno fuimus contenti; cui et dil. fi. Balthassari Castilionio nuncio nostro ut devotio tua fidem omnem habeat illam in Domino magnopere adhortamur. Datum Romae etc. die iii. Aprilis mdxxv. Anno secundo.

88.

Caesari.

Carissime in Christo fili noster salutem etc. Magnum a Deo beneficium quotidie magis sentimus quod remoto omni impedimento atque obice indulgere perpetuo nostro et summo amori erga serenitatem tuam, et tibi sine ullo scrupulo coniuncti esse possemus. Nam superioribus diebus Gallorum tumultu et terrore Italiam occupante, cum graviter nobis pro nostra et status ecclesiastici incolumitate esset pertimescendum, vigeretque in animis omnium opinio non posse illorum viribus diutius resisti, aliam quandam rationem componendae et conciliandae pacis tentavimus, nec quam voluntas nobis nostra, sed quam temporum difficultas praescribebat; quam cum transigere et efficere non possemus, sic visum fuit nobis nostro et Sedis apostolicae periculo esse providendum, ut securitatem ab ipso rege Francorum quereremus, vicissimque eam illi nos traderemus, nemo est profecto cum equitate iudicans, qui illud consilium non cautum et necessarium debeat existimare, quid enim futurum esset divinare nemo poterat. Judicium autem Dei altissimi, postquam is meliori modo et via paci et tranquillitati Italiae consulere voluit, magis probatum fuit, posteaquam factum est, quam esset antea speratum. Noster quidem singularis et eximius

amor qui ex tuis plurimis et maximis in nos ipsos et Sanctam hanc Sedem officiis intus in animo nostro vivebat, nunquam omnino fuit vel minima ex parte diminutum. Cuius animi et voluntatis nostrae ea signa dedimus quae honeste dare licuit, contra enim eorum, qui nostras actiones sinistre interpretabantur opinionem, quievimus ab omni studio partium et in neutralitate mansimus; sicut res ipsa et belli eventus ultimus declaravit; re quidem confecta simul atque libere cum honore et debito huius personae quam gerimus, capere consilium rebus nostris, et quod cupiebamus efficere potuimus, cogitare cepimus et tractare quo modo tibi iam in perpetuum non solum nomine benivolentiae, sed omni vinculo societatis et federis coniuncti essemus. Itaque adhibitis in hanc tractationem dilectis filiis nobili viro Aloysio de Corduba duce Suessae et Joanni et Bartholomeo de Gattinaria ser.tis tuae oratoribus, conditiones federis instituimus examinare, hortante etiam et instante dilecto filio nobili viro Carolo de la Noy vicerege Neapolitano, et ser.tis tuae in Italia capitaneo generali. Quas etiam Deo aspirante, qui nostrae optimae voluntati suffragatus est, die prima huius mensis conclusimus et stipulati sumus. Quod quando Dei optimi maximi providentia ut volebamus effectum est, nos de tuae quidem ser.tis erga nos animo et voluntate sperare omnia bona possumus; de nostra quidem erga te hoc tibi pollicemur, nos optima fide, sincera voluntate, ardenti studio, animo sempiternae et inviolabilis quoad vita nostra producetur amicitiae et societatis tecum conservandae ad hoc foedus accessisse; quod etsi scriptis, assensu, promissione, subscriptione etiam nostra vallatum est, maiora tamen id continebunt vinculo summi amoris, quam cuiusvis obligationis: spe enim certa tenemur, tantam gloriam et potestatem tibi esse a Deo Domino delatam, ut per te serius quidem quam christianitatis pericula postulabant, sed aliquando tamen christianae fidei saluti consuleretur, quae quo modo exposita sit tum hereticorum venenis et seditionibus, tum immanissimorum et ferocissimorum Turcarum armis atque iniuriis, facilius potest existimare ser.tas tua quam nos scribere. Te quidem incolumi ac victore sperandum nunc certo est, Christi Domini nomen et imperium non modo defendendum ab impiis et inimicis, sed in veterem amplitudinem esse restituendum. Quod ut is tibi concedat, qui omnium bonorum auctor est, atque ut nobis frui

tecum tanto gaudio et felicitate liceat, eundem Deum et Dominum nostrum Jesum Christum supplices deprecamur. Sed haec eadem alias inter nos, ac ut speramus coram in ipsis optatis amplexibus nostris, communicabuntur. Nunc cum et tui docendi de omnibus quae acta sunt causa, et nostro etiam hortatu ac suasu supradictus Joannes Bartholomeus tuus orator ad ser.tem tuam profecturus esset, nos cognoscentes in hoc viro talem esse prudentiam tantamque fidem et dexteritatem, quantam in paucissimis sumus experti, quae eius virtus, diligentia, assiduitas, studium nostrae coniunctionis procurandae nos maiorem in modum illius virtuti, integritatique devinxit, nec curavimus alium de nostris mittere, et huius unius fidei ac probitati recte omnia nostra consilia committi iudicavimus, qui ea ad te deferret. Cum is praesertim assiduus testis et spectator actionum voluntatumque nostrarum, verum ad te et integrum testimonium posset afferre, locuti igitur sumus cum eo omnia, quae cupiebamus a te de nobis sciri, ac de eisdem scribi ad dilectum filium Balthassarem Castilioneum nuncium istic nostrum mandavimus. Quibus utrisque referentibus tibi et significantibus, ut ser.tas tua plenissimam fidem rerum omnium habeat, illam in Domino vehementer adhortamur. Datum Romae etc. die iii. Aprilis mdxxv. Anno secundo.

Sequitur credentiale pro Jo. Barth. de Gattinaria.

Cardinali Cortonensi
Cardinali de Salviatis
Marchioni Piscariae
Duci Mediolani.

Die et anno ut supra.

Sequitur aliud credentiale pro eodem ad Balth. Castilioneum nuncium, in quo id speciale est quod pontifex ait se mandasse ei perscribi per archiepiscopum Capuanum omnia sua consilia a Joh. Barth. de Gattinaria ad Caesarem perferenda.

Die et anno et supra.

89.

Cardinali.

Dilecti fili noster. Redeunti ad ser.mum Caesarem dil. fi. Jo. Bartholomeo de Gattinaria, qui ser.tis suae oratorem apud nos egit, homini summis virtutibus predito et bene de salute omnium et pace christianitatis sentienti, nos quoque illius fidem et integritatem secuti mandata illi nostra dedimus ad Caesarem perferenda; et cum iter per Galliam facturus esset, voluimus ut aliqua tecum nostris verbis colloqueretur. Hortamur igitur circumspectionem tuam in Domino et instantissime petimus, ut eum omni tua gratia excipere tutumque illi transitum et expeditum reddere, fidemque in omnibus quae a nobis dixerit adhibere velis, in quo non solum nobis rem gratissimam sed utilitati omnium conducentem effeceris. Datum Romae die iii. Aprilis mdxxv. Anno secundo.

(Foris).

Anno secundo mdxxv. Aprilis iii.
Duobus cardinalibus
Duobus nobilibus
Duci Sabaudiae
Quinque brevibus pro Jo. Bar. de Gattinaria.

90.

Viceregi.

Dilecte fili etc. Postquam noster perpetuus amor in ser.mum Caesarem, omni iam per Dei providentiam impedimento sublato, non solum voluntate sed etiam arctissimis vinculis societatis et federis colligatus est, ad fidem inviolabilis amicitiae sempiternam, nihil nobis iam in studio ardentius est, quam ut ipsius serenitate socia et adiutrice pacem Italiae, christianae reipublicae ab impiis et immanibus Turcis tutelam et securitatem procuremus; quam gloriam et felicitatem ut alias multas, confidimus ab omnipotente Deo Caesari destinatam et desponsam esse, vobis presertim ducibus, quorum in re militari virtus et scientia maximo experimento comprobata est, itaque et quae ad nobilitatem tuam omni honore augendam pertinent sumus libentissime facturi. Nunc

quando confecti et stipulati federis transumptum autenticum dil. fi. Jo. Bartholomeo de Gattinaria ser.mi Caesaris oratori consignavimus ad te perferendum atque is ad te profecturus est; quem singulari quadam prudentia et integritate in tota ista re et causa versatum ac summo studio una cum dil. item filio nobili viro duce Suessae coniunctionem nostram procurantem, magni ingenii eximiae fidei ac probitatis cognitum habemus, communicavimus cum illo omnia consilia et cogitationes nostras; qui non solum ex nostris sermonibus sed ex actionibus quoque quarum ipse cunctarum spectator fuit, poterit ad te verum integrumque testimonium sinceritatis nostrae perferre; primum igitur hortamur nob.tem tuam paterna charitate et studio, ut favere ac gratulari huic nostrae arctissimae cum Caesare coniunctioni non solum velit sed illam omni ope opera auctoritate sua stabilire etiam amplius si fieri potest et corroborare. Deinde ut ipsi Jo. Bartholomeo earum rerum omnium quas ex nostris verbis sibi rettulerit fidem amplissimam prebeat; sibique de nobis habeat persuasum nos et in amando augendo extollendo Caesare, quantum nostrae et huius Sanctae Sedis facultates in Domino valebunt, et in tua nobilitate omnibus premiis honoranda, nullum nec coniunctissimi amici nec indulgentissimi patris studium omissuros. Datum Romae die iii. Aprilis mdxxv. Anno secundo.

91.

Archiduci Austriae.

Dilecte fili. Nihil potuit prudentius scribi, neque pio et catholico principe dignius quam tuae proximae litterae xxv. Martii datae nobis de te significaverunt, ex quibus et te referre acceptum Deo omnipotenti quicquid tibi et ser.mo Caesari fratri tuo ex admirabili illa victoria et gloriae accessum et dignitatis vidimus, et ita temperare velle victoriam ut sit ea ad salutem universae christianitatis directa, quorum utrunque tale est ut nullius laude sed solo apud Deum virtutis praemio possit aequiparari. Nos, quod priora nostra consilia ad commune bonum intendentes, pacem alia via cogitaveramus componere tibi id et esse perspectum esse et probatum vehementer in Domino letamur.

Facimus enim permagni et iudicium et benivolentiam tuam et pro illo paterno amore quo nob.tem tuam peculiariter prosecuti semper sumus omnia tua chara et iucunda habemus; animi quidem nostri perpetui erga dignitatem et amplitudinem Caesaris Dominus testis est, cui hoc iam adempto et sublato contentionis fomite, non pristina solum coniunctione amicitiae, sed perpetuo et inviolabili federe colligati esse voluimus, in quo tuae quoque partes primariae extiterunt; eius federis exemplum ad dil. fi. nobilem virum viceregem Neapolitanum capitaneum generalem Caesaris mitti mandavimus, ut quanquam hic stipulatum et sancitum esset, eius tamen accedente consensu comprobaretur. a quo ad te transmittendum non dubitamus et nos etiam transmitti mandabimus, etiam cogitantes mittere ad dies aliquot hominem omnium intimorum consiliorum nostrorum plane instructum, qui cum nob.te tua conferat et communicet omnia. Illud volumus existimare nob.tem tuam, postquam licitum id nobis fuit et pastorali officio conveniens quando hoc federe non impedita est boni pontificiis persona, nihil nos libentius facere potuisse quam Caesari et tibi federe communis amicitiae et fidei copulatos esse, quam coniunctionem perpetuam et ratam omni constantissimo amore sumus servaturi. De quo latius cum nob.te tua dilectus filius Hieronymus Rorarius nuncius noster, cui illa fidem habebit. Datum Romae die vii. Aprilis mdxxv. Anno secundo.

92.

Mutinensibus.

Dilecti filii. Egit nobiscum dil. fi. Jo. Philippus Cavallarinus civis et orator vester quae a vobis mandata ad nos habebat, quem nos hominem et quod eum modestum prudentemque cognoscimus et quod in ipsius persona civitatem istam nostram nobis charissimam nobiscum loquentem videre videbamur, audivimus perlibenter eique in quibus potuimus morem gerere sumus conati; satis intelligentes vestram in nos et Sanctam Sedem apostolicam fidem ac constantiam meritam omnia quae non solum a debito sed a liberalitate quoque nostra possunt proficisci: sed ea est omnium rerum difficultas et temporum incommoditas ut si non omnino expectationi vestrae satisfecimus, sit vestrae

aequitatis et amoris quo hanc Sanctam Sedem prosequimini, accipere in optimam partem, magisque necessitati quam voluntati nostrae adscribere cum ista civitas et totus populus ac vestrum omnium salus et commoditas et sit nobis et futura sit semper inprimis cordi; quod certe de nobis sentire et existimare debetis cuius animi nostri aliquando maioribus in rebus cognoscetis affectum,[1]) sicut vobis nostris verbis plenius edisseret idem Jo. Philippus cui fidem habebitis. Datum Romae die ix. Aprilis mdxxv. Anno secundo.

Sequitur epistola eiusdem diei et anni viceregi Neapolis scripta quo pontifex, orante cardinali Ipporegiensi, Ludovicum et Philibertum Fieschi commendat rogans ut illis medietatem comitatus Masserani ab ipso vicerege fisco adiudicatam, restituatur.

Hieronymus de Ferraria prior S.ti Honofrii de urbe deputatur commissarius ad vocandum et examinandum Raphaelem de Papia dicti ordinis fratrem. x. Aprilis mdxxv.

Duci Borbonis.

Laudibus extollens pontifex eius religionem in Deum et in ipsius vicarios observantiam, excusat se ab admittenda eius petitione, quoad reservationem ecclesiae Aquensis aliorumque beneficiorum, id unum promittens se, adveniente vacationis casu, eius voluntatis libenter rationem habiturum. Die xix. Aprilis mdxxv. Anno secundo.

93.

Dilecto filio nostro Erhardo tit. S. Grisogoni Presbitero Cardinali Leodiensi.

Dilecte in Christo fili noster etc. Ex regione Hollandiae et circum adiacentibus locis dil. in Xsto filiae nobilis mulieris Margaritae archiducissae Austriae et comitissae Burgundiae, quotidie ad nos deferuntur querelae adversus complures, qui eius quae nunc debacchatur hereseos

[1]) In originali minuta pro voce: *affectum* habetur effectum.

perfidia inquinati, vetusta ecclesie sacramenta et fidem sinceri cultus Christi, non modo transgredi, sed palam etiam reprehendere et oppugnare audent, quorum impietas etiam aliis potest esse nocumento: Quod nos aegreferentes, cum memores simus quid circumspectioni tuae super his dederimus facultatis, ac de tua virtute et prudentia et erga summum Deum religione optime sentiamus, voluimus te denuo per has litteras hortari, ut studium ac diligentiam adhibere velles, quo hec tanta labes rectae religionis in eis locis extinguatur, in quibus cum talis femina omni virtute et pietate prestans gerat et habeat potestatem, non possumus dubitare illius instante auctoritate, tua interveniente cura et sollicitudine, quin omnia sint futura ad Dei et antiquae fidei honorem ac observantiam facilia atque prona, non enim in nobis cadere potest ulla dubitatio illam tantis a Deo donis et dotibus ornatam mulierem, quae suis virtutibus omnium suorum maiorum virtutes representat, posthabituram tutelam et defensionem christianae religionis eius que a Spiritu Sancto per manus sanctorum patrum a tot iam seculis accepta et probata est. Quare te hac spe fidentem et ope Dei ac nostra auctoritate tuaque virtute armatum dare omnem operam volumus, ut eorum qui ministerium hoc pravum et perniciosum corrumpendi puriores animas Sathanae prebent, scelus atque perfidia aut per penitentiam delicti ad sanitatem convertatur, aut dignis suppliciis cohibeatur, in quo circumspectionis tuae studium et curam et Deo et nobis volumus inservire. Datum Romae etc. die xxi. Aprilis mdxxv. Anno secundo.

94.

Dominae Margaritae.

Dilecta in Christo filia etc. Ex regione Hollandiae et circum adiacentibus locis, in quibus tuae nobilitatis potestas et auctoritas summa est, quotidie ad nos deferuntur querelae adversus complures, qui eius quae nunc debacchatur hereseos perfidia inquinati, vetusta ecclesie sacramenta et fidem sinceri cultus Christi, non modo transgredi, sed palam etiam reprehendere et oppugnare audent, quorum impietas etiam aliis potest esse nocumento; cumque nos de nob.tis tuae

religione et prudentia, ita sentiamus, ut de catholica et in primis excellente muliere sentiendum est, quam ipsi scimus quo ingenio et quanta polleat virtute, tecum communicare eam curam voluimus, quae nos pro pastorali nostro officio vehementer premit. Habemus enim ante oculos nostros propositum quid a nobis postulet et requirat ipse Deus, cui soli regnum animarum subiectum est, quibus nulla est preciosior, nec maioris aestimanda possessio, huius regni tutandi et defendendi laborem nobis huius quem gerimus honoris pondus infert, quo vices Christi gerentes, de saluti animarum solliciti esse debemus. Nec desumus officio, qua nostrae pertinent facultates; nam et consilio et hortatione et cura et monitis, errantibus subvenimus; si qui vero sunt pertinaciores, aut si quorum furor salutarem medicinam pastoris sui non recipit, nobis est ad principatus et potestates confugiendum, et eorum providentia ad auxilium invocanda, ut eorum auctoritate et metu, qui alias negligunt, ad sanitatem reducantur. Hoc nos consilio requirimus nob.tem tuam paterne atque amanter, ut adesse nobis ad iuvandam rem Dei, et fidem Christi immaculatam conservandam ferre opem velit, in eis locis praesertim, in quibus tu et iubendi et vetandi obtines potestatem. Ac novimus quidem haec mala ipsa, tibi displicere, sed in tanta virtute et tanta potestate tua, non solum aegreferenda sunt quae adversus veterem morem sanctae ecclesiae tentantur et proferuntur, verum etiam iusta severitate vindicanda. Iccirco enim nob.tas tua praefecta a Deo est illis populis, ut in obedientia eos retineat et Dei et maiorum. Neque vero tu post illum diem, qui extremus paratus est omnibus, quicquam ferre poteris ex tantis opibus quibus praedita nunc et ante tribunal summi Dei, quod magis tibi patrocinio et adiumento esse possit ad immortalem beatam vitam consequendam, quam curam et diligentiam adhibitam inter tuos, ut animarum salus, quarum maxime Deo cura est, inviolata custodiretur, hoc est proprium virtutis tuae, hoc pietatis et religionis quam semper erga Deum integram praestitisti, ut et vetus tuae laudis opinio apud omnes homines confirmetur, et spes beatae immortalitatis tibi apud Deum sit exploratior. Nos hac eadem de re ad dil. filium nostrum Erhardum tit. S.ti Grisogoni presbiterum card.lem Leodiensem scribimus iniungentes ut diligentiam et sollicitudinem circa ista adhibeat, cui tua nob.tas omni ope et auxilio ut velit

suffragari illam in Domino valde adhortamur. Datum Romae apud Sanctum Petrum die xxi. Aprilis mdxxv. Anno secundo.

Sequitur epistola prothonotario Casali ut revertatur (ab Anglia) salutato rege et card. Eboracensi. — Die xxiii. Aprilis mdxxv. Anno secundo.

95.

Dilecto filio nobili viro Carolo Gelriae et Juliae Duci ac Comiti Zutphaniae.

Dilecte fili etc. Tuae virtutis et erga summum Deum religionis preclarum testimonium litterae nobis tuae prebuerunt. In quibus cum de hac tanta calamitate Germaniae quae artibus perpetui hostis Dei per eius impios ministros Lutherana heresi infectos procurata est, conquereris, ostendisque dolorem tibi afferre hoc dedecus nominis Christi et christianae religionis maculam atque iniuriam, tum ut vere magnum et pium principem decet, animum prae te fers hanc tantam impietatem et scelus nefarium vindicandi, in quo etiam a nobis postulas ut tibi procedendi adversus ecclesiasticas personas, quas multas labe hac inquinatas esse sentis facultatem et potestatem concedere velimus Quam nos mentem et quod prestantissimi principis studium, dignum ista nobilitate et ista virtute quae nobis semper in te egregia et magna perspecta fuit, vehementer in Domino commendamus omnique nostra benivolentia et charitate complectimur, Dominumque Deum supplices exoramus, ut tali et tam catholico principe suoque divinae Maiestatis honori ita dedito secunda omnia et prospera concedere dignetur. Quod vero ad negotium ipsum attinet, credimus nob.ti tuae esse notum, quo nos studio qua sollicitudine et cura non litteris solum et scribendo, sed legatis nunciis commissariisque nostris mittendis excitare et animare omnes principes Germanie conati fuerimus, ut cum ruina et detrimento christianae verae fidei cladem quoque suam et ruinam coniunctam ne aspernarentur, sed obviarent pravis principiis quorum fines et exitus ad ipsorum primum perniciem essent erupturi; in qua admonitione et cohortatione a nostri pontificatus initio usque ad hunc

diem assidui fuimus, dolentes et gementes tum exitium animarum quarum precipue nobis cura a Deo demandata est, tum istius nobilissimae et nobis charissimae Germanicae nationis damnum et ignominiam; quas nostras hortationes cum plures et maiore studio suscepissent, esset nunc illi populo a Deo facta salus; sed neque desistemus hoc idem agere per occasiones temporum. Nunc quidem quod ad tuas postulationes et pia ac sancta desideria attinet, laudantes summe propositum et prudentiam nob.tis tuae, quoniam eiusmodi facultatem personis ecclesiasticis tibuere oportet iuxta ordines et regulas sanctorum patrum, qui postea tuae auctoritatis gladio armati mandatum et commissionem suam exequantur, committimus tenore presentium et facultatem amplam damus dil. fi. nostro Erhardo card.li Leodiensi: ut ipse, qui et homines et res habet cognitas, tales personas nominet, quae et virtute et religione et doctrina aptae sint ad inquirendum contra Lutheranos, et eos si convicti fuerint vel cogendum ut resipiscant vel si pertinaces in suo scelere et impietate permanserint tanquam hereticos puniendum; quae etiam personae nominandae tibi gratae et acceptae esse dignoscantur.[1]) Nos enim talibus qui per dictum cardinalem nominati et a te acceptati fuerint, omnem tenore presentium damus apostolica auctoritate facultatem simul et potestatem contra dictas ecclesiasticas personas, quae compertae in ista nefaria heresi fuerint procedendi etiam dimissa tela iudiciaria summarie as de plano sola veritate inspecta, et, si convictae fuerint, illas publice retractare cogendi aut pertinaces et obstinatos extremis suppliciis puniendi iuxta ordinem et morem a sanctis patribus et romanis pontificibus contra hereticos statutum, non obstantibus quibuscumque. Tu ergo dilecte fili in hac pia et catholica mente erga omnipotentem Deum perseverans confidere debebis te premia ab eo digna a nobis quidem omnem gratiam a cunctis hominibus laudem reportaturum. Datum Romae die xxiii. Aprilis mdxxv. Anno secundo.

[1]) Hic sequebantur in originali minuta verba postea omissa: „Super quo illius circumspectioni et potestatem concedimus et talis curae suscipiendae onus ac debitum iniungimus“.

96.

Viceregi.

Dilecte fili. Quae ven. fr. Antonius episcopus Pistoriensis ex adventu dil. filii Adriani Domini de Bauren., et nobilitatis tuae mandato ad nos detulit, summa non solum laetitia sed etiam admiratione animum nostrum compleverunt, hanc enim mentem optimi et ser.mi Caesaris, hanc admirabilem temperantiam, quam in tantis victoriis tantaque prosperitate rerum omnium prae se fert, quo minus nostris temporibus usitatum cernimus, hoc maiore gloria et laude in Caesare ducimus celebrandam, rara enim haec iam usu et magis ex antiquitatis exemplis repetita, quam aetate nostra comprobata, documenta animi moderati et vere sapientis, in hoc uno dignissimo et praestantissimo Caesare, multorum seculorum intervallo cernimus renovata; qui et victoriam, qua maxima potitus est, Deo Domino exercituum universam acceptam, refert; et delatis ultro suis devictis adversariis conditionibus, pacem ex ea et tranquillitatem constituere vult. Magna sunt ista, ut dicimus. vel potius mirabilia: sed eo maiora, quod superant opinionem et consuetudinem. Cui igitur dubium esse potest, quin hunc talem tantumque principem delegerit Dominus Deus, cui tanquam alteri Davidi et regnum potentiae suae, et populi sui salutem demandaverit? Valeat modo ille vivatque et fruatur hac preclara et eximia possessione virtutis et magnanimitatis suae; paratus est christianitati defensor, qui eam tot et tam diuturnis malis periculisque vexatam, in suam dignitatem vendicet, qui impia arma comprimat, sancta et salutaria commoveat. In quibus factis magnis ac praestantibus, tua illi nobilitas solitam virtutem et prudentiam fideli ministerio praebitura est; qui ad Domini tui mentem et naturam accommodatus et in periculis singularem fortitudinem adhibuisti, et depulso periculo, summa deinde moderatione usus es; ut appareat tales potissimum debere vincere, qui sciant sibi in victoria temperare, qui tamen modus unicus est ad illam stabiliendam et perpetuandam. Quae vero de eiusdem invictissimi et maximi Caesaris voluntate erga nos benivola atque propensa, etiam cognovimus, quam putat nob.tas tua nobis attulisse animi iucunditatem! expectabamus quidem ab eo hoc ipsum, consciique nostrae erga illum

paternae et perpetuae voluntatis, de eius animo optimo erga nos non dubitabamus. Etsi enim audieramus fuisse, qui parum gnari necessitatum nostrarum, actiones nostras sinistris suspitionibus labefactare conati fuissent, sciebamus tamen apud prudentissimum et sapientissimum Caesarem locum veritati esse, non suspitioni, cuius in nos benivolentia, hoc nobis gratior et exploratior facta est, quod permansit in amore, neque se abstrahi passus est; vetustamque nostram et mutuam amoris coniunctionem singulari constantia conservavit; cuius quando ad nutum divinae providentiae, consilio omnia parata sunt; decet et illum perficere quae iam cepit consilia procurandae pacis; et tuam nob.tem omnem in eo operam et studium suum interponere, ut sedatis pacatisque domesticis rebus, illuc pariter tendere possimus, quo nos Deus et communis Christi res vocat, in quo opere praeclaro et illustri restituendae et instaurandae christianae fidei et dignitatis ille amore et opera et auctoritate nostra, nos illius virtute et magnitudine animi perfruamur, atque ea agamus, quae in tam brevi vitae mortalis cursu parere nobis eternitatem et fructum sempiternae apud Deum gratiae possint.

Hoc ut paretur efficiaturque tuum est urgere et procurare, in cuius virtute magna pars tantae laudis conquietura est, cui nos quoque pro nostro singulari tui ornandi studio mirifice favemus. Sed ut breviter perstringamus quae dicta sunt, et gratulamur huic vere maximo et vere praestantissimo Caesari, quod tam piam et rectam in omnibus adhibeat voluntatem, et de illius amore erga nos incredibili gaudio afficimur, tibique quod omnia nobis tam diligenter nota esse volueris, agimus paterno animo gratias, tuamque nob.tem facimus certam (id quod et ad nostros apud Caesarem nuncios scribi mandamus) velle nos et cupere, ut et ipsius serenitas et omnes sui ea a nobis expectent quae ab amantissimo et idulgentissimo patre et requiri possunt et expectari. Quod vero ad comprobationem et ratificationem federis nostri attinet, quod vos istic publicari curavistis, nos quoque eandem ratificationem comprobantes, hic solemni die legitimis cerimoniis adhibitis et Deo omnipotenti gratias agere et id ipsum foedus publicare non postponemus. Datum Romae etc. die xxiiii. Aprilis mdxxv. Anno secundo.

Magno cancellario Caesaris, pollicetur pontifex se, in prima cardinalium creatione, illum ad hunc honorem, respectu maxime Caesaris, vocaturum. — Datum Romae xxvii. Aprilis mdxxv.

Eidem, de eadem re — eodem die et anno. —

97.

Dominae Engolismensi.

Dilecta in Christo filia etc. Ex prioribus literis tuis et illis quas in nostrarum responsionem ad nos dedisti, intelleximus animum nobilitatis tuae quamvis adversis filii tui carissimi rebus afflictum, non tamen ita prostratum, ut non extet et appareat virtus tua, cuius officium precipuum est fortiter ferre res adversas; convertis enim ad Deum spem tuam, et in nostra erga te et eumdem filium tuum benivolentia acquiescis; quae certe a nobis tibi non defutura est. Itaque quod unum nunc est in bonitate et clementia optimi Caesaris refugium, et ipsum cognovimus valde inclinatum esse ad liberationem filii tui, delatis quibusdam conditionibus, quas tibi arbitramur esse notas; et nos ipsum ad mansuetudinem non desistimus adhortari, satis intelligentes, convenire hoc primum et personae et naturae nostrae; ac deinde ipsi Caesari, rebusque illius utilissimum esse, quando hoc certo tenemus, stabilitatem et perpetuitatem victoriae esse in ignoscendo melius, quam in victos acerbe insequendo, et hec tamen consilia, ad filii tui et nostri in Christo carissimi ac totius regni vestri salutem ac tranquillitatem pertinent. Quamombrem quod paternae a nobis benivolentiae potes expectare, id tibi a nobis abunde erit; sumus enim tuae nob.ti et tuis omnibus affecti, de qua semper ita sensimus summam in te prudentiam cum summa erga Deum religione coniunctam esse; fidentibus autem in Domino Deo et illius opem implorantibus, nulla potest diuturna esse calamitas. Itaque et nos speramus, et idem te sperare volumus; non fore ser.mum Caesarem nec tuis, nec nostris precibus duriorem; quod nobis de illo, ipsius singularis in Deum omnipotentem veneratio, et cogitatio rerum humanarum pollicetur; quamquam iam de illius animo pio atque clemente alia habeamus etiam potiora signa. Sed

nos quantum auctoritate apud illum, quantum apud Deum humilitate poterimus, expendemus libenter in deprecationem salutis et incolumitatis tuae rerumque tuarum, ac filii tui liberationem. Quod maiore etiam cum spe tibi pollicemur, quia sanctissimo et fidelissimo foedere cum ipso Caesare coniuncti, plus habebimus apud eum auctoritatis, quando ea quae egimus communis salutis et pacis causa egimus, in qua etiam salus et incolumitas tua continebitur, cuius curam in animo nostro et cogitationem precipuam habemus, sicut res ipsa et nostra velut boni et aequi patris ac pontificis voluntas atque opera in omnibus ostendet. Datum Romae xxvii. Aprilis mdxxv. Anno secundo.

Caesari.

Pro Francischino de Caymis camerario Papae; ut mandet cognosci ac statui quid iuris de prioratu S. Christianae Oscens. dioc. ord.is S. Augustini ac Bailiatu S. Stephani ord. S. Joannis Hierosolomitani a quibus obtinendis, opposito Casaris iure patronatus, idem Francischinus prohibebatur.

98.

Caesari.

Car.me in Christo fili noster etc. Cum legeremus litteras ser.tis tuae die quarta Aprilis datas plenas sapientiae, humanitatis, religionis, non possumus tacere quantum illae amoris et admirationis de tua optima ac praestantissima mente ac natura in nobis excitaverint; neque tamen possumus id quod animo conceptum habemus, apte scribere, maiora enim sunt omnia, quam ut verbis aut litteris possint explicari. Illud quidem fuit factum ut cum illas in sacro consistorio nostro recitari iussissemus, omnium opinione et sententia decerneretur ser.tem tuam cum Constantinis, Carolis, Othonibus caeterisque vetustis principibus Romanorum imperatoribus, qui propter suam in Deum et Dei sponsam Ecclesiam pietatem observantiamque immortalem gloriam meruissent, non solum aequandam esse, sed illis etiam praeferendam, tantum in omnibus dictis tuis, factisque apparet et bonitatis, ac moderationis et incredibilis prudentiae specimen, quae est certe via per-

petuandi regni propria, cum quanto se maior prosperitatis incitat cursus, hoc arctioribus temperantiae vinculis cupiditates humanae continentur. Quam laudem inusitatam his temporibus, et incognitam tanquam vere coeleste et Dei omnipotentis summum donum ser.ti tuae aliquanto magis quam victoriam ipsam iam gratulamur. Itaque illa quanto cum gaudio putas nos legisse? patefactam esse divino consilio, quod hominibus occultum erat, viam ad fidei hostes conterendos, ad impias hereses extirpandas, ad pacem et unitatem in christiano populo stabiliendam. Caret quidem his commodis omnibus christiana nunc respublica et omnibus contrariis malis, atque incommodis afflicta est. Sed te duce et auctore, cuius sanctissimis votis, ac consiliis semper affuit Deus, nobis quidem faventibus et adiuvantibus, quantum nobis Deus idem concesserit, omnis meliorum rerum spes est suscipienda, et huius summae gloriae in te fili car.me lumen et splendor ad posteritatis famam, et tui clarissimi nominis in coelo et in terra immortale decus constituendus. Hoc nos expetimus, vehementerque desideramus publici quidem boni, et gregis nostri dilecti salutis causa; sed nihilo minus honoris, et amplitudinis tuae, quae nobis semper carissima fuit. Nec tu aliter animum nostrum erga te unquam et interpretatus. Quo etiam nomine sumus tibi debitores, veritatem enim apud animum tuum valere voluisti, agnovistique, quod fuit necessitatis, et gratum habuisti, quod nostrae fuit voluntatis. Voluntas certe nostra est, et fuit; habere te in praecipui et dilectissimi filii loco, sicut nos tu in patris. Quanquam tu in persona nostra Deum ipsum respicis; nos in tua et Deum et virtutem tuam. Quamobrem quod postremum in litteris tuis fuit, attractum iri Francorum regem ad aequas conditiones pacis; hoc Deum omnipotentem precamur, ut salva ser.tis tuae dignitate fiat, tuamque moderationem, et sapientiam maximis laudibus efferimus, quod quamprimum ad domesticae pacis consilia venire properes, quo possis celerius illa exequi, quae ad salutem christianitatis, et Dei gloriam remedio indigent tempestivo. Sed haec tuae eiusdem prudentiae et bonitatis erit deliberare et ita existimare eius quam adeptus es insignis victoriae gloriam totam tuam non esse sed eorum communem qui armis et consiliis in ea adipiscenda versati sunt, hanc vero clementiae et moderationis singularem tuam et propriam fore, cuius nemo

praeter unum te futurus sit particeps. Nos de his et aliis ad dilectum filium Baldassarem Castilioneum notarium et nuncium nostrum scribi mandamus, cui tecum communicanti ut ser.[tas] tua omnem fidem habeat, illam in Domino adhortamur. Datum Romae etc. die ii. Maii mdxxv. Anno secundo.

99.

Dilectis filiis Antianis et Consilio civitatis nostrae Anconae.

Dilecti filii. Cognovimus ex vestris in curia agentibus suspitionem vehementem esse, ne classis aliqua Turcarum in istum sinum Adriaticum se conferat, praedandi aut etiam loci alicuius christianorum occupandi causa. Quod intelligentes, etsi curam et diligentiam vestram in omni periculo non defuturam scimus, voluimus tamen vos adhortari ut parati atque intenti esse velitis ad propulsandum si quod isti nostrae civitati vel agris oppidisque vestris immineat periculum. Nos enim ad ven. fratrem vicelegatum marchiae Anconitanae scribimus, ut re postulante vobis nec providentia nec auxilio desit. Devotiones vestrae his dubiis difficilibusque temporibus, quae tamen paulo post Dei optimi clementia freti meliora fore confidimus, sua solita virtute et vigilantia utentur. Datum Romae etc. die ii. Maii mdxxv. Pontificatus anno secundo.

100.

Mutinensibus.

Dilecti fili. Aeque nobis sunt dolori et molestiae incommoda vestra ac vobis, cum propter fidelitatem et virtutem vestram, paterna vos charitate diligendi omnes causas habeamus, itaque anxii et curiosi salutis ac incolumitatis vestrae, misimus dil. fr. Jo. cardinalem de Salviatis nostrum et Sedis ap.[cae] de latere legatum, ad dil. fil. nobilem virum viceregem et caesareos duces, qui hoc primum mandatum a nobis habet, ut summoveantur a vobis omnes militares iniuriae et molestiae, celeriterque id factum iri confidimus, sed quoad fiat, quicquid vobis inferatur incommodi non mediocri nos afficit dolore. Veniet autem

ut speramus, Domino concedente, tempus et iam prope est, cum his omnibus sollicitudinibus remotis fructus speratae et exoptatae pacis uberes sentiemus. Quo tempore eveniet ut nostram in vobis sublevandis et adiuvandis benignitatem ac benivolentiam perspicere possitis. Datum Romae etc. die iii. Maii mdxxv. Anno secundo.

Simile Placentinis.

101.

Regi Angliae.

Carissime. Cum ad nos quotidie de apparatu consiliisque Turcarum nuncii et litterae perveniant quibus significatur impetum ab illis in Illiricum et Ungariam praeparari, quae provinciae auxiliis consiliisque desertae in maximo sunt periculo positae, non possumus quo graviora et propinquiora nobis et universae christianitati imminent mala non sollicitiore animi studio ad pacem adhortari et quod unum remedium afflictis rebus ostenditur, pacis videlicet et tranquillitatis, id quantum nobis licitum est, procurare et suadere, praesertim cum atrocioribus malis domesticis et intestinis quam externis etiam conflictemur; omnis enim Germania validis et pluribus referta nationibus ita ob scelus et impietatem eorum qui novas et nefarias hereses aut seminaverunt aut foverunt tumultibus et seditionibus involuta et subversa est ut concitatis plebium et rusticorum turbis, omnis nobilitas et omnis ordo ecclesiasticus ad exitium vocantur. Ita nos in tanta undiqne circumfusa omnium rerum calamitate ad Deum et Dominum nostrum conversi pacem ab eo et veniam exposcimus, teque fili car.^me^ et invictissime cuius mentis et voluntatis in Dei rebus eximiae tot habemus pignora enixe obtestamur, ut quando plurimum in omni pacis et concordiae consilio tua potest auctoritas, velis ad eam curandam et conficiendam tuam operam et opem conferre. Qui hostes tui erant memorabili prelio victi remiserunt iam contentionem et spiritus pristinos. Quid autem sit quod stabile ex victoria queratur preter laudem et rerum suarum securitatem ignoramus; cetera enim omnia non tam sedatio sunt praeteritorum laborum quam concitatio saepe futurorum; nihil autem est

in magno et inclyto rege tam laudabile et gloriosum quam moderationis et prudentiae existimatio. Sed haec tu sapientius cogitabis, illud quod ad fidem Christi quod ad salutem pertinet christianitatis, quonam modo sine pace domestica poterit expediri et provideri? in quo ser.tem tuam summo animi studio adhortamur in Domino, ut se ad omnia concordiae consilia benignum clementem facilemque prebere velit, ut familiaribus malis incommodisque repulsis, occurrere periculis gravibus quae imminent, et salutem ferre populo sancto Dei tua imprimis virtute et magnanimitate interveniente possimus. Sicut de omnibus tecum latius dil. fr. Melchior Langus nuncius noster nostris verbis aget, cui ser.tas tua fidem omnem habebit. Datum Romae die vii. Maii mdxxv. Anno secundo.

102.

Caesari.

Car.me in Christo fili noster etc. Cum a primis temporibus pontificatus nostri, intelligentes in quam curam et laborem et in quae tempora christianae reipublicae nos ad tantae onus sollicitudinis Deus omnipotens vocavisset, institissemus procurare et suadere pacem; sine qua christianitatem tot et externis et domesticis malis damnis incommodisque attritam, proximam esse exitio videbamus; recordamur nos ex officii potius nostri debito, quam quod spe ulla teneremur, ad eam actionem tunc adductos fuisse. Etsi enim Deum sciebamus omnipotentem mutare saepe repente consilia hominum in melius; et quae difficillima videbantur, ea cum omni facilitate conficere. Tamen in tantis armorum contentionibus, et diversis principum christianorum sententiis, non cernebatur paci locus, quam cum suadebamus et ad eam hortabamur, proponebamusque ea quae nobis videbantur ad pacem propiora esse, studio magis et desiderio conscientiae nostrae satisfaciebamus, quam spe proficiendi aliqua sustentabamur. At vero nunc, postquam eiusdem Dei omnia gubernantis iudicio, quod tunc commune tibi cum aliis principibus fuit, id totum videtur esse ad tuae ser.tis arbitrium potestatemque delatum, ut penes te unum ius belli pacisque sit; eadem quidem sumus cupiditate et sententia, ut conficiatur pax,

sed spe et fide ducimur multo maiore. Satis enim aspirare coeptis optatisque nostris Deum cernimus, cum quod ab eo supplices precabamur; eius nobis concedendi, ad optimum et christianissimum principem dignissimumque Caesarem videmus delatam esse potestatem. Nos vero qui tanto studio curabamus pacem, tunc cum pacis pene omnis ratio desperata erat; nunc in tanta spe nostra tanta expectatione iustissimae et clementissimae tuae mentis ac voluntatis, si ab illa pacis actione desisteremus, faceremus iniuriam profecto et ipsi Deo et honori nostro: neque tunc pacem voluisse, sed aliud quiddam spectasse videremur. Sed si quippiam habemus, vel habuimus unquam desideriis nostris magis propositum quam pacem, digni sumus quos non exaudiat Deus, si vero nostra consilia ipsius Dei honorem communem christianitatis salutem et bonum optatae pacis spectaverunt, eundem Deum oramus, ut ser.tem tuam, in cuius manu pacem esse voluit, pacis iubeat esse effectricem, hoc est ut quod sanctissimam mentem tuam desiderare cernimus (nihil enim clarius est quam te velle pacem et appetere) eius conficiendi et transigendi, remotis impedimentis omnibus, tibi a summo Deo tribuatur facilitas. Sed cur pax maxime necessaria sit, aliqua dicenda sunt, non tam illa quidem nova genere, quam gravia diuturnitate, quibus nisi citum remedium adhibeatur, ut in effecto mortali corpore longior morbus exitium et mortem affert; sic in christianitate iam defatigata et attrita proximus est interitus expectandus; urgent enim et opprimunt duo gravissima mala atque incommoda christianitatem, quorum alterum est a Turcis qui continuis successibus elati, et nostra ignavia ac negligentia in spem maximam erecti, christianae reipublicae penitus opprimendae ineunt rationem. An tu trecentarum navium paratam iam classem, et terrestres exercitus in armis adesse iussos, alio consilio aliaque mente coactos esse putas, nisi ut septentrionales christianorum provinciae ab ipso littore Illyrici usque ad Poloniam impiis illis armis et signis obruantur? An nos haec soli intelligimus, tuaque serenitas harum rerum ingnara est? Deferuntur quidem ad nos primum ex omni parte querelae, nec quicquam iam crebrius aures nostrae percipiunt quam oppidorum christianorum direptiones, hominum praedas, excidia agrorum; cum quotidie fere miserorum sanguinem effundi; viros et virgines in teterrimam servitutem

abstrahi; urbes et oppida capi audiamus. Sed in his malis illud longe gravissimum malum est, quod qui periculo proximi sunt, quorum est periculum cum nostro coniunctum; ii tanquam laetali somno oppressi, nullam videntur ducere sui propinqui exitii rationem. Atque hoc malum externum est. Quid illud intestinum ac domesticum, quo nullam maius neque perniciosius ulla unquam aspexit aetas? quod tua Germania tantis iam cladibus et seditionibus involuta est, ut nemo in ea iam sit qui habeat exploratam rationem non solum dignitatis, sed etiam salutis suae, increbuit enim in animis imperitarum plebium furor immissus illis a Dei hoste et eius hostis ministris impiarum heresum auctoribus; per quem coniurationibus nefariis popularium omnis nobilitas et omnis ordo ecclesiasticus in exitium vocatur, qui furor quorsum irrupturus sit graviter pertimescendum est, non enim cernimus finem nec modum. Sed per Deum immortalem, si tantis calamitatibus afflictae et perditae christianae reipublicae celeri pacis remedio non subveniatur, quid tandem spei aut salutis reliquum nobis esse potest? Quis vero alius pacis et auxilii praeter te idoneus futurus est auctor, qui eiusdem Dei omnipotentis beneficio, tantis e coelo muneribus es illustratus, ut facile appareat, quaesivisse sibi Deum secundum cor suum regem unum tanquam alterum Davidem qui Dei hostes conterat, populis fidelibus parcat. Cuius tu Dei et propter virtutem ac religionem amplissima beneficia meruisti, et eius beneficentiae propter pietatem gratus esse vis; ad pacisque consilia aspiras, ac pro tua singulari sapientia optime cernis remedia et auxilia tot perniciosis christianitatis cladibus quamprimum esse necessaria. Sed ut voluntati tuae locus sit; ut quod religiosissime et christianissime designasti, opere et facto compleas; idcirco haec est a nobis tecum suscepta adhortatio, confidimus maxime bonitati tuae; deferimus virtuti; prudentiam quoque et magnitudinem animi cognoscimus. Sed si honori et gloriae tuae satisfactum a Deo est, si quae pristini belli et controversiae causa fuit, ea est et tua insigni victoria, et ipsorum confessione hostium terminata; si nihil est maius aut amplius, quod moderatis et prudentibus animis posci ab immortali Deo possit, quam quantum tibi coelesti illius beneficio est tributum, oramus precamurque ser.tem tuam ut in conditionibus pacis tractandis des te ad eam partem, ut

magis propter desiderium pacis, faciles et benignas, conditiones tulisse, quam propter difficultatem conditionum paci locum non reliquisse videare. Hoc petimus, hoc hortamur, neque dubii sumus, te ad omnia liberalia et humana promptum esse. Sed ut tua praeclara mens in sua bonitate et sententia permaneat deprecamur. Nemo unquam princeps fuit, qui maiora senserit erga se Dei omnipotentis promerita quam experta est ser.tas tua; sed nemo etiam extitit unquam qui illustriorem occasionem habuerit referendae illi gratiae. Scimus nos et testamur, et vades et sponsores inter te et Deum esse volumus, si tua auctoritate et clementia his luctuosis temporibus constituetur pax, nullum unquam principem et regem nullum, aut maius obsequium Deo praestitisse, aut ullo tempore esse praestaturum, carpimur paulatim, concludimur, in augustias redigimur; atque ex orbe terrarum universo, qui fere totus aliquando regi regum Christo Jesu salvatori nostro paruit, in tres vel quatuor christianitatis provincias repulsi et coarctati sumus, quae solae restant integrae; aliae aut penitus Deo rebellarunt: aut impiis sectis et heresibus ad rebollandum sunt propinquae; aut in tanto periculo constitutae sunt, ut quasi pro desperatis et perditis habeantur. Quaenam quaesumus tanta nos agit precipites Dei ira, ut pestem et interitum nostrum ipsimet approperemus? convertamur ad ipsum Dominum; et cum illi iras et iniurias nostras condonaverimus, speremus ab eo consequi misericordiam; quae certe non deerit, si pie et humiliter fuerit petita. Et haec tamen omnia in manu tua potissimum fili carissime sunt. Qui si te ut confidimus, ad constans pacis consilium converteris, erunt tuo ductu et imperio non salvae solum christianitatis res, verum etiam florentes. Non minor est gloria parcere hostibus devictis, quam eos vincere; pietas autem et virtus et sapientia multo maior, pro coelesti imperio ferre signa in Dei hostes, quam pro terrenis rebus depugnare. Nos certe ardentes benivolentia erga te, et studio laudis tuae; ea consulimus tibi, quae arbitramur utilitati, dignitati, amplitudini tuae accommodata. Quid Dominus Deus appetat, perspicuum est, nullum quidem illi est pace gratius et placabilius sacrificium. Tua mens iam plurima et clarissima signa dedit virtutis et religionis in summum Deum maxime, nemo est qui non ita existimet et personae et dignitatis tuae ipsum esse patronum et

protectorem Deum; quantum illi debeas, cogitare tuum est, nostrum admonere quid nobis videatur tantae conservandae Dei gratiae esse expediens. Illud quidem extremum, quod nostri erga te amoris est, adiungimus, cupere nos quicquid egeris et consulueris; id Deum ipsum immortalem et omnipotentem, bene et feliciter tuae ser.ti evenire iubere, quemadmodum de his, et si qua reliqua sunt, mandavimus dilecto filio Baldassari Castilioneo notario et nuncio nostro ut cum ser.te tua ageret; cui illa fidem summam praebebit. Datum Romae etc. die vii. Maii mdxxv. Anno secundo.

Caesari.

Pro Augustino Foglietta Genuensi: ut ecclesiae Mazariensi, in regno Siciliae, interveniente imperatoris voluntate, praeficiatur.

103.

Episcopo Tridentino.

Ven.e frater. Etsi litterae tuae eas res nobis nunciarint quas habemus molestissimas, tamen grata in nobis certioribus faciendis diligentia tua; testis enim est et amoris tui erga nos et eius quam ad personam nostram hancque Sanctam Sedem geris observantiam, quam speramus tibi aliquando fructum allaturam. De statu autem rerum illarum quo graviora audimus quotidie, hoc nobis magis istius optimi ac invictissimi principis virtus et prudentia videtur praestantior quam vellemus quidem pace et tranquillitate rerum omnium frui nec quicquam nobis optatius esse posset. Sed Deo ita dispensante difficultates et pericula eveniunt ut magis appareat quantum valeat unusquisque in honore suae dignitatis et iustitia religioneque servanda, quam laudem isti principi propriam et perpetuam fore non dubitamus, ad quem etiam nostras damus litteras; fraternitas tua suo more et instituto et in nobis de rebus omnibus docendis diligentiam et in Sedis apostolicae dignitate retinenda solitam constantiam conservabit quod utrunque erit nobis gratissimum. Sicut eadem a dil. fr. Hieronymo Rorario . . . audies cui fidem habebis. Datum Romae die xix. Maii mdxxv. Anno secundo.

104.

Archiepiscopo Cneznensi.

Ven.lis frater salutem etc. Decet in ea cura et sollicitudine, quae nos pro Christi Domini nostri fide conservanda, et salute animarum populi fidelis procuranda vehementer premit, adhibere in partem oneris eos, quos ab omnium donorum largitore Deo dotibus et virtutibus animi decoratos cognoscimus. Cum ergo de frat.is tuae prudentia, ac religione, et erga summum Deum reverentia, ac pietate uon solum opinionem sed certam notitiam habeamus, doleatque nobis maiorem in modum hanc Lutheranae hereseos sectam cum tanta et tam acerba multorum pernicie grassari, et si in isto inclyto regno ipsius carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae regis illustris sapientia, atque integritas nobis perspecta est, qui non est passurus divinae religioni et antiquae Dei fidei quicquam fore detractum, tamen metuentes occultas in plebem insidias Sathanae ac intelligentes fr.tem tuam provincialem synodum celebraturam, tibi committendum duximus, ut nostras vices in hoc negocio gerens, ac tui pastoralis officii debito armata adhibeas omnem curam et diligentiam, quo huic atroci, et impiae, quae in populo Dei exorta est, Lutheranae calamitati locus in isto regno nullus detur. Sed tum apud regem ipsum, tum apud coeteros provideas, moneas, hortere, ut quae fidei sanctae in quo salus omnium est, documenta a maioribus nostris, et ab ipso Spiritu Sancto data sunt, ea ubique quidem ab aliis constanter et pie conserventur, ab ipso autem optimo et praestantissimo rege conservanda et custodienda mandentur. Quod si, quod Deus avertat, aliqua ibi semina tantae pestis cognoveris pullulare, eidem fr.ti tuae committimus, ac facultatem et omnimodam potestatem tenore presentium damus, atque concedimus, eos qui lapsi sint, ad pristinam veritatis viam revocandi, et si erroris illos poenituerit, ab omnibus poenis et censuris incursis poenitentia salutari imposita absolvendi. Si vero pertinaces fuerint, debitis et legitimis tum a iure, quam per bullam fe. re. Leonis X. praedecessoris nostri praescriptis poenis per te, vel alium, seu alios, omni appellatione omnino reiecta afficiendi, invocato etiam si opus fuerit auxilio brachii saecularis, super quibus omnibus plenam tibi tradimus nostra auctoritate

potestatem, certissimum habentes hanc nostram provisionem, et diligentiam tuam. isti regi clarissimo, cui nos plurimum in omni amore et in virtutis honore tribuimus, fore gratissimam. Datum Romae die xix. Maii mdxxv. Anno secundo.

105.

Archiduci.

Dilecte fili. Cum primum ad nos fuit allatum de eis tumultibus qui per populares et rusticos in Germania concitati omnium fortunis et dignitatibus minarentur, etsi res illa nobis auditu fuit molestissima, qui innumerabilibus curis et angustiis circumsessi ad omnes vix animo sufficere possumus; tamen semper speravimus nobilitatem tuam sua quadam dexteritate et prudentia non difficiliter illis periculis occursuram et imperitorum animos auctoritate placaturam; postea vero quam aliis atque aliis nunciis intelleximus, maiores quotidie motus in istis locis concitari, testamur Deum fili carissime, nos cum aliis omnibus causis et rationibus, tum vero ob eum quo te prosequimur amorem summum et singularem magno dolore fuisse affectos; quamquam enim in hoc malo multa incommoda insunt, quae nos gregis nostri salutem pacemque quaerentes vehementer perturbant, tamen illud est in animo nostro maximum et gravissimum, quod te talem et tali virtute ingenio humanitate prudentia preditum, clarissimum religiosissimumque principem, his periculis ac aerumnis indigne ferimus conflictari, quae nobis hoc etiam videntur iniustiores quo tua in illis magis et virtus elucet et animi magnitudo, non enim cedis labori neque succumbendum putas sed alta et erecta mente nihil exoritur repentini mali, cui tu non subitum opponas remedium. Quanto autem maior tua fit virtus et constantia, tanto ea quae te premit perturbatio odiosior. Itaque nos nunquam molestius tulimus hanc quae nos oppressos tenet Sedis ap.cae impotentiam; vellemus enim si liceret, ea tibi posse afferre subsidia, per quae et tranquillitati tuae et amori nostro in te satisfieret. Sed quo nos vertamur non habemus, ad veteres enim nostras difficultates, novae aliquae accessere quas novit nob.tas tua; neque nunc attineret, facere nos harum rerum mentionem nisi illo animo essemus omnia tua

causa faciendi, nostram quidem; quae nostrae adhuc potestatis est, auctoritatem benivolentiam studium ad tua omnia commoda pollicemur. Ac vellemus et nostra et tua et ser.mi fratris tui causa, tempus hoc aetatis nostrae melius esse tranquillum, ut quemadmodum eodem tempore a summo et omnipotente Deo gubernationi ipsius populorum sumus prefecti, sic pari et coniuncto animo atque amore munus nostrum exerceremus, sed tantae incidunt quotidie tempestates, ut pene e manibus nostris clavus excutiatur; in tantis tamen fluctibus divino auxilio confidere debemus; ipse enim Deus et mentes bonas inspirat, et in sua causa laborantes non deserit; quanto autem labor maior tuae virtuti propositus est, tanto erit virtutis laus illustrior: sed nos neque monemus neque hortamur nob.tem tuam; non enim illa consilio nec confirmatione indiget; illud potius significamus in tantis difficultatibus omnium rerum quibus premimur, hanc nostram esse maximam sollicitudinem quod tu indigne molestia afficeris, spe tamen sustentamur nullam tam difficilem esse rem quam non tua prudentia et humanitas cum optimo exitu explicatura esse videatur. Nos ut diximus quicquid opera et auctoritate possumus, omnibus tuis rebus et commodis pollicemur. Quod etiam mandavimus dil. fr. Hieronymo Borario nuncio nostro ut cum nob.te tua communicaret, cui illa fidem habebit. Datum Romae etc. die xix. Maii mdxxv. Anno secundo.

106.

Dominae Engolismensi.

Dilecta in Christo filia etc. Magnum nobis signum tuae perpetuae sapientiae ac in summum Deum religionis, sine qua tamen sapientia nulla est, litterae tuae attulerunt, quae curam vigilantiamque declararunt tuam quam habes ne inclytum istud regnum labe Lutherana inficiatur, confusisque ordinibus omnibus et omni vitae regula sublata, cum Dei et christianae fidei contemptu, summa imis misceantur. Quas nos litteras cum accepissemus atque eas in sacro consistorio nostro iussissemus recitari, visa est ven. fratribus nostris tuae nob.tis mens digna omni laude esse, nec quicquam dubitatum quin eos homines quos Parisiensis consilium tanquam aptos idoneosque legisset, nos quoque de eorundem

ven. fratrum nostrorum consensu approbaremus, ac auctoritatis nostrae facultate in eis locis in quibus essent deputati etiam armaremus, sicut per alias nostras sub plumbo confectas litteras nob.tas tua cognoscet. Nunc quando in his tristissimis difficillimisque temporibus ad reliquas quae ubique vigent incommoditates hec pene precipue calamitas accedit, ut operante Sathana qui illi regi pessimorum angelorum suum ministerium et operam dicaverunt, tantae heresis perniciem et pestem in istas quoque provincias conentur effundere, etsi tua nob.tas hortatione non indiget, potiusque ipsa ceteris est incitamento, tamen nos ad eam rescribendum duximus non tam hortando, quam illam laudando summopere et in Domino commendando quod cogitationem dignam sua virtute susceperit, his tantis malis damnisque quibus animarum possessio, quae omnium preciosissima est, Deo aufertur providendi et quanquam haec pestis proprie videatur ad animas pertinere, tamen ubicumque ea sata et diffusa est, non ecclesiae modo et ecclesiasticae dignitati, sed superioritati omni ac nobilitati Dominis quoque et principibus secularibus excidium et calamitatem affert, ut nullorum sit salus, nec dignitas nec imperium, nec iurisdictio incolumis; si quidem perturbatis divinis legibus facile leges humanae contemnentur, et illo iugo celestis principatus qui unus omnium maximus est reiecto, hominum imperia et auctoritates conculcantur, sicut accidit in Germania quae tanta urgetur infelicitate, ut nullius provinciae status possit dici miserior: quod tua nob.tas optime debet cognoscere. Ad tuam igitur pietatis in Deum et religionis conservandae cupiditatem praeclaram atque sanctam, in his comprimendis qui perniciosas hereses introducere conantur, accedit laus insignis sapientiae quod recte intelligis nullum ordinem neque gradum auctoritatis et imperii sine divina religione posse consistere, ac in utroque elaboras ut et Deo honor debitus reddatur et inter homines iustitia ac reverentia conservetur. Sed haec, ut iam diximus, solita opera sunt tuae singularis prudentiae. Nos etsi multis curis sollicitudinibusque distrahimur quae nos undique circumsistunt, tamen imprimis de istius inclyti regni salute ac pace cupidi sumus; propriamque ipsius laudem semper servatae integrae et inviolatae christianae religionis perpetuam esse cupimus, in quo confidimus primum Deo deinde vigilantia et auctoritate tua; nos quidem quantum nobis opis et auxilii

Deus dederit, omni paterno amore ac studio omni boni pontificis cura et diligentia tibi et regno et rebus tuis omnibus, cum in coeteris tum in iis quae ad Deum et fidem rectam pertinent, nullo loco defuturi sumus. Datum Romae etc. die xx. Maii mdxxv. Anno secundo.

107.

Parlamento Parisiensi.

Dilecti filii. Ex litteris dil. in Christo filiae nobilis mulieris Ludovicae Dominae Engolismensis istius regni inclyti gubernatricis intelleximus et ea quae iam per Galliam serpere incipiunt impiarum heresum mala et vestram ad id provide et sapienter captam deliberationem ut aliquos a vobis delectos homines approbaretis quos huic tanto et tam necessario muneri preficeretis, qui curam ac diligentiam adhiberent, quo integra et inviolata Christi fide ac vetere religione conservata, qui eam oppugnarent aut labefactare conarentur ab ovili Christi arcerentur. Quos homines a vobis delectos nos quoque comprobavimus ac commissioni illorum apostolicae auctoritatis robur adiecimus, sicut per alias nostras sub plumbo litteras poteritis cognoscere. Nunc, quando in hoc tanto et tam gravi christianitatis tumultu quem Sathanae malitia et iniquitas et eorum qui illi sese dicaverunt furor et impietas excitavit, omnibus viribus ab omnibus qui Deum verum agnoscunt obnitendum est, ut salus omnium communis conservetur, quando haec rabies non religionem solum sed omnem principatum omnem nobilitatem omnem preeminentiam et superioritatem leges ordinesque confundere et permiscere parata est. Nos quidem nulli parcimus nec labori nec curae ut ea quae possumus remedia afferamus. Decet autem vos quorum et sapientiae et aequitatis nomen in tota Gallia eximium et ubique est memorabile, omni vestra virtute conniti, ut non solum veritas et fides recta, sed regni istius salus et vestri ordinis dignitas a domesticis periculis et calamitatibus custodiatur, quas haec perniciosa et pestifera heresis ubique disseminat. Quanquam scimus vos tali consilio et auctoritate praeditos hortatione non indigere, quos praesertim iam cernimus provisionibus multis et preclaris suam et virtutem et prudentiam ostendisse. Sed nos nostri debitum officii

et vestrae etiam salutis ac dignitatis cura sollicitos habet. Nos quidem, et quae a vobis hactenus gesta sunt mirifice commendamus, dignaque existimatione vestra et nomine sapientiae quod obtinetis ducimus, et in futurum ut simili animo similique virtute pro Dei nomine ac honore regnique istius contra impiam hanc hereticorum pestem salute excubetis. Devotiones vestras plurimum in Domino hortamur: quae in hoc opere maxime et gratiam apud Deum et laudem apud omnes homines sunt promeriturae; cui etiam operi nos ad omnem opem vobis afferendam omnem nostram auctoritatem curam laborem studium cum Domino pollicemur. Datum Romae etc. die xx. Maii mdxxv. Pontificatus nostri anno secundo.

108.

Universitati Parisiensi.

Dilecti filii salutem etc. In hac pastoralis officii cura, quae nos parum ex viribus nostris valentes, si Dei omnipotentis auxilium non adesset procul omni dubitatione destitutos opprimeret, multa sunt, quae his periculosis difficilibusque temporibus stimulos nobis afferant diurnae nocturnaeque sollicitudinis, nam et omnibus fere in terris christianorum turbata pax, et graves ab immani Turca in caput nostrum intentae insidiae, et ubique rerum omnium confusio ac perturbatio nos angore animi et molestia afficit, ut non tantum possimus providere labore et consilio, quod certe facere nunquam destitimus, quanta est malorum moles quae nos premit: sed reliqua fortassis essent ferenda, vita enim et fortunae et dignitates atque honores, qui terrenum sapiunt si veniant in discrimen, aut si etiam eripiantur, est fortasse ad sensum non mediocris ille dolor; fidentibus quidem in Domino Deo et in illo spem suam reponentibus paratum est sublime celesteque perfugium, in quo neque dolor neque mors ultra est, sed beata et felix immortalitas. At si hoc perfugium quod supremum et incomparabile est etiam ipsum tentetur auferri, tum vero nihil est in omni calamitate tam grave, quod huic malo par esse possit; et tamen hoc perfugium quod altissimum a Deo positum est, quo non accedit malum neque flagellum appropinquat, extiterunt aetate nostra impii et ne-

pharii homines ministri Sathanae qui fidelibus Dei eripere conati sunt, quotidieque conantur, qui perfidiam pro fide, contumaciam pro reverentia, pro continentia luxum, falsam interpretationem scripturarum pro veris et a sanctissimis patribus editis interpretationibus passim omnes homines docere molientes, Christi tantummodo nomine relicto, christiana omnia volunt evertere. Quibus ut resisteremus, quid nos laboris, quid aerumnae non suscepimus? dantes hoc debitum Deo omnipotenti et officio nostro, quo ad curam salutis animarum nostri dilecti gregis maxime tenemur: sed ut id maiore cum animo et fiducia gereremus, vestrae potissimum fama virtutis, vestra o filii dilecti doctrina, auctoritas, relligio, nos in hoc plurimum adiuvit, vestris enim inprimis consiliis et determinationibus, contra Lutherum factum est, ut istorum scelus et impietas clarior appareret, ut minus multos inducere possent in fraudem et iniquitatem, pro quo vos facto eximio et commemorabili laus quidem et gratia apud homines ingens consecuta est, apud Deum vero ea vobis premia parata erunt, quae tanti muneris et officii meritum potest promereri. Nos quidem in tantis fluctibus perturbatae et afflictae christianae reipublicae excellentem catholicamque doctrinam istius vestrae praeclarae universitatis adversus Lutheranam tempestatem pro temone et gubernaculo habituri sumus. Quae si profuit et fidei Christi et Sanctae Sedi apostolicae et omnibus rectis ac fidelibus populis tunc cum etiam longe a vobis Sathanas et qui Sathanae inserviunt miseras nationes christianorum depopulabantur, ac imperitarum simpliciumque animarum infelices predas agebant quanto nunc magis intendendum vobis ingenium est, et omnia arma litterarum ac sapientiae vestrae commovenda, ut cum domum vestram ceperint oppugnare, et in isto inclyto regno grassari, vestrae virtutis et auctoritatis praesidiis eiiciantur; praeclara extitit cura et deliberatio istius eximii Parisiensis senatus qui non solum curam voluntatem declaravit suam in hac peste arcenda, sed etiam homines idoneos deputavit qui insisterent rebus gerendis, quos nos nostra quoque auctoritate approbavimus; singularis virtus et in Dei fide recta tuenda constantia dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Aloisiae domine Engolismensis regni istius gubernatricis, quae non solum curam suscepit sua auctoritate dignam, sed nos etiam per litteras deprecata est ut illi auxilio adesse vellemus.

Vestrum vero opus, vestrum munus quale semper fuit opinione et fama istius eruditissimae universitatis dignum, tale etiam expectatur et poscitur, ut cum tantum a Deo gratiae, tantum honoris in eis donis celestibus sapientiae et intellectus, quae ceteris omnibus potiora sunt obtinueritis, id totum ad ipsius Dei gloriam ex qua vestra quoque gloria redundat, et ad Galliae maxime omnium catholicae et christianae regionis, patriae etiam vestrae salutem, in qua salus vestra consistit convertere et referre, sicuti mos vester perpetuus semper vos admonuit, hoc potissimum dubio et periculoso tempore studeatis. In quo rem Deo et nobis gratissimam, vobis maxime gloriosam efficietis. Datum Romae etc. die xx. Maii mdxxv. Anno secundo.

Duci Borbonii — ait pontifex se eius litteras et consilia accepisse a Joanne Langueta eleemosynario, seque missurum ad eum Jo. Petrum de Cancellariis, qui sua consilia eidem aperiret. Romae die xxix. Maii mdxxv. Anno secundo.

109.

Principi (Ferdinando Archiduci Austriae).[1]

Dilecte fili etc. Lectis litteris tuis, quae de tumultibus agrestium, et quanto in periculo nob.tas tua versaretur nobis nunciabant, sane pro eo, sicut debuimus, commoti fuimus, nam et dignitatis atque auctoritatis tuae conservatio et salus totius Germanicae nationis, quam prolabentem et ad interitum inclinatam sustentare quoad possumus sumus cupidi, magnam nobis curam iniecerunt, ut tibi non deessemus nostra ope atque auxilio, atque in maximis nostris et Sedis apostolicae difficultatibus, quas tibi esse notissimas scimus, aliquid tamen corraderemus, quo tu amoris nostri et studii de tua salute testimonium habere locuplex posses. In quo tibi subsidio conquirendo praeclara voluntas ven. fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium extitit, quorum assensum aliquot ex reliquis ordinibus consecuti, summam quandam pecuniae sub

[1]) His epistolis pontifex respondet epistolis archiducis quibus iniqua rusticorum rebellio, mala Germaniae periculum christianae reipublicae eidem significabatur. Vide *Documenta Lutherana* a me edita, docum. 211, fol. 436. Ratisbonae 1883.

fide nostra libentibus animis contribuere polliciti sunt, neque enim aliter quam ex tributo et mutuo confici res potuit; eo deventum est propter calamitates superiorum temporum, ut Sedes apostolica, quae ante oppressis iniuste principibus liberaliter subveniebat, alienam nunc ipsa opem et liberalitatem expectare cogatur. Itaque descripta sunt continuo xx. milia aureorum quae tibi istic solvenda mandavimus hic postea Romae per nos reddenda, conabimurque aliquid amplius etiam deinde parare, si tamen probare et ostendere potuerimus his qui contribuunt, non in nos solos totum onus reiectum esse. Sed et nob.tem tuam et coeteros Germaniae principes pro sua salute et dignitate retinenda aeque ac nos et laborare et conferre. Nam quod ordini ecclesiastico in istis regionibus periclitanti subveniamus, videamur forsitan rem profligatam curaturi, audimus enim passim omnia sacerdotum iura, commoda, ornamenta, impiorum potius avaritia quam iusto odio praedae et direptioni exposita fuisse; in quo mittimus iniuriam factam omnipotenti Deo, cui cum ab ignaris etiamdum verae fidei gentibus is coleretur, erat tamen tertia fere pars terrestrium opum in agris et possessionibus consecrata, qua sacerdotes omni immunes ab onere fruerentur, sicut vetus sacra scriptura de Pharaone Aegyptoque declarat; atque illi idolis falsis in suis sacerdotibus tantum honorem habebant; Christi vero cultores coelestis fidei sacramentis imbuti, ut hunc Deo vero eripuerint honorem, hanc illi praerogativam fedarint et proculcarint, quonam malo demone miseri potuerunt adduci? Sed mittimus Dei iniuriam, quae quanquam malorum omnium maxima, tamen apud occecatos animos locum nunc non habet. De principibus ipsis et de nobilitate Germaniae ex his ecclesiarum ruinis quantum est detractum! Illos enim pascebat, illos honestabat ecclesia, illud erat promptum domestica difficultate laborantibus perfugium, quo sublato atque erepto, frustra in omnibus quae evenient posthac tempestatibus portum suae quietis et tranquillitatis sunt desideraturi; quid quod sublata auctoritate ecclesie nullum est inter principes populosque pacis et concordiae firmamentum, cum tanquam anchora tutissima principibus semper fuerit dignitas ecclesiastica, quae dominatum stabiliret illorum, et in popularibus fluctibus eum salvum sisteret, quo armamento dirupto, iam experimento possuut discere, se ad omnes impetus furentium populorum solos fore

expositos. Qui cum a nobis tanto ante monebantur, ut hunc caverent exitum, neve Lutheranis novitatibus obsecundando, tantam perniciem et pestem alerent, quam in ipsorum primo caput denunciabamus erupturam, partim spreverunt salutaria consilia nostra, partim non crediderunt, exceptis paucissimis, qui et virtute et prudentia prediti, obsistere conati sunt, tua nob.te in primis auctore et duce, cui pro hoc preclarissimo animo, omnia profecto debere nos profitemur. Tibi igitur tibi, et iis qui tecum eadem religione ac pietate erga summum Deum ad succurendum pereunti patriae suae incensi sunt, ea quae possumus libenter impartimus auxilia, amplius etiam cupientes, sed facultates amori pares non sunt. Nec desistemus inire aliquid consilii quo, si tu et reliqui principes Germaniae vestram dignitatem et in ecclesiis restituendis divini nominis honorem ab omni labe atque iniuria vindicaveritis, impiaeque novitatis, et inauditi alias sceleris incendium restinxeritis, gratiam vobis aliquam referat ecclesia, onerumque vestrorum et sumptuum, quae propterea subieritis, partem non mediocrem sufferat; etsi te currentem sponte tua scimus nos incitare, quid enim tua pietate, tua constantia ac integritate clarius? ac gravia quidem sunt quae te cingunt pericula, sed eadem gloriam tibi eam benivolentiamque pariunt, cuius fructus a te percipietur sempiternus. Nos tuis litteris lectis ed ad serenissimum fratrem tuum scribere instituimus et cum eis principum oratoribus qui apud nos sunt vehementer egimus, ut pro sua parte hortarentur suos, ut ad haec arcenda pericula ferre subsidium velint, in quo maxima est Caesaris auctoritas, facultas autem omnium et voluntas esset maior, si quomodo aut componi fida pax, aut iuduciis quies dari afflictis et dubitantibus populis possit, in qua pace suadenda tuae praecipue esse debent partes. Illud et vellemus et consulimus tibi, ut eius exercitus fraterni qui locis tuis propinquus est opera et auxilio ut in tanta re velis, cum semper ei periculo quod praesens maxime est subveniendum sit, et omnes intellecturi sint nob.tem tuam vere atque ex animo ad succurrendum periculis communibus totius Germaniae intentam et paratam esse, sicut latius tecum dilectus filius Hieronymus Rorarius nuncius noster nostro nomine aget, cui nob.tas tua fidem omnem habebit. Datum Romae etc. xix. Maii mdxxv. Anno secundo.

110.

Francisco Guicciardino.

Dilecte fili. Haec temporum et rerum perturbatio, quae tanta est quantam non alias fere extitisse credimus, cogit nos inopes quotidiani ordinariique remedii, ad consilia confugere inusitatiora, quae tamen praeclara et salutaria fore non dubitamus, si rem bene susceptam ad optatum exitum poterimus perducere; cumque in eiusmodi nostro consilio exequendo multum in fide et virtute tua acquiescamus, mittimus ad te dil. fil. Nicolaum Malchiavellum civem Florentinum, cum quo omnia nobis tractata communicata examinataque sunt, qui ad te deferat teque plene instruat, et quid nos designaverimus quemve finem spectemus faciat certiorem. Hunc ergo diligentissime audies et fidem ei summam habebis; ac si tu qui in re presenti es cognoveris et iudicaris facilem fore rem et ad eum exitum ad quem per nos intenta est profecturam, statim nos de omni tua opinione ac sententia certiores facias, si vero quo minus expedite et plane perfici possit aliqua tibi obstare et impedimento esse videbuntur de omnibus cures ut sciamus ut quod expedire et in rem esse visum nobis fuerit possimus continuo deliberare. Res magna est ut iudicamus et salus est in ea cum status ecclesiastici tum totius Italiae ac prope universae christianitatis reposita. Sed opus esse arbitramur non solum ordine et diligentia singulari sed nostrorum etiam populorum studio atque amore. Quamobrem tu cui plurimum credimus quique presens perspecta habere omnia potes, re bene ab ipso Nicolao intellecta, statim nos per litteras secretiores edocebis, quid tibi de re tota videatur, in quo et diligentiam a te querimus et celeritatem. Datum Romae etc. die vi. Junii mdxxv. Anno secundo.

111.

Caesari.

Carissime. His diebus cum de tumultibus Germaniae quae fere tota illis impiis Lutheranae pestilentiae seminibus perturbata ad nobilium et principum suorum caedem ecclesiarumque direptionem con-

surrexerat, graves nuncios habuissemus, ac pro nostra summa cura tuendae Christi religionis et dignitatis tuae dil. fil. nobili viro fratri tuo id a nobis per litteras postulanti auxilia pecuniaria mittere decrevissemus in his miseris et afflictis Sedis apostolicae temporibus summo cum labore expressa; destinare instituimus dedita opera tabellarium ad dil. fr. Baldassarem Castilioneum nuncium nostrum, qui cum ser.te tua omnia communicaret, exemplumque litterarum prefati archiducis misimus, ac plane eum instruximus per scripta nostra de eo quod agendum et conferendum cum ser.te tua esset. Nunc quum iam remediis acrioribus haec tanta mala indigeant, estque fidei christianae et universae Germaniae sedandae ac componendae omnis in tuae ser.tis virtute atque prudentia spes reposita, hortamur eandem tuam ser.tem in Domino ut hoc tempore demum quando adhuc tua lenitas et clementia non tantum quantum debuit prodesse in tanta perturbatione temporum profuit, suscipere partes et animos invicti Caesaris velis ac severitate et imperio efficere, ut haec pestifera serpens quae omnia tabe et veneno permiscet atque conturbat, iusta animadversione elisa atque confracta aliquando cum Germaniam ipsam sedem et fundamentum imperii tui tum universam christianitatem liberam placatamque dimittat; quoniam si his opportune non occuratur malis, graviter timemus, ne cuncta in unam pertrahantur ruinam, sicut ab ipso Baldassare nuncio nostro ser.tas tua amplius intelliget cui fidem et attentionem animi prebere non gravabitur. Datum Romae etc. die vii. Junii mdxxv. Anno secundo.

Priori magnae Carthugiae.

Mandat pontifex ut Jo. Baptistae priori Trisulti det facultatem exeundi de monasterio ac ad varias regiones et loca se conferendi ad Sedis apostolicae negocia pertractanda. Datum Romae ix. Junii mdxxv. Anno secundo.

Caesari.

Pro cardinali Salviato, legato — xiv. Junii mdxxv. Anno secundo.

112.

Caesari.

Carissime. Ex eis quae scribit ad nos dil. fil. Baldasar Castilioneus notarius et nuncius noster cognoscimus aliquid quotidie de tua optima erga nos et Sanctam apostolicam Sedem voluntate et quod ser.tas tua in sermonibus omnibus quos habet, ostendat suam opem atque observantiam nobis et eidem Sedi nullo loco defuturam, quae testimonia animi sui semper nobis iucundissima, hoc etiam fuerunt iucundiora quod litteris manu tua scriptis confirmata sunt. Scribit idem etiam foederis inter nos initi conventiones tua assensione fuisse comprobatas, quod multo nobis gratissimum fuit; qua enim nos fide et qua sinceritate animi ad foedus illud accessimus eadem ser.tem tuam non dubitamus in eo esse permansuram, quamquam illud foedus non tam nova coniunctio inter nos extitit quam veteris necessitudinis confirmatio: sed ut foedus totum unam habet normam et unam fidem observantiae, propterea que actores et oratores tui qui egerunt nobiscum, ac nos qui cum illis contraximus, una fide et uno iureiurando omnia simul comprehendimus; sic in singulis partibus sua est observantia tribuenda. Ac ut nobis quidem videtur, in toto foedere ita habita est ratio amplitudinis tuae ut nostras partes tuis non fecerimus potiores: si quid vero ad nos et ad Sedem apostolicam valde pertinuit, quod ad levandam contumeliam quae vacante Sede fuit accepta, et ad pristinam possessionem recuperandam in foedere fuit appositum et sancitum, de eo hortamur ser.tem tuam ac omni animi nostri studio requirimus, ut quod promissum, et fide iurisiurandi per oratores tuos causam tuam diligentissime agentes confirmatum fuit, id ut nobis observetur ac quam primum praestetur velis efficere; presertim cum nihil tibi in eo detrahatur adverus quem a nobis liberaliter est actum: et etiam sine foedere, digniores nos esse debeamus quam quivis alius in quos tua sit ad gratificandum propensa voluntas. Quamobrem vero nos digni magis esse debeamus, iccirco non ascribimus quia ser.tem tuam per se ipsam confidimus intelligere, et tamen ab ipso nuncio nostro et docta est et amplius docebitur. Certe si hac spe et aequitate frustraremur, non sine onere Sedis opostolicae ac nostro nec sine gravi

suspitione tuae alienatae a nobis voluntatis id existimaremus procedere, quod eo esset nobis molestius quo minus merito nostro accideret, etenim cum tua ser.tas omnia plane et penitus cognita habuerit, intelliget nos ipsius esse et semper fuisse amantissimos. Sed et tu ita amator iustitiae, ita fidei et promissi tenax, quomodo posses iustitiam et fidem tuam sanctae matri ecclesiae imploranti denegare? non est profecto nec naturae nec magnitudinis tuae nolle data quae tuo nomine promissa sunt, cum in eo nós quoque plus nos tibi reddere fuerimus polliciti quam ius nos posceret. Et quidem non diffidimus ser.tem tuam more suo ad aequitatem et ad iustitiam se daturam, sed iccirco studiose hec scripsimus ut cognosceret ser.tas tua quantum ea res nobis sit cordi. Nos quidem quod amplitudinis tuae causa facere potuerimus tam de his quae foedere comprehensa sunt, quam quae extra foedus invenies nos semper promptissimos sicut in eo etiam quod a nobis per litteras petiisti, iam potuisti intelligere nec quicquam gratius habituri sumus quam tibi grata facere. Qua item ut tu erga nos velis esse voluntate ser.tem tuam etiam atque etiam in Domino obtestamur, sicut latius cum ea idem nuncius noster nostris verbis aget, cui illa fidem summam habebit. Datum Romae etc. die xv. Junii mdxxv. Anno secundo.

Non posset ser.tas tua aliquid nobis gratius unquam facere, quam et accipere animum atque amorem nostrum sicut nos tibi eum cum omni fide et benivolentia offerimus ac dicamus, et tuam nobis vicissim fidem ac benivolentiam prestare. Quod te facere intelligemus et gaudebimus, cum cognoscemus tibi esse curam honoris nostri, et huius S.tae Sedis, et quod in foedere est promissum a tuis et stipulatum, etiam cum utilitate ser.tis tuae id nobis observandum mandaverit; sic enim et nos ea spe et fide quam de ser.tis tuae optimo in nos animo habemus non decipiemur, et tua ser.te nobis exemplum dignissimum monstrante ad ea quae per nos promissa sunt observanda constantiores et ardentiores erimus; et quod summe desideramus in ser.te tua unicam spem quietis et dignitatis nostrae collocabimus.

(Foris).

Anno secundo mdxxv. Junii xv.

Caesari responsivum ad eius litteras manu propria.

113.

Caesari.

Carissime etc. Superioribus diebus cum in eo opere, atque officio, quod susceptum a nobis diu ante fuerat procurandae et suadendae communis pacis perseverandum esse existimaremus, atque eo etiam magis, quod insigni ad te et memorabili victoria divinitas delata, sedatae iam contentiones, et ad optimum ac iustissimum principem omne pacis arbitrium delatum videbatur, dilectum filium nostrum Joannem ss. Cosme et Damiani diac. card.lem de Salviatis nostrum secundum carnem nepotem, de ven. fratrum nostrorum consilio ad ser.tem tuam legatum de latere destinavimus; qui animi nostri penitus conscius, versatusque in administratione rerum earum, vigente etiam tum bello, quae illi per nos in proximis locis Placentiae et Parmae fuerant mandatae, omnia nostra consilia ad te posset perferre. Qui eum ad iter se pararet, essetque per Galliam profecturus, ibi quoque sparsurus semina pacis et hortaturus eas nationes ad pacem summissionemque tibi et victori et Caesari praestandam, intelleximus quod magnae nobis voluptati fuit, ipsum carissimum in Christo filium nostrum Franciscum regem christianissimum ad te deductum iri. Quo nuncio sperare certo coepimus, eam quam tantopere semper desideravimus, nos celeriter visuros esse pacem, et quidem in tantis calamitatibus, et prope ruinis rerum omnium, quae afflictam christianitatem undique premunt, unicum superest remedium optata pax, in congressu autem vestro inspirante tuae ser.ti Deo, quae ipsi grata, tuo nomini honorifica sunt, confidebamus rationem concordiae et compositionis omnino esse ineundam; proinde ea spe et letitia excitati, mutato consilio, supradictum cardinalem legatum, qui iter per terram habiturus erat, maritima navigatione uti iussimus, quo celerius istuc perveniret; quod et si his paucissimis diebus erat futurum, tamen hunc tabellarium cum litteris properare ante iussimus, tuam ser.tem in Domino obtestantes, ut quando nunc omnis tibi a summo Deo permissa est placandae christianitatis potestas, ita uti ea velis, ut tua optima et christianissima mens, et publica omnium gentium expectatio et pollicere et postulare videntur. Nos, ut et officio nostro satisfaciamus, et participes simus

sanctorum operum, cupimus Dei nobis gratia et tua benignitate aspirante, ut legatus noster in tempore veniat, quo interesse salutaribus deliberationibus possit, qui etiam consilia aliqua non inutilia, ut arbitramur, tuae ser.ti est allaturus. Qui si opportune advenerit, intelliget ser.tas tua cum salute et honore christianae reipublicae tuam amplitudinem nobis supra omnia et esse et semper fuisse charissimam. Sicut latius cum ea dil. filius Baldassar Castilioneus notarius et nuncius noster aget; cui illa fidem habebit. Datum Romae etc. die xv. Junii mdxxv. Anno secundo.

Regi Portugalliae.

Missio Rosae. Junii xviii. mdxxv. Anno secundo.

114.

Caesari.

Carissime etc. Tui praestantis in christianam rempublicam et religionem animi multas indicia iam et documenta feruntur, et pietatem quandam admirabilem et sapientiam declarantia, inter quae illud non minimum vel singulare potius, quod tantam modo adeptus victoriam, quantam multa retro secula non viderunt, prosperitatis afflatum ita moderatus es, ut illud apud omnes celebre iam sit, te non iccirco laetatum esse quod de christiano rege victoriam reportaris, sed quod bello velut necessario confecto, in hostes Dei et inimicos fidei movendorum armorum oblatam tibi intelligas esse occasionem, et certe haec cogitatio dignissima serenitate tua est; vera enim huic tibi utilitas vera gloria comparabitur. Et quoniam nos nihil ardentius desideramus quam temporibus nostris videre qui propugnationem christiani nominis suscipiat, et hanc tibi potissimum laudem et cupimus et auguramur, cum haberemus apud nos dil. fil. Joannem Lascarem, hominem omni virtute nobilitate prudentia eximium, peritissimum et hominum et rerum omnium quae ad Turcas et barbaros illos pertinent, instituimus mittere eum ad te ultro hoc a nobis postulantem, ut quoniam suam exactum iam aetatem in hoc uno studio concitandae adversus Turcas expeditionis consumpsisset, tuamque ser.tem a Domino Deo de-

lectam esse arbitraretur ad quam hoc tantum decus perveniret, proficiscenti ad te mandata et commissiones nostras traderemus. De quo homine quoniam is nobis notissimus est et domi nostrae omni studio coniunctissimus in qua ipse aetatem fere exegit, possumus verum tuae ser.[ti] testimonium dare, et doctrina eum et consilio precipue valere, eo genere autem oriundum ex quo clarae memoriae principes ac imperatores olim Constantinopolim atque illud imperium tenuerunt, studio ita affectum christianis rebus et saluti ac liberationi patriae suae quae vetus illa et nobilis Grecia est, ut nunquam destiterit quoad licitum fuit apud quoscumque loqui ei fuit datum instare monere urgere, ut civilibus inter christianos bellis omissis, illud bellum gereretur, in quo uno vincere preclarum et gloriosum, vinci vero nec turpe nec exitiosum esset, cum pro Christo Domino militantibus mors optabilior esse debeat quam in bellis quae a Christo aliena sunt victoria. Quanquam in hoc bello in quo rerum christianarum salus et amplificatio proponitur, nec de victoria nec de gloria te duce et auctore, si te in eam cogitationem contuleris, est dubitandum. Quod cum nos aliquando oculis usurpare et tanto frui gaudio possimus, duplexque in eadem re beneficium ab omnipotente Deo accipere, ut et ipsius nomen ac catholicam fidem auctam propagatamque videamus, et ab eo principe auctam cui nihil est tam sublime atque amplum quod non omni affectu animi adesse atque evenire cupiamus; ad has igitur tam nobiles et praeclaras cogitationes hominem mittimus summe aptum ac idoneum, qui vires consiliaque hostium, qui studia ac voluntates illorum populorum imprimis novit, eaque potest ser.[ti] tuae commodissime explicare. Quae si ser.[tas] tua grate ac humaniter exceperit, ac cum eo contulerit quae sunt ad tantum negocium opportuna, fidemque illi certam adhibuerit, cognoscet se non solum maximam ex hoc homine utilitatem, verum etiam gloriam sperare posse, idque ut faciat illam summopere in Domino precamur. Datum Romae etc. die xviiii. Junii mdxxv. Anno secundo.

Andreae Ungonis provinciali Germaniae inferioris et Petro de Novimagio, et Guillelmo de Alten ordinis predicatorum — ut possint absolvere Lutheranos resipiscentes. — Junii xx. Anno ut supra.

115.

Dubi Borboni.

Dil. fili. Litterae tuae die xi. et xii. huius datae, gratae nobis maiorem in modum et iucundae fuerunt; declararunt enim candorem et virtutem animi tui de nobis ac rebus nostris amantissime cogitantis, quod et te semper fecisse scimus, et in posterum facturum non dubitamus. Dum enim curas ut nota nobis sint et ea quae accidunt, et consilia cum illis tua, satis plane ostendis, quam erga nos geris benivolentiam ab optima eam et sincera procedere voluntate; pro qua, ut debemus, pari certe tibi amore et studio respondemus. Quod utinam accidat ut re possimus tibi declarare. Nos et de iis quae scribis ad nos sentimus idem quod tu, et ut nos de singulis rebus quae in dies evenient facias certiores nobilitatem tuam valde in Domino hortamur. Quam prefectam curae et administrationi rerum Caesaris in illis locis admodum gratulamur, sapiente enim et probo rectore omnia sperandum est recte et moderate esse agenda, quod tuae mentis bonitas consiliique prudentia et pollicetur et prestatura est. Datum Romae etc. die xx. Junii mdxxv. Anno secundo.

116.

Caesari.

Carissime. Cum accederet ad ser.tem tuam dilectus filius Philippus Villierslisliadam hospitalis S.ti Joannis Hierosolimitani magistro, etsi confidebamus eum tibi et suo et religionis illius nomine fore commendatum, propterea quod et ipse dignus est cuius habeatur ratio, eo etiam magis quod in maximis periculus pro Christi fide versatus utinam felicitatem virtuti parem expertus esset, et religionis illius multa et magna extant in christianam rempublicam merita; tamen voluimus accedere commendationem nostram ac ser.tem tuam orare ut eius adventum grate benigneque accipere ac quae ad constituendam ac erigendam religionem pertinent pro tua magnitudine et in Deum reverentia praestare velles. Quanquam alias quo tu animo in illorum commodum esses fuit declaratum, cum illi religioni et militie Maltham insulam assignare

voluisti, in qua post Rhodum captam sedem et stationem militiae suae collocarent, quae tunc ab illis recepta non fuit, non quin fuerit illis liberalitas tua grata, sed quia ut ipsi nobis rettulerunt, non erat illi locus domicilio aptus ex quo multum prodesse christianis gentibus adversus impetum Turcarum possent; eo autem sunt animo si idoneam sedem nacti fuerint, si unquam alias ab eis in propugnatione sanctae fidei fuit laboratum, posthac maxime laborare; iudicareque omnibus virtutem sibi nunquam prosperos autem exitus aliquando defuisse, quos tamen correcturos se industria et vigilantia confidunt; quibus et per nos et per te et per eos omnes qui Christi gloriam charam habent est consulendum, per te autem praecipue cuius et potestas ampla et voluntas pia atque sancta semper extitit. Venientem ergo dictum Philippum ad ser.tem tuam ut humane ac liberaliter excipias te magnopere in Domino adhortamur, ac postulanti a te ea auxilia atque consilia quibus et eius dignitas et ipsa religio constitui possit animum mentemque accomodes. Quod efficiet ser.tas tua non solum sibi et nomini suo et reliquis tuis preclaris actionibus consentaneum, sed et Deo omnipotenti ac nobis imprimis gratum. Datum Romae etc. die xxii. Junii mdxxv. Anno secundo.

(Foris).

Caesari pro magistro Rhodi.

Cardinali Borbonio — super dissolutione matrimonii a Carolo Quesmei attentati cum sorore uxoris suae demortuae — Junii xxv. Anno ut supra.

Duci Borbonii — Ait pontifex se locutum fuisse cum Joanne Languetoc eius eleemosinario illique sua consilia communicasse ad ipsum ducem perferenda. Eodem die et anno.

117.

Regi Poloniae.

Carissime. Quae de serenitate tua a dilectis filiis Laurentio cardinali Campegio legato et Jo. Antonio Prelleone barone Burgii nunciis nostris accepimus ser.tem videlicet tuam sua etiam legatione et aucto-

ritate interposita adiuvisse causam Bohemorum et gentem illam ad unitatem et observantiam Sanctae Sedis apostolicae hortatam fuisse, ea nobis acciderunt gratissima, ac tanto gratiora quod abs te profecta sunt in quo vere omnia optimi regis officia et munera semper recognovimus, ac virtutes quidem etiam ceteras eximias, sed illam religionis et pietatis maximam, quae una maximis regibus praecipue digna est et semper fuit. Sed etsi causa illa nondum ad eum qui sperabatur exitum perducta est, propterea quod his duris difficilibusque temporibus, fretus multitudine impiorum et sceleratorum, Sathanas omnia ad se nititur revocare, confidimus tamen Domino Deo, et in prudentia atque auctoritate tua magnam spem collocatam habemus, fore aliquem aliquando nostris desideriis aditum et ad illas Bohemorum res et ad multas alias componendas, quod ita petimus et precamur donari nobis a misericorde Deo, si in boni publici et christianitatis commodum non ad nos ipsos omnia nostra studia et labores referimus. Tibi quidem et agimus pro ea cura quam in tam sanctum opus suscepisti, et ut videmus saepe acturi sumus gratias, nostrumque in te amorem optime semper locatum quotidie magis augere non desinimus, quod utinam tibi possemus aliquando ut cupimus declarare. Et quoniam de his et aliis multis scribimus ad supradictum baronem nuncium nostrum ut agat verbis nostris cum ser.te tua, ac cum ea ubi erit opus omnia conferat, hortamur ser.tem tuam in Domino ut ei in cunctis fidem summam habere velit. Cui cum dederimus etiam alias in mandatis ut, si contingeret ser.tem tuam cum car.mo in Christo filio nostro Ludovico Ungarie rege nepote tuo coniungi, quaedam tibi et illi nostra mandata exponeret et litteras redderet, etsi aliquantum temporum est mutata conditio, tamen quoniam eadem illa quae in dictis litteris poscebamus nunc quoque non minus quam illo tempore cupimus, iterum petimus a te ut illa quoque audire et litteras legere nobisque vel Deo omnipotenti potius et reipublicae christianae saluti solitam tuam virtutem et operam prestare velis. Quod facies nobis supra omnia gratissimum. Datum Romae die i. Julii mdxxv. Anno secundo.

118.

Duci Sabaudiae.

Dilecte fili. Gratissimum nobis fuit cognoscere ex dilecto filio Richardono Camerario tuo nobilitatis tuae consilia tum laudanda ipsa per se, tum nobis etiam eo iucundiora quod summam tuam erga nos declarant benivolentiam, cui nos quidem pari amore respondemus. Iter quidem tuum non modo fore utile arbitramur, verum etiam honorificum; multum enim auctoritas tua momenti affert ad compositionem pacis et ad danda consilia fidei Christi et propulsandis christianitatis periculis opportuna. Inter quae non dubitamus nostram quoque et Sedis apostolicae dignitatem tibi cordi fore; haec enim omnia nobis de te tua prestans virtus et pietas pollicetur. Sed haec ex eodem ipso Richardone cognosces, cui fidem habebis. Datum Romae etc. die i. Julii mdxxv. Anno secundo.

Nuncio in Ungaria (Baroni Burgio) pro pecuniis detractis a Fuccharis. Julii iii. anno ut supra.

119.

Caesari.

Carissimo. Cum venisset ad nos dil. fil. Hieronimus de Franciscis locumtenens summariae Neapoli, iterque ad ser.tem tuam habiturus esset vidimus eum sane libenter, tum propterea quod ex tuis et vices tuas agentibus erat, tum quod ipse quoque suis virtutibus et prudentia est diligendus. Eius adventu ad ser.tem tuam, etsi confidebamus te cogniturum ex eo omnia quae in his oris geruntur et aliqua presertim ad tuum et nostrum honorem spectantia, cuius aliqua iactura est, Turcis et infidelibus vicina maria cum tuo nostroque contemptu obtinentibus et cuncta depopulantibus, tamen locuti sumus cum eodem largiter et quid cupiamus agere circa haec ser.tem tuam, et quo modo nobis providendum esse videatur; hortamur itaque ser.tem tuam in Domino ut ad decus Dei et fidei christianae ac tuam amplitudinem conservandam quae nobis cum illo communicata sunt ad securitatem littorum com-

munium nostrorum a Turcis et infidelibus piratis pertinentia cum audire ex eo fidemque illi habere, tum etiam pro tui nominis auctoritate et fama providere velis, quod erit reliquis tuis preclaris actionibus consentaneum. Datum Romae etc. die iiii. Julii mdxxv. Anno secundo.

Episcopo Tridentino, ut pergat in bonis operibus. Romae die v. Julii mdxxv. Anno secundo.

120.

Viceregi (Neapolitano).

Dilecte fili. Accepimus litteras tuas die xvi. Junii datas quae nobis vehementer gratae fuerunt; tuae enim optimae in nos voluntatis quam magni profecto facimus sunt testes; nos quidem et de nostra erga nob.tem tuam voluntate et de eis rebus et officiis quae abs te postulamus, dedimus dil. fi. Baldassari Castilioneo nuncio nostro apud Caesarem mandata tecum communicanda. Hortamur nob.tem tuam in Domino ut ei fidem habere ac praestare nobis quam ostendis benivolentiam velis, quam nos simili animo erga te sumus compensaturi. Datum Romae die vii. Julii mdxxv. Anno secundo.

Regi Portugallie — Pro Michaele Sylva, oratore apud pontificem, quem rex, veritus ne pontifex eius dignitatem amplificaret cardinalatus honore, ad se revocaverat, ratus id dignitati suae officere. Romae vii. Julii mdxxv. Anno secundo.

121.

Archiduci Austriae.

Dilecte fili. Accepimus exemplum earum responsionem quas nob.tas tua prudentissime ac consideratissime tumultuantibus suis popularibus reddedit, quae nobis dignissimae visae sunt ea virtute cuius in te opinionem summam semper habuimus; neque nobis solum sed et ven. fratribus nostris in quorum consistorio lectae fuerunt. Itaque de iis et a nobis et ab illis tibi habentur gratiae, teque hortamur quamquam

currentem ut pergere ad sedationem illius modi plebium, salva ubique tua et divinarum imprimis legum dignitate, velis, ac saepe a maioribus tuis usurpatam conservandae auctoritatis ecclesiasticae gloriam amplificare sicut est proprium virtutis et sapientiae tuae. Nos quae tibi polliciti sumus subsidia ut expediamus nihil pretermittimus diligentiae. Sed est in exigendo aliqua defficultas, quae tamen nec fidem nostram nec amorem moratura est. Quod etiam ex dil. fi. Petro Salamanca actori hic tuo intelligere poteris. Datum Romae etc. die xi. Julii mdxxv. Anno secundo.

Johanni regi Portugalliae. — Ait pontifex se licet aegre ferat Michaelem Sylva a se discedere, gratum tamen habere quod exinde eo interprete usurus sit apud regem ipsum, praesertim circa nonnulla secretiora consilia, super quibus hortatur eundem R. ut vicissim nullo alio interprete utatur, precaturque ut publico christianitatis bono sua quoque consilia operamque conferat. Laudibus denique extollens virtutem Michaelis, precibus contendit ut is apud regem sit gratior atque ornatior. Datum Romae die xii. Julii mdxxv. Anno secundo.

122.

Regi et Reginae Poloniae.

Carissime et carissima. Quae ad nos scribitis de arce vestra et de civitate Barensi, cuius nondum plene vobis est possessio restituta, ea nobis tantae curae sunt ut si nostra et propria essent, quanquam etiam maiore studio in rebus vestris propter fidem benivolentiae quam in nostris propter nostram utilitatem commovemur. Itaque scripsimus et ad dil. fi. nostrum Joannem legatum in Hispaniam et ad ser.mum Caesarem destinatum et ad nostrum ibidem nuncium, ut summa ope ac diligentia rem totam hanc apud Caesarem nostro nomine procurent, quantique ea a nobis fiat omnibus modis ostendant, nec sumus vel si quod nobis sponte in mentem venerit vel si admoniti a vestris fuerimus, ullum locum pretermissuri omnium officiorum quae ab amantissimo patre et constante amico expectari possunt vobis exhibendorum, ser.tes vestras in Domino hortantes ac enixe requirentes ut hanc de

nobis spem semper et fiduciam teneatis, nos honori commodo amplitudini vestrae ubi fuerit datum nunquam esse defuturos. Datum Romae die xx. Julii mdxxv. Anno secundo.

(Foris).

Regi et Reginae Poloniae de Ducatu Barensi.

123.

Regi Poloniae.

Carissime etc. Accepimus plures uno tempore ser.tis tue litteras, in quibus nos cum de induciis cum Turcarum principe factis certiores reddis; tum pro tuo pacis studio, proque et nostris et praedecessorum nostrorum ac aliorum principum christianorum hortationibus et precibus, res composuisse cum magistro Prussiae significas, vetusque et diuturnum inter vos bellum, qua fieri nunc potuit ratione, sustulisse. Cui utrique facto tuo atque consilio, eas rationes affers, quae tibi non modo probabiles, verum etiam necessariae visae sunt, eaeque in litteris ipsis tuis apte et prudenter expositae. Ac nos quidem de induciis cum Turca factis, quoniam tu praesens regni tui necessitates nosse melius potes, dum salva tua et tuorum affinium ac vicinorum principum dignitate, sine ullis iniquis et abiectis conditionibus factae sint; neque tendant in iacturam et detrimentum nominis christiani, quod nos tamen tua freti sapientia et magnitudine animi confidimus, possumus vel acquiescere hoc tempore, vel saltem connivere; nihilque existimare a ser.te tua sine maximo consilio fuisse factum, quando ea omnium de te, et nostra inprimis est opinio; neque te propter prudentiam falli in consiliis capiendis posse; neque propter perpetuam et praestantem in Deum omnipotentem fidem et religionem, quicquam illius nomine indignum admissurum aut probaturum esse; cum ipse praesertim polliceare, si his intestinis ac pene civilibus armis depositis, quae christianitatem totam cruentarunt, arma communi studio in communem hostem convertantur, te publicae causae non defuturum, quam promissionem tuam dignam tua fide atque constantia, sic accipimus, ut simus eam suo tempore repetituri. Illud autem alterum, quod cum magistro Prussie ad pacem et concordiam devenisti, praeclaris utique nominibus

obtentum est; nam et pacis iucundum nomen, et conditio regni tui eiusmodi, ut tibi finire bellum cum illo ordine expediret, et tempora aliis bellis et periculis turbulenta, et nos semper pacis tibi cum illo ordine auctores fuimus, tuque per huiusmodi pacem atque concordiam, ad ius et auctoritatem tuam melius pervenisti. Gravia ista omnia et dictu speciosa sunt; eaque a nobis libentissime probarentur, si is cum quo tibi positis inimicitiis pax suscepta est, si vera de eo ad nos allata sunt, dignum se tua ista et munificentia et mansuetudine praebuisset. Nunc quid debeamus de eo existimare aut scribere, incertum est. Ut enim omnia a tua parte plena optimi animi et sanctissima mente facta existimemus, sicut certe existimamus, nec aliter de tanto et tam Christi amante rege sentire est fas, non possumus ex altera quid sentiamus decernere. Illud quidem maiorem in modum ex tuis literis gavisi sumus, quod serenitas tua ostendit se omnem daturam operam, et iam dare cepisse, ut Christi fides atque religio, in illis Prussiae populis restituatur. Quod te fili carissime quanto possumus studio obtestamur per viscera misericordiae Dei nostri, ut hoc quoque monumentum pietatis et bonitatis tuae ad reliqua facta praeclara et fortia, quae antehac fecisti, adiungas. Miseret nos illorum miserorum et infortunatorum calamitatis, qui non fortunas suas, sed se metipsos perditum eunt, dum volunt pravis rectoribus et monitoribus suis obtemperare, in quibus si tu hereditatem maiorum tuorum, ut scribis, repetiisti, in memoria habeas precamur, hereditatem quoque Domini Dei in illis esse servandam. Cuius quidem Dei et nos et illi, et ser.tas tua, iusta hereditas sumus. Nos, nisi paterni affectus dolore commoveremur, hac facile possemus cura et sollicitudine animi supersedere; sed pro pastoris et patris dumtaxat officio, afficimur tot simplicium et miserorum saluti quorum te quoque ut misericordia capiat deprecamur; quando eorum cura et custodia pro tuae superioritatis iure, sapientiae etiam et fidei tuae commendata est. Ad hanc rem perficiendam nos omnia nostra studia atque officia ser.ti tuae offerimus; nihil recusaturi, quod ad restituendos Deo fideles suos pertineat; atque omnia acturi, ut intelligat ser.tas tua nihil aeque nobis charum ac Dei honorem, nihil tam iucundum, quam tuam dignitatem et esse nunc et semper fuisse, sicut a dilecto filio Jo. Antonio Pulleoni nuncio nostro in Ungaria ser.tas

tua plenius cognoscet, cui vel eius literis fidem indubitatam habebit. Datum Romae etc. die xx. Julii mdxxv. Anno secundo.

Cardinali Portugalliae — Iniungit pontifex ut executionem citationis ac instructionem causae adversus episcopum Zafiensem, graviun scelerum reum vocatum, quamprimum ad se remittat. Romae xxviii. Julii mdxxv. Anno secundo.

Regi Portugalliae — de Martino de Portugallo eius oratore et Michaele Sylva. — Romae xxix. Julii mdxxv. Anno secundo.

Eidem — Responsio gratulanti de assumptione ad pontificatum. — Romae xxix. Julii mdxxiv. Anno primo.

Regi Ungariae
Duci Venetiarum } Pro Stephano Broderico oratore in Ungariam redeunte.
Romae viii. Augusti mdxxv. Anno secundo.

124.

Regi Ungariae.

Carissime. Cum ex Hispania litteris ac nunciis intellexerimus duorum instante congressu regum, Caesaris videlicet et regis christianissimi, prope exploratam pacis spem haberi, nos id quod iamdiu animo molimur, coniungere vires christianas adversus Turcam hostem cupientes, inque eo et totius christianitatis commodo et istius regni nobis dilectissimi saluti consulere, decrevimus statim destinare ad ser.^{tem} tuam dil. fr. Stephanum Brodericum oratorum tuum ut tecum multa nostris verbis conferret, hortamur ser.^{tem} tuam in Domino ut eum libenter audire atque in cunctis quae a nobis rettulerit fidem illi indubiam habere velis. Quem etiam ser.^{ti} tuae plurimum commendamus, virum enim prudentem et integrum et tui honoris ac nominis peramantem cognovimus dignumque qui imprimis tua et gratia et liberalitate fruatur, quod nos illi testimonium apud ser.^{tem} tuam vere et sincero animo damus. Datum Romae die viii. Augusti mdxxv. Anno secundo.

125.

Regi Ungariae.

Carissime etc. Magna laetitia nos affecerunt tuae ser.^{tis} litterae manu propria scriptae; significarunt enim nobis et commendationes nostras pro homine prudente et probo interpositas magni momenti apud te fuisse, et spem in nobis excitarunt te optimis posthac consultoribus utentem quae a magno rege expectanda sunt et regno populisque tuis et toti christianae reipublicae prestiturum. Non enim ignoramus quae sit indoles virtutis tuae et quantum de tua probitate ingenio humanitate sperandum sit. Sed quod est veri regis proprium cognoscere res suas et non alienis semper oculis cernere, alienis audire auribus, id a ser.^{te} tua pro nostro singulari et vere paterno in te amore ut agas expetimus. Novimus istius regni opes, vim, copiam, virorum animos et robora; quae si regis prudentia recte gubernentur, industria alantur, non modo finitimis populis et nationibus sed omnibus in omni facultate paria esse possunt. Quam tantam administrationem et moderamen rerum maximarum tibi a Domino Deo datum cupimus a te fili carissime regia virtute atque animo gubernari. Haec vero ipsa gubernatio in duabus rebus potissimum consistit, ut et tu per te tuas res intelligas, et bonorum consiliariorum ac fidelium ministrorum opera utare; qui non suum privatum commodum sed tuam gloriam regnique totius salutem propositam habeant.

Hoc nos animo et hac tui honoris cupiditate inducti commendavimus tibi dil. fi. Stephanum Brodericum ad officium cancellariatus ac nuncio istic nostri homini prudenti commissimus ut quaecumque videret ad removendas istius regni offensiones opportuna ea nostra auctoritate et nomine apud ser.^{tem} tuam procuraret; quem officio functum diligenter, et tuam ser.^{tem} humanitate et prudentia in nostris monitionibus accipiendis fuisse usam plurimum gaudemus. Nos veterem et perpetuum nostrum amorem erga te prosequemur patriumque affectum, ac si filius noster esses ex nobis natus, conservabimus, nunquamque curam dimittemus ex animo istius regni cum tua laude fovendi et conservandi. Cuius tu curae nostrae ut adiutor et socius sis, studio auctoritate prudentia imperio ser.^{tem} tuam plurimum in Domino ad-

hortamur, nec quicquam abs te gratius expectamus quod agas pro nobis, quam hoc ipsum quod ad amplitudinem tuam et gloriam tuarumque opum incrementum et recognitionem pertinet. In quo quae nobis ad te monendum tanquam filium necessaria visa sunt, ea dedimus ipsi Broderico in mandatis ad te perferenda, cui et nuncio una istic nostro ut ser.tas tua fidem habeat, omniaque in bonam accipiat partem omni animi studio ab ea petimus. Datum Romae etc. die viii. Augusti mdxxv. Anno secundo.

Caesari — Pro quodam ad eum proficiscente. — viii. Augusti mdxxv.

Archiepiscopo Strigoniensi — Pro Stephano Broderico. — Die et anno ut supra.

57. 126

Stephano Verbez comiti palatino.

Dilecte fili. Ut primum intelleximus nob.tem tuam suis illi virtutibus et meritis suffragantibus non solum car.mi in Christi filii nostri Ludovici Ungariae regis illustris sed totius prope regni delectu ac iudicio ad istud comitis palatini officium fuisse sublatam ac vocatam, etsi pro illa quae inter nos semper intercessit benivolentia gratum et iucundum id habuimus, plus tamen laetitiae illius regni utilitas quam ratio amicitiae sibi vindicavit; quamqam enim hominis nobis carissimi et, ut multis rebus iam perspeximus nostri amantissimi, honore gaudeamus, praecipuum tamen illud gaudium nostrum est, quod confidimus Deo istud regnum benignius aspiciente propter prudentiam et integritatem tuam regis istius amplitudini et regni totius saluti optime esse consultum, de quo quidem nos assiduam in animo curam gerebamus, et regi et regno non parum metuentes, cum finitimo hoste potentissimo eodemque insidiosissimo, non ut cupiebamus cerneremus remedia tantis periculis apta procurari; neque tamen quenquam in culpa et crimine ponimus, sed apparebit profecto et patefiet bono et prudente viro tale munus atque officium administrante, quid possit in gubernandis rebus magnis virtus et integritas, et quam vim habeat fides atque industria: quas partes quoniam in te esse cognoscimus iccirco maximum est a

nobis gaudium de tua dignitate susceptum; omnem enim honorem et omne incrementum auctoritatis tuae ad publicum bonum referimus. De quo quidem honore tuo et tibi et regno isti paterno studio gratulamur, Dominium Deum deprecantes, ut tuam hanc laudem velit propriam esse ut te consilia acta et cogitationes tuas ad salutem regni istius et regis gloriam dirigente, res et regis et regni felicissime succedant. Nos qui et regnum et regem patris amore prosequimur, et qui divini nominis gloriam ceteris rebus preponimus, admonebimus etiam nob.tem tuam fortassis non necessario verum tamen amanter, ut diligenter cogitare velit in quem honoris et muneris locum et quo tempore sit a Domino Deo vacata, cuius Dei iudicium et omnium istius regni procerum spem atque opinionem si sua virtute et abstinentia comprobaverit eamque adhibuerit curam et diligentiam quae in tantis negotiis et infirme dispositis ac paratis regni illius rebus est adhibenda, non solum opes suas adversus omnem impetum fortunae tenaciore anchora stabiliverit, sed et magni meriti locum acquisiverit apud Deum et nobis ac reliquis omnibus qui ipsius gloriae favemus maximam voluptatem attulerit. Quod ut facias te etiam atque etiam in Domino obtestamur, nosque magna parte huius curae leves, quae de regni salute in animo nostro haeret infixa; de quo etiam tuam et conscientiam et animam apud omnipotentem Deum obstringimus. Nos cum aliquot de causis ad christianam rempublicam spectantibus dil. fi. Stephanum Brodericum istius regis ser.mi oratorem ad ipsum regem mitteremus, iniunximus illi ut ipse tibi quoque nostro nomine gratularetur tecumque conferret nonnulla, in quibus volumus illi abs te fidem certam adhiberi. Datum Romae die viii. Augusti mdxxv. Anno secundo.

127.

Regibus Poloniae et Hungariae.

Carissimi. Gratias agimus Deo qui vota nostra exaudiens serenitates vestras in unum copulavit; non enim iam dubitamus quin quae nobis curam et molestiam afferebant, externa prius ab hostibus Turcis pericula deinde vero graviora etiam intestinarum heresum mala, communi amborum vestrum consilio et unanimi concordia extirpentur, cum

uterque vestrum seorsum tantam dederit operam in honorem summi Dei et fidei catholicae conservationem, ut et nos ipsi et quicunque Deo affecti sunt, magna se vobis devinctos fateantur gratia: nam et ad Lutheranam impietatem reprimendam uterque pro Dei nomine acer et promptus extitit, et ad illam inclytam Bohemorum gentem unitati christianae restituendam omni a vobis cura et diligentia elaboratum est. Sed ut illa bene coepta sunt, sic vos ambos obsecramus in Domino ut instare et pergere et ad extremum deducere sancta vestra consilia debeatis, Dei quidem ipsius imprimis causa sed nonnihil etiam nostra, qui non verborum honore sed vero animi affectu patrium amorem erga vos retinemus, tantumque desideramus vestram felicitatem et gloriam quantum nostram. Illa autem quae nos admodum premunt et premebant car.^{me} fili Ludovice, quod regni tui statum atque ordinem cupiebamus aliqua ex parte in melius constitui, propterea quod ingenium tuum egregium et singulare ad aetatem perfectam consilii nondum pervenerat, nunc sunt tibi patrui tui consilio et sapientia constituenda, illum precamur ut audias; habet ille erga te amorem patris, sapientiam in se summi regis; eius tu similis es futurus, hoc enim preclara indoles tua nobis pollicetur; interea quidem quae ille admonuerit tuae erit virtutis et bonitatis non praetermittere; laboramus animo pro te, in patris locum tibi successimus et tutela et benivolentia et cura; da nobis hanc laetitiam premium curarum et sollicitudinum nostrarum ut eam quam optamus in te virtutem et magnitudinem animi cernere, celerius quam aetas pati posse videatur perfectam videamus. Tu vero fili car.^{me} Sigismunde accipe etiam vices nostras et in communi filio ornando ac confirmando omnem tuam qua plurimum vales sapientiam exprome; est ille tibi prope sanguine, nobis ex Deo filius, amore utrique nostrum par, ut quae ad eius decus et dignitatem pertinent sint inter nos communia. Sed nos plurimum tua virtute consilio auctoritate confidimus; vellemus scribere omnia si liceret, sed quoniam id non potest, hortamur vestrum utrumque in Domino ac dil. filio Barono etc. nuntio nostro homini prudentissimo et fidissimo, cui totum animi nostri sensum aperuimus, fidem summam habere et omnia in optimam a nobis partem accipere velitis. Datum Romae die xxii. Augusti mdxxv. Anno secundo.

(Foris).
Regi Poloniae et Regi Ungariae
Olomutii conventuris.

128.

Cardinali Treverensi.

Ven.is frater salutem etc. Quantum profecerit in tantis Germaniae motibus tuae fraternitatis virtus et prudentia ad impiorum hominum tumultus sedandos, aut etiam armis vindicandos, est nobis plane cognitum, nihilque novum de virtute, et religione tua intelleximus. Sumus enim iandiu in ea opinione, ut in te iudicemus vigere exemplum et pietatis erga Deum, et integritatis eximiae. Illud maxime quidem nos delectavit in tanta confusione rerum omnium, et perturbatione status ecclesiastici ita enituisse virtutem tuam, ut intelligerent, et sentirent improbi, summi Dei sacerdotes etiam ad res magnas temporales gerendas inveniri idoneos. Quanquam nollemus opus fuisse armis, sed si arma necessaria sunt, non sunt illa repudianda, presertim si ad conservationem verae et sanae Christi fidei, et ad reipublicae christianae utilitatem sumpta fuerunt. Quod in te evenisse, tuamque animi magnitudinem cum Deo et cum religione fuisse coniunctam, plurimum gaudemus, tuaeque fraternitati de tanta acquisita laude gratulamur. Nos quidem, qui tibi semper ex animo affecti fuimus, insignemque erga te gessimus benivolentiam, hanc tuam laudem ducimus nobis pene communem esse tecum, quae etsi magnis laboribus, et sollicitudinibus fuit mixta, hoc tamen fuit insignior, quod illustriore documento patefacta est; est enim virtus in difficultatibus perfectior. Volumus itaque existimare fraternitatem tuam nos et multis praeteritis officiis tibi esse devinctos, et hoc recenti eventu ita incitatos ad amorem et charitatem tui, ut nihil sit, quod tua causa Domino adiuvante non libenter facturi simus. Nec vero opus esse putamus te hortari, ut in pristina, et iam suscepta virtute permaneas, hortatur enim te fides, et dignitas tua. atque is Deus verus et unus, cuius omnes nomini, et honori tuendo elaboramus; quem tibi non dubitamus tuorum laborum fructus uberrimos relaturum. Nos, si tibi incommodum non est, de rebus illis per

te potissimum certiores cuperemus fieri, si quid esset quod a nobis geri aut consuli oportere iudicares, nam et ea verissima haberemus quae abs te scripta essent et non non deessemus *(sic)* studio et opera omnia faciendo quae ad christianitatis decus et ad illius nationis salutem pertinerent. Datum Romae die xxiii. Augusti mdxxv. Anno secundo.

Episcopo Tridentino — Brevis ad eius litteras responsio. — Die et anno ut supra. —

129.

Svevis.

Dilecti filii. Fides et fortitudo vestra quae his temporibus cum summi Dei honore et Germaniae totius utilitate egregie enituit etsi humana quoque commendatione decoranda est, maius tamen et prestantius habitura est praemium apud eundem Deum gloriae sempiternae; nihil enim illa potuit expectari opportunius nihil magnificentius. Nisi enim vos extitissetis, et si non virtus et consilium et vires vestrae obstitissent furor ille immanis impiissimarum heresum multitudine improborum concitata omne sacerdotium omnem nobilitatem omnes et publicas et privatas dignitates, mores leges iura, universam denique, Germaniam ferro strage flamma et ruinis involvisset, istamque fortissimam et nobilissimam nationem apud quam ante hac precipua humanitatis laus et catholicae religionis observatio semper constitit, ad vitam agendam more ferarum et ad rerum omnium confusionem adegisset. Quod tanti mali periculum vel detrimentum potius virtute vestra ita propulsum et compressum est ut sperare debeamus Deo ceptis aspirante caetera ad pristinum ordinem ac decus facile rediturum. Sed in tota hac re mirabile visum est nobis Dei omnipotentis consilium; voluit ille peccatis nostris ad iracundiam provocatus exigere penas, suaque severitate per Italiam acriter et Galliam et Hispaniam excanduit, quae provinciae bello fame pestilentia aliquandiu vexatae et populatae fuerunt, Germaniam vero hereticae impietati permisit lacerandam; sed cum nunquam obliviscatur misericordiae cum habeat semper oleum pietatis suae paratum ad medicinam nostri vulneris, praevidens heresis perniciem supra omnia mala esse graviorem, habuit

gentem selectam populum precipuum. catholicam nationem, civitates bene moratas, egregios duces, fortissimos exercitus, quos Sathanae nimium saevienti et eius impiis ministris opponeret. Quod iudicium Dei omnipotentis factum erga vos vestramque propterea gloriam et pietatis laudem vobis et toti federi ac colligationi vestrae ex toto corde nostro et ex tota anima gratulamur, ita animo parati erga vos ita amore incitati, ut nihil sit quod vobis debere nos non fateamur; si enim sacerdotalis dignitas nobis cordi est sicut esse debet ut quae ad exemplum coelestium ordinum instituta maximum affert et communi vitae ornamentum et ad Deum colendum venerandumque adiumentum, ea per nos non solum defensa verum etiam restituta est. Si animarum salutis praecipuam curam gerimus, veluti quas boni more pastoris etiam sanguine et capitis nostri periculo tutari debemus, per vestram virtutem erepta et ablata est impiis potestas illas populandi et dilaniandi. Si Dei honorem vita nostra tenemur habere cariorem, periclitanti illi et a furore heretico perturbato vestra subvenit pietas et fortitudo, ut omnibus causis noster devinctus amor ad summam benivolentiam et ad omnem vobis gratiam habendam perpetuo teneatur. Quamobrem vobis affirmamus nunquam nos huius vestri facti eximii atque immortalis memoriam deposituros, nunquam vestram laudem et virtutem taciturnos, quod si quid ad illam ipsam virtutem vestram ornandam atque illustrandam fieri per nos potest, si quid Sedis Sanctae apostolicae nomen studium auctoritas ad dignitatem et commodum vestrum conferre est apta, volumus vos existimare omnem nostram voluntatem omnem benignitatem vobis fore semper et honoribus utilitatibusque vestris promptam et paratam. Devotiones vestras in Domino hortantes, ut quae bene a vobis cepta sunt ad extremum deducere et firmare studeatis, prestantissimique omnium quae multis iam seculis gesta sunt facti, absolutam perfectamque gloriam et Deo et mundo et singulari virtuti vestrae et expectationi cunctarum gentium exhibere. Datum xxiii. Augusti mdxxv. Anno secundo.

Mariae Soderinae de Medicis. De obitu Petri Francisci de Medicis. — xxvi. Augusti mdxxv. Anno secundo.

Laurentio de Medicis — de eadem re, eod. die et anno.

130.

Caesari.

Carissime. Accepimus litteras xv. Julii datas quae, quod ad creandos cardinales attinet, tuam nobis voluntatem significabant et erant quoque manu tua aliqua perscripta. Quibus breviter respondentes ser.ti tuae nunciamus semper fore nobis ante oculos honorem ipsius atque amplitudinem habiturosque nos magnam rationem voluntatis tuae, quantum nobis tempora et officiosae quandoque necessitudines nostrae permittent; cum nihil magis cupiamus quam gerere in omnibus ser.ti tuae morem. De hoc latius scribi mandavimus ad dil. fr. Baldassarem Castilioneum nuncium nostrum, cui nostro nomine loquenti ser.tas tua fidem habebit. Datum Romae etc. die xxix. Augusti mdxxv. Anno secundo.

Archiduci Austriae — Responsio ad eius litteras de episcopo Tridentino ad cardinalatus honorem promovendo. ii. Octobris mdxxv. Anno secundo.

Marchioni Mantuae — de obitu cardinalis Sigismundi Gonzagae. — viii. Octobris, anno ut supra.

Herculi Gonzagae — condolet pontifex de obitu cardinalis Sigismundi, spondetque se, in proxima cardinalium creatione, eum illa dignitate ornaturum. Romae viii. Octobris mdxxv. Anno secundo.

131.

Cardinali Maguntino.

Dilecte fili noster. Gratissimas nobis accepimus litteras tuas xxix. Augusti datas, quae excusationem quodammodo actionum tuarum continebant, de his quae secus de tua integritate et constantia essent divulgata. Atque ut verum fateamur, fuerunt quidem illa circumlata sermonibus ad auresque nostras pervenerunt; sed nos qui circumspectionis tuae animum plenamque pietatis mentem cognoscebamus, nunquam potuimus adduci ut crederemus tantum nefas a tali et principe et cardinali adversus ipsiusmet dignitatem fuisse commissum. Quam-

obrem non potuere commodius nobis advenire litterae tuae; nam et confirmarunt testimonium de te nostrum et maledicorum ora oppresserunt, nos quidem Deo et virtuti tuae gratulamur talem te esse inventum qualem semper iudicavimus et Christi et christianae reipublicae fidum firmumque defensorem. In qua laude hortaremur circumspectionem tuam ut pergeret et perseveraret, nisi putaremus omnem hortationem supervacaneam esse, cum te et dignitas tua, et iudicium interioris conscientiae ad id maxime hortentur. Etsi enim ea quae in Germania acciderunt, et quasi furore quodam mota sunt, magnos omnibus principibus labores multas sollicitudines attulerint, tamen et fortiter ac gloriose repressa sunt, et docuerunt id quod potest iam omnibus patere, pessimarum heresum auctores non minus suis quam alienis esse perniciosos. Quare nos et cir.ni tuae de tam pia mente gratulamur, et tibi tamen suademus, ut hanc laudem perpetuam tibi retineas. Nosque, si quid quod fieri a nobis oporteat admonueris, pollicemur nec dignitati tuae nec saluti totius Germaniae defuturos. Quae autem praeterea a nobis per litteras postulas, de iis iussimus responderi agentibus hic tuis, quid ad cir.nem tuam plenius perscribent. Tu hoc tibi persuadeas volumus curae nobis admodum esse et decus et existimationem tuam. Datum Romae etc. die xvi. Octobris mdxxv. Anno secundo.

132.

Regi Portugalliae.

Carissime. Ex aliquot ser.tis tuae litteris et ex iis quae dil. filius Martinus de Portugallo orator apud nos tuus tuo nomine nobis rettulit, cognovimus ea quae ser.tas tua nobis cuperet obtinere; super quibus respondimus ipsi oratori, quod ad alia pertinet quae non dubitamus illum ad te perscripturum esse. De ea vero facultate super monasteriis quam car.mo in Christo filio nostro Carolo electo imperatori in regno Castellae concessam esse scribis, cuius tu similem impetrare velles; quoniam propter anni tempus aberat magna pars ven. fratrum nostrorum, non potuimus quid agere deberemus deliberare, quos expectaturi sumus; etsi quae ipsi Carolo facultas per fe. me. Adrianum praedecessorem nostrum data fuit, ea nunquam a collegio cardinalium fuerit

approbata. Nos vero in his quae consistorialiter danda sunt, omnia de fratrum consilio facere consuevimus, qui ubi in urbem se retulerint referemus ad consistorium, in qua quidem re et in ceteris nostra erga ser.tem tuam benivolentia amorque constabit. Datum Romae etc. die xvii. Octobris mdxxv. Anno secundo.

133.

Marchioni Piscariae.

Dilecti fili. Cognovimus ex dilecto filio Lupo Hurtado homine prudente quae istic acciderunt, et quae nob.tas tua per eum nobis ac per alias suas litteras voluit significari. Cumque nos vicissim de nostra voluntate vellemus te facere certiorem, missimus dil. item filium Paulum de Arretio camerarium nostrum ad te cum mandatis quae is deberet nostro nomine communicare tecum, quae sunt ad pacem et tranquillitatem Italiae cum satisfactione ser.mi Caesaris ut arbitramur accommodata, hortamur nob.tem tuam in Domino ut ei in his fidem habere velis. Datum Romae etc. die xxiii. Octobris mdxxv. Anno secundo.

Eidem de eadem re. Die xxvi. Octobris. Anno ut supra.

Duci Sabaudiae — Responsio ad eius litteras, de episcopo Maurianensi ad cardinalatum promovendo. Die xxvii. Octobris. — Anno ut supra.

Belisario Aquevivo de Aragonia Neritinorum Duci — Librum ab eo exaratum ac suo nomini inscriptum pontifex accepisse se ac gratum habuisse multiplicite: significat. — Die xxviii. Octobris anno ut supra.

134.

Vitello de Vitellis armorum etc. ductori nostro.

Dilecti fili. Cum his diebus castrum Petri diocesis Balneoregiensis a Pyrro de Sipiciano violenter occupatum mandaverimus recuperari ac dil. filius vicelegatus patrimonii in illius obsidione sit, Nos tuae virtuti

et prudentiae plurimum confidentes, ac sperantes quod te duce mandata nostra et iustitiae effectus commodius executioni mandabuntur, devotioni tuae per presentes committimus ut ad illud castrum personaliter te conferas ac quae dil. fi. Hieronymo Gualdo Vincentino latori praesentium tibi nostro nomine referenda commissimus fidem illis habeas ac exequare, dantes tibi plenam et omnimodam potestatem quae ad illius castri recuperationem opportuna erunt mandandi ordinandi iubendi ac exequendi. Mandantes tam ipsi vicelegato quam aliis omnibus in eis locis et rebus intendentibus quatenus tibi circa hoc et tuis mandatis obediant et obsequantur sub gravis indignationis nostrae poena, non obstantibus quibuscunque. Datum Romae etc. die xx. Octobris mdxxv. Anno secundo.

Archiduci (Austriae). Rogat eundem pontifex ut salvum conductum et transitorias litteras pro episcopo Scarensi et homine quodam Moscovita, cum comitatu equestri ac pedestri et duobus vel tribus impedimentis, ad ducem Moscoviae euntibus, in forma amplissima concedat. Romae xxxi. Octobris anno ut supra.

Capitulo Brixinensis ecclesiae — pro Georgio de Austria, ut eum in episcopum eligant. — Die i. Novembris mdxxv. Anno secundo.

135.

Dilectis filiis Jo. Jacobo et Jo. Baptistae de Medicis.

Dilecti filii. Legimus litteras vestras quibus iustificatis actionem vestram quae ob defensionem Arcis Clavennae suscepta est. De qua quidem actione nullius ad nos venerunt querelae, neque si venient sumus illas, nisi auditis hinc inde rationibus, admissuri. Vestram vero erga nos optimam voluntatem ac observantiam gratam admodum habemus, vobisque sumus quacunque re licebit futuri benevoli et fautores. Datum Romae etc. die ii. Novembris mdxxv. Anno secundo.

Cardinali Eboracensi — pro episcopo Bathoniensi, oratore apud pontificem, in Angliam redeunte. — Die v. Novembris anno ut supra.

Caesari, — Jubileum pontifex concedit sub certis conditionibus, eiusque consanguineis et affinibus, consiliariis et familiaribus eorumque uxoribus et liberis, deinde omnibus quos infra certum tempus imperator ipse nominaverit. — Die xii. Novembris mdxxv. Anno secundo.

Archiepiscopo Senonensi cancellario Franciae. Rogat eumdem pontifex ut, pro suo erga se studio ac observantia, efficiat ut Jo. Staphyleus ad possessionem ecclesiae Dolensis, ei ab apostolica Sede iure meritoque collatae, admittatur, posthabita nominatione filii Domini de Laval, qui et aetate et aliis de causis ad eam ineptus comperiebatur. Romae die xii. Novembris mdxxv. Anno secundo.

136.

Caesari.

Carissime in Christo fili noster. Ex litteris ser.tis tuae manu scriptis datis xxviii. Octobris concepimus non mediocrem animi laetitiam illa tuae optimae erga nos voluntatis commemoratione, speque magna hominem tuum quem ad nos quamprimum missurum te confirmas expectaturi sumus, non dubitantes quin is ser.tis tuae deliberationes et consilia nostrae ac huius S.tae Sedis dignitati communique christianitatis paci et saluti commoda atque opportuna sit allaturus. Illud vero alterum quod de dispensando super matrimonio petis a nobis, ita facimus libenter ut tamen optemus atque speremus ad eundem pacis universalis finem, sicut tu nobis persaepe ostendisti aptum et accomodatum fore. In quo ser.tem tuam in Domino plurimum adhortamur velit agere atque efficere ut ab his tumultibus et suspitionibus perniciosissimarum discordiarum quae tam saeve usque adhuc illam laceraverunt aliquando libera et tuta sit christianitas, quod in ser.tis tuae temperantia et magnitudine potissimum videtur esse positum, in primisque Italia quae tuae fidei maxime commendata est. Nos quidem tu, in rebus omnibus quae tibi gratae et tuo nomini honorificae futurae sunt, invenies semper et amore et voluntate esse paratissimos, sicut cum eadem ser.te tua dil. fr. noster Jo. S. Cosmae et Damiani cardinalis de Salviatis legatus et secundum carnem affinis noster, aut Baldasar Castilioneus nuncius

nostris verbis copiosius agent, quibus tu fidem habebis. Datum Romae etc. xiii. Novembris mdxxv. Anno secundo.

137.

Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum et Hispaniarum regi in imperatorem electo.

Charissime in Christi fili noster salutem!

Cum sciamus Maiestatem tuam propter celsissimum gradum in quo a Deo est collocata propterque ill.mae familiae tuae amplitudinem quando uxorem ducere voluerit, cuius rei iam tempus adesse videtur, non multas tanto coniugio dignas inventuram, cumque ex eo ipso numero fieri possit, ut illa quam tu delegeris tecum consanguinitate seu affinitate coniuncta sit, quod illustrissimum genus tuum latissime pateat, et omnes fere principes aliqua cognatione complexum sit, ne forte haec res tam pium tam salutare christianis omnibus consilium impediat, motu proprio, et ex certa nostra scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine tecum, ut quocunque consanguinitatis ac etiam affinitatis gradu, excepto tamen primo, matrimonium libere, et licite contrahere possis etiam si pluries sis in dictis gradibus cum illa cum qua contraxeris, coniunctus, seu etiam in uno quoque graduum predictorum pluries coniungaris, tenore presentium de specialis dono gratiae dispensamus, non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae die xiii. Novembris mdxxv. Anno secundo.

(Subscriptio originalis). L. Cardinalis S.orum 4.tor Papa mandat quod in continenti scribatur et expediatur.

L. Cardinalis — Ja. Sad.

138.

Cardinali de Salviatis.

Dilecte fili noster. Ex litteris tuis et eis quas ser.mus Caesar manu sua scriptas nobis misit, concepimus spem non mediocrem fore

ut Caesaris ipsius sapientiae et in nos ipsos hancque Sanctam Sedem optimae voluntatis fructus ii cernerentur quos maxime desideramus, ex quibus videlicet non modo Sedis apostolicae dignitas, verum etiam christianae reipublicae tranquillitas pace et iustitia sit constituenda. Quam spem etsi semper aluimus in animo nostro, nosque Caesaris ipsius natura ingenium religio bonitas ad id plurimum confirmaverunt, tamen cupide visuri sumus eum hominem quem uterque vestrum scribit ad nos propediem iter arrepturum esse. Ex cuius sermonibus et relatione plenius omnia sumus cogituri: Quod vero ad dispensationem matrimonii contrahendi pertinet, nihil est profecto tam magnum, quod in nostra paterna voluntate erga Caesarem declaranda nobis non parvum esse videatur; neque quicquam libentius facimus quam ut eius studio et voluntati geramus morem; ipsamque tuae circumspectioni dispensationem mittimus: Sed quod Caesar ipse nobis et ostendit saepe et per litteras pollicitus est, vellemus hanc dispensationem praebere promptam et facilem viam paci christianitatis universali. Quod quidem confidimus freti et misericordia summi Dei et Caesaris prudentia. Verumtamen in tam suspensis conditionibus temporum res magni consilii videtur esse ita dirigere omnia, ut quod coniunctionis causa institutum est, alibi dissidium et offensionem non pariat. Nos sollicito animo sumus die nocteque ut aliquando his calamitosissimis bellis et tumultibus sit christianitas pacata et libera, pacisque et iustitiae studia vigeant, non direptionum et armorum: quod primum a Deo omnipotente expetendum est. Secundum Deum autem ipse Caesar maximam huius boni videtur habere potestatem, quam si adhibuerit tranquillitati quietique communi, erit quod apud Deum ipsius immortalitas, apud homines gloria in fructu sempiternae felicitatis sibi acquirat. Tua quidem circumspectio pro tua fide et prudentia et in his et aliis quae his consentanea sunt, eiusdem ser.^{mi} Caesaris perbonam illam mentem ingenio sapientiaque praeditam et confirmare et augere quoad poterit conabitur, sicut per alias privatas litteras te pluries instrui mandavimus.

Datum Romae etc. die xiii. Novembris mdxxv. Anno secundo.

139.

Cardinali de Salviatis.

Dilecte fili noster. Mittimus circumspectioni tuae introclusa brevia dispensationis quam ser.mo Caesari et dilectae in Christo filiae Isabellae super matrimonio inter ipsos contrahendo concedimus; quae brevia duo sunt, alterum generale cum quacunque, alterum cum ipsa Isabella speciale, quae ser.ti suae per te volumus tradi, eis conditionibus servatis de quibus te per privatas litteras instrui mandavimus. Datum (ut supra).

Archiepiscopo Cantuariensi.

Epistola gratulationis et officiorum. — Die xviii. Novembris mdxxv. Anno secundo.

140.

Duci Moscoviae.

Dilecte fili. Summa cum laetitia nostra accepimus tuae nobilitatis litteras et nuncium tuum Demetrium Erasmi vidimus, hominem solertem et in tuis mandatis exponendis accuratum. Quae tamen mandata omnia litteris continebantur; in quibus ostendis te velle esse nobiscum et cum aliis christianis principibus adversus infideles et Christi inimicos coniunctum, ac etiam nos hortaris ut hominem ex nostris ad te mitteremus qui omnia nostra consilia posset tibi significare. Quod fecimus libentissime, misimusque ven.em fratrem Joannem Franciscum episcopum Scarensem, virum plenum prudentiae et boni spiritus, cuius nos opera et industria in magnis rebus saepe usi sumus, et cum quo loquimur confidenter omnia consilia nostra. Nam antea dilectus filius Paulus Centurio civis Genuensis non a nobis missus fuit; sed cum is ad tuam nobilitatem ob alias causas veniret, dedimus illi litteras nostras, quas plurimum gaudemus tibi fuisse acceptas; fecerunt enim ut tu hominem tuum ad nos et munera etiam nobis gratissima mitteres; non quod multum curemus munera, sed tuam illam benignam et humanam voluntatem erga nos supra omnia habemus

gratissimam. Quoniam autem et de coniunctione nobiscum ac unione contra infideles promittis nobis omnia quae fortissimus et maximus princeps Christum Deum agnoscens romano pontifici beati Petri successori promittere potest, et quaeris a nobis quo pacto ista coniunctio fieri possit et debeat, iste ven.is nuncius quem mittimus, de omnibus te plenissime instruet, et omnia desideria nostra tibi aperiet, cui rogamus nobilitatem tuam ut tantam fidem habeat, tantumque credat, quantum nobis ipsis crederet si te praesentes alloqueremur; eumque benigne et prompte ad nos remittat ubi nostra consilia tibi significaverit, sicut etiam nos benigne et cum cura atque amore tuum nuncium tibi remittimus. In his autem litteris non scribemus omnia quae tecum agenda sunt quum nuncius noster oro et verbis largius et melius illa declarabit; quem iuxta tuam egregiam humanitatem et sapientiam libenter et attente audies. Illud solum scribemus petere et orare nos ab omnipotente Deo, ut tua voluntas sit ita erga nos prompta et benivola, sicut nostra erga te est; et tibi promittere, si ut cupimus fiet desiderata coniunctio, ea te experturum esse nostrae et huius S.tae Sedis in augmentum honoris et dignitatis tuae studia ac beneficia ut reipsa sis cogniturus nos sincero animo optima fide incomparabili amore tibi et praeclaris tuis virtutibus affectos esse et semper fuisse. Sicut de hoc et aliis ab eodem ven.li nuncio nostro tua nobilitas latius intelliget. Datum Romae xviii. Novembris mdxxv. Anno secundo.

141.

Regi Poloniae.

Carissime. Anno praeterito cum dilectus filius Paulus Centurio civis Genuensis mercaturae cuiusdam, ut ipse dicebat, tractandae et ordinandae causa in Moscoviam profecturus esset, sibique cum illo duce diceret cognitionem quandam et familiaritatem intercedere, petiit litteras a nobis commendatitias, quod eas sibi magno usui apud illum futuras affirmaret, quando et a fe. re. Leone X. praedecessore et patruelo nostro similibus litteris obtentis multum illae sibi apud eundem ducem profuissent. Quo huius hominis consilio intellecto, cum inspirante nos Domino aliquid amplius quam eum commendare cogitavissemus, dedi-

mus quidem litteras, sed quibus magis etiam illi duci concordiam et unionem cum Sancta Sede apostolica christianisque principibus commendabamus, eumque invitabamus quodammodo ut nobis ipsius amicitiam et coniunctionem appetentibus se benignum et facilem exhiberet. Quibus litteris effectum est, ut dux ipse Moscorum hominem suum ad nos cum litteris mitteret, praeseque ferret desiderium faciendae nobiscum coniunctionis, modum autem et consilium a nobis quaereret. Quas res hactenus non dubitamus serenitati tuae fuisse notas; atque eo etiam notiores quod ambobus illis et Paulo et Demetrio Mosco per regni tui regiones transeuntibus, tantum tu humanitatis et liberalitatis nostra causa exhibuisti, ut pro isto tuo praestanti officio maximam quoque gratiam tuae ser.ti nos debere profiteamur. Paulum quidem ipsum, licet non noster homo esset sed suo nomine iter haberet, tamen quoniam ille nomen nostrum in necessitatibus suis apud te praetulit, quid illi defuit ullo in genere beneficentiae tuae, quod vel affini nostro praestare potuisses? Verum haec erunt infixa in animo nostro ad memoriam tuae humanitatis sempiternam. Illud quod ad susceptum negocium pertinet, cum hoc principio amicitiae et cognitionis facto Demetrioque ipso audito, cogitaremus solere Deum quandoque ex minima scintilla parvi boni maximum charitatis conflare incendium, non duximus occasionem pretermittendam, ac ut primum potuimus elegimus ven. fratrem Joannem Franciscum episcopum Scarensem virum probum et prudentem et doctum, in magnis rebus cum laude et optima fama versatum, cui nos magnam fidem habemus, quem ad ipsum ducem Moscoviae mitteremus ad tentandum et experiendum si forte Deus studio animi nostri flagranti ad sui nominis honorem et christianitatis commodum, aliquem aliquando feliciorem exitum nostrorum conatuum concedere dignaretur. Nam adhuc quidem cum nostra omnia consilia atque acta semper ad pacis et religionis et fidei catholicae studium et stabilitatem et ornamentum contulerimus, parum prosperos eventus sumus experti, repugnante nostris piis desideriis vel procella temporum vel ira Dei debita quam tot peccata nostra concitarunt; neque tamen desistimus sumusve destituri. Scimus enim qui dixit: Qui perseveraverit hic salvus erit. Non sumus digni fortassis tanta Domini gratia, at erimus non indigni illius misericordia, qui conscius bonae nostrae

voluntatis, mentem ipsam probabit, etiamsi actionibus nostris minus fuerit propitius. Quamquam et eventus prosperi et rectae voluntatis donum ex Deo est. Hac fide et spe erga Deum armati, nec laboribus nec sumptibus nec curis animi ponimus modum, dum aliquid bonae salutis in christiana republica afflicta et laborante constituere possimus, nec nos aut nostra et huius sedis paupertas, aut odium hominum et furor ardentium heresum deterret. Sed non est ista opus cum ser[te] tua, quae omnium bene conscia est, pluribus verbis exponere. Nos priora coepta non relinquentes, hanc novam provinciam Domino Deo inspirante aggressi sumus, ut cum duce Mosco experiamur ecquid illi possimus verae fidei catholicae cultum et amorem pacis cum christianis principibus ac praecipue cum ser.[te] tua immittere ac insinuare. Sed ita spe nitimur effici aliquid posse, si tua proba mens, si sapientia si consilium si animi aequitas nobis auxilio fuerit, vel potius si tu nos quasi manu in iter rectum deduxeris. Mandavimus igitur praedicto episcopo nuntio nostro, ut apud ser.[tem] tuam ita exponeret et aperiret omnes huius rei cogitationes nostras, ut non solum auxilium a te sed etiam consilium rerum omnium peteret. Qui quid habeat in mandatis ipse tibi copiosius referet. Tua ser.[tas] ut illum instruat et moneat, et quae agenda aut cavenda illi fuerint eum plene edoceat magnopere illam obtestamur, ac ut celeriter illum expediat etiam desideramus, cum tanta itineris longinquitas et rerum omnium difficultas requirat celeritatem. Sine te quidem et sine opera prudentiaque tua facile nos agnoscimus frustra a nobis laborem susceptum iri. Sed ita confidimus temperantia et animi magnitudine tua, ut cum nos tuum honorem et commodum primarium in re hac habeamus, idque potissimum spectemus ut tibi imprimis satisfiat, te quoque non dubitemus si hoc necesse fuerit ad omnem conditionum facilitatem Dei omnipotentis et catholicae fidei causa esse deflexurum. Sed de his ab eodem nuncio nostro uberius intelliges et fidem illi summam habebis. Nos ita Deum precamur ut nostris actionibus propitius esse velit, si ex illis nullam nostram propriam utilitatem, sed tantum illius honorem et humani generis salutem commodumque christianae reipublicae expetimus. Datum Romae etc. die xviii. Novembris mdxxv. Anno secundo.

142.

Praelatis et Nobilibus Poloniae.[1])

Venerabilis frater. Inter ceteras curas quas pro bono et commodo gregis christiani suscepimus et in quibus nec in summis Sanctae huius Sedis angustiis impense nec in omni labore animi sollicitudini parcimus, hec quoque in nobis Deo inspirante innata est, ut Moscovi ducem potentem et magnum, sed aliquot in rebus a sanctae universalis ecclesiae dogmatibus diversum, quantum nobis idem Dominus concesserit ad catholicae et orthodoxae fidei unitatem adiungamus; nam, cum proximo anno quidam Paulus Centurio civis Genuensis ad illum ob sua negotia proficiscens commendatitias a nobis litteras petiisset, nos litteris illis etiam quodammodo ducis illius animum tentavimus si forte aperire vellet Deus nostris consiliis ianuam. Quibus litteris effectum est ut ipse dux et litteras ad nos et Demetrium Erasmi hominem suum miserit; quem cum nunc illuc remittamus, elegimus una cum eo, qui ad praedictum ducem nuncius noster iret, ven.em fratrem Joannem Franciscum episcopum Scarensem hominem multis et arduis rebus nobis cognitum, pollentem doctrina religione experientia, qui tractaret cum ipso duce nostro nomine modum et formam coniunctionis nostrae. Quoniam vero ad hoc perficiendum imprimis opportuna et necessaria est istius tui regis filii nostri carissimi voluntas, cuius cum Mosco pax et concordia magnum momentum huic consilio allatura est, et ad eius quidem serenitatem affectuose scribimus; sed cum tua quoque fraternitas nobis possit apud eumdem et alibi esse adiumento, hortamur eam summe in Domino ut coniungere nobiscum suas curas et sollicitudines ad tam praeclaram rem perficiendam velit, agereque cum isto optimo et praestantissimo rege, nec non apud alios ubi opus fuerit, ut praedictus nuncius noster benigne accipiatur ac singulari regis sapientia tuisque monitis dirigatur, cum nostrum consilium ad laudem et decus imprimis istius regis sit intentum, in quo faciet frat.as tua rem sua virtute dignam, Deo et nobis plurimum acceptam. Datum Romae die xviii. Novembris mdxxv. Anno secundo.

[1]) In fine epistolae notatur: Quatuor praelatis et totidem nobilibus.

143.

Episcopo Scarensi.

Venerabilis frater. Cum fraternitatem tuam, ipsius prudentia et integritate doctrinaque adducti, ad principem Moscovitarum nuncium nostrum per alias nostras in forma brevis litteras destinaverimus et deputaverimus, multaque tibi verbo praeceperimus ad id negocium pertinentia, cuius ex sententia conficiendi omnem spem nostram cum carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae rege illustri positam habemus, illud tibi etiam atque etiam praecipiendum ac mandandum in scriptis quoque duximus, ut prefati Poloniae regis in omnibus et per omnia utare consilio, negociique totius finem et consilium ad illius commoda et voluntatem omnino dirigas; quod eo te diligentius curare volumus, quo sumus certi ipsum quoque regem pro sua incomparabili in Deum omnipotentem et christianam religionem voluntate ac pietate ad omnia recta et honesta facilem se et benignum redditurum. Cumque praeterea rex modernus Svetiae multum ipsius regis Sigismundi consilio auctoritatique tribuat, atque is omnium sermone predicetur Sedi apostolicae hostis esse et inimicus, obtestaberis Sigismundum regem nostris verbis ut suam fidem virtutemque velit interponere, quo in illis Svetiae partibus ista Lutherana impia haeresis comprimatur, verusque fidei catholicae cultus conservetur. Et quoniam ecclesia Scarensis cui de tua persona per fe. me. Adrianum predecessorem nostrum fuit provisum in regno Svetiae est, cuius tu nunquam possessionem obtinere potuisti, dices isti regi ser.mo nos mandaturos ut ius tuum in gratiam ipsius Svetiae regis renuncies modo ille dignam et catholicam personam illi ecclesiae iubeat praefici. Denique in omnibus prorsus rebus quae ad huiusmodi negocia pertinebunt, non minorem te volumus voluntatis ser.mi Sigismundi regis quam nostraemet habere rationem. Datum Romae etc. die xviiii. Novembris mdxxv. Anno secundo.

Regi Ungariae.

Pro Georgio Logo. Laudans pontifex ingenium, summamque litterarum peritiam Georgii Logi Silesii, gratulatur regi quod talem

virum sua liberalitate ac munificentia prosequutus sit, in eoque ut pergat summopere ser.tem illam cohortatur; quum maxime regium sit in subditis ad optimas artes animandis nec curis nec sumptibus parcere. Die xxiiii. Novembris mdxxv. Anno secundo.

144.

Duci Sabaudiae.

Dilecte fili. Quod te tam amanter et studiose per litteras excusas, nihil a te circa represalias actum quod nobis et huic S. Sedi sit damnosum, vehementer nobis gratum est hanc tuam optimam mentem ex litteris tuis agnoscere; non quod de ea dubii unquam fuerimus, sed quod omnis recordatio iustissimi et religiosissimi et nobisque omni ratione carissimi principis semper est iocunda. Nam nos quidem de tua virtute et voluntate erga nos, in hanc Sanctam Sedem observantia semper sensimus quod sentiendum fuit, tuque opinionem nostram factis prestantibus comprobasti. Si qui vero sunt qui obloquantur non recte, et qui nostram mutuam benivolentiam interrumpere conentur, ii frustra operam terunt; magnis enim necessitudinibus ita coniuncti sumus, ut nihil intermedium dividere nos possit. Quare ut nos de te certi sumus, omnem nostri honoris curam apud te semper fore, sic tibi volumus esse exploratum, nos in perpetua benivolentia et charitate erga nobilitatem tuam esse permansuros. Datum Romae die xxvi. Novembris mdxxv. Anno secundo.

(Foris).

Duci Sabaudiae, responsivum ad eius litteras.

Joanni Vengero Naiustadiensi.

Licet uxorato, ob eius in Deum pietatem et zelum animarum, concedit pontifex potestatem quae ad fidei confirmationem et alienae rei abstinentiam suadendam apta sunt, vel in sacris locis praedicandi. Romae die xxvii. Novembris mdxxv. Anno secundo.

Episcopo Casalensi nuncio apud ducem Mediolani.

Eius diligentiam simul et dexteritatem pontifex requirit, ut cardinalibus Comensi et de Trivultiis, beneficia, quae in Mediolani ducatu obtinebant, a marchione Piscariae restitui curet. xxx. Novembris mdxxv. Anno secundo.

Marchioni Piscariae.

De eadem re, eodem die et anno.

145.

Ascanio Columnae.

Dilecte fili. Mittimus ad nobilitatem tuam dilectum filium Lazarum de Malvicino familiarem nostrum quem iudicavimus aptum et idoneum ad id negocii propter quod eum elegimus. Huic commisimus aliqua nostris verbis ad te perferenda, quae graviter animum nostrum movent, cum illum singularem amorem quo sumus semper nob.tem tuam prosecuti, illamque vicissim observantiam benivolentiamque qua tu nos es complexus, vehementer vereamur, ne quibusdam de causis sit labefactata, quo certe nil molestius accipere possemus. Quod si tu et fidei tuae memor, et nobis es quemadmodum semper ostendisti benivolus, facile poteris levare hanc sollicitudinem nostram adhibita tua aequitate et prudentia. Quod ut facere velis nosque in eodem amore et coniunctione tibi propitios habere magnopere nob.tem tuam in Domino adhortamur; idque erit non solum nobis amantissimis tui et rerum tuarum omnium summe gratum, sed nomini etiam et famae tuae imprimis honorificum. Atque haec hactenus. Tu eidem Lazaro summam rerum omnium fidem habebis. Datum Romae die xxx. Novembris mdxxv. Anno tertio.

146.

Caesari.

Carissime. Scripsit ad nos superioribus diebus ser.tas tua dil. filium Joannem Bannisium nobis commendans, hominem certe et pro-

pter virtutem integritatemque ipsius et propter fidelissima servitia cla. me. Maximiliano Caesari avo tuo diu impensa non solum commendatione tua verum etiam beneficentia liberalitateque dignissimum. Quem etiam nos valde in Domino diligimus, meritus enim ingenuitate et doctrina et probitate sua est qui ab omnibus ametur. Sed cum in eo commendando ser.tas tua ostendat se cupere haberi a nobis eius rationem, ut quod ad commoda illius vitae pertineat de beneficiis ecclesiasticis ei provideamus, cupimus id nos quoque efficere. Sed in tantis Sedis apostolicae angustiis, gratiis expectativis datis, sua parte mensium ordinariis relicta, iuribuspatronatus ser.tis tuae imprimis late se protendentibus, arctus nobis est relictus locus aliquid ei donandi, quod ipse obtinere et eo frui pacifice posse videatur, nisi tua ser.tas quae curam de ipso capere visa est sua liberalitate dignam, assensum nobis praebuerit ut in regnis tuis, in quibus ille potissimum aliquid possidere et sub tuae ser.tis umbra quod reliquum vitae illi futurum est aegroto et senectute iam confecto agere posse exoptat, aliqua ei beneficia aut cum vacarint conferamus, aut ante vacationem illi spondeamus, ad quae etiam si tuum iuspatronatus aditum aliquem praetenderit in gratiam tamen et beneficium talis et tam benemeriti hominis impedimentum non afferat. Quod nos vicissim ser.tem tuam hortamur in Domino ut efficias, tuamque gratam et liberalem voluntatem erga virum probatum hoc munere expromas, ut ille non minus beneficio quam commendatione tua fructum aliquem veterum laborum suorum in hac aetate prope exacta reportet. Quod tui nominis laude maxime dignum futurum est, nobis certe gratissimum. Datum Romae die iii. Decembris mdxxv. Anno tertio.

147.

Archiepiscopo Senonensi.

Venerabilis frater. Ex litteris nostrorum ac imprimis dilecti filii Leonardi Spinolae intelleximus frat.em tuam egregia quadam erga nos voluntate et observantia talem in rebus nostris praestitisse operam praestareque quotidie, ut ad eam opinionem quam de tuis virtutibus

magnam habemus, magnus quoque amor noster accedere debeat, .cum et in officio et in benivolentia nihil a te praetermittatur bene de nobis promerendi. Et quidem quod quaedam fierent in istis locis, ex quibus nostro honori videretur detrahi parvaque ratio tum dignitatis nostrae, tum in publicum bonum illius incliti regni voluntatis haberetur, non poteramus quidem non mirari et non aegre ferre; non tamen propterea desistebamus quin ageremus et operaremur ea omnia quae ad salutem et commodum istius nationis pertinebant, cuius animi nostri testes ii omnes sunt, cum quibus nobis fuit agendum; quae etsi a nobis pro ratione nostri honoris et Dei omnipotentis ac communis pacis causa fiebant, inerat tamen in universali cura proprius quidam amor rerum vestrarum quae summe nobis semper fuerunt cordi, futuraeque sunt, nec si quid indignum istic sumus passi, id sumus tam principibus quam aliquibus malivolis imputaturi; sed certe cum nostris meritis convenit, tum autem vestrae prudentiae et virtutis est officium, nostram optimam erga vos mentem vestris officiis in eodem studio et amore continere; cui rei cum tu pro tua sapientia prospexeris, crede nobis, et apud nos benivolentiae gradum et apud omnes boni consilii laudem es consecutus. Nos quid frat.[ti] tuae et de praeteritis officiis habemus gratiam et in futurum ut perseveres magnopere te in Domino adhortamur. Quod futurum est a te nobis semper gratissimum. Datum Romae etc. die ix. Decembris mdxxv. Anno tertio.

Marchionissae Piscariae.

Solatur eam pontifex de obitu Ferdinandi viri eius, ac ut divinam voluntatem in bonam partem accipiat eique acquiescat pluribus adhortatur. Improbans autem subitum eius moniales vestes assumendi propositum, utpote potius doloris vi, quam iudicio et deliberatione conceptum, praecipit eidem ut nonnisi vidualem habitum in memoriam viri assumat, unum illud concedens ut in monasterio S. Silvestri urbis Romae cum tribus innuptis comitibus incolere valeat — die x. Decembris mdxxv. Anno tertio.

148.

Turricensibus.

Dilecti filii salutem etc. Cum venisset ad nos a vobis missus dilectus filius Joachim scriba vester, homo accuratus et prudens, ac vestras ad nos petitiones detulisset, quibus asserentes vos summae pecuniarie esse nostros et Sanctae Sedis apostolicae creditores, ratione stipendiorum etiam ob passus Ollii et ob recuperationem Parmae et Placentiae vobis promissorum et propter alias rationes quas in foedere esse dicitis, ipsam pecuniam a nobis repetitis. Etsi non deerant causae computi diligentius examinandi, tamen cum devotionibus vestris, non subtili ratione, sed benigne ac liberaliter agere volentes, ipsam pecuniariam summam sic ut a vobis ex vestri senatus decreto conclusa est et ad nos sub vestris litteris et sigillis delata vobis solvendam, eamque in locum accomodum transmittendam paraturi sumus nullamque moram facturis quin vobis satisfiat, prout etiam dilectis filiis Zugensibus qui cum reliquis vestris confederatis in vera fide permanent, quorum summa sub vestro computo comprehenditur, satisfactum iri volumus; si tamen intellexerimus illam fidelibus summi Dei et catholicae fidei ac eiusdem Sedis apostolicae amantibus attribuendam esse. In quo magnum nos iamdudum accepimus dolorem, quod cum S. fides catholica et Sedes apostolica alicuius iniuria vexaretur, fuerimus in vobis omne praesidium eius defendendae collocaturi, vos qui et plurimis vestris factis atque officiis, et ipso nominis honore ac titulo ecclesiasticae libertatis defensores semper fuistis habiti, illam ab impiis haereticis, et falsarum opinionum novatoribus conculcari permiseritis, vestrasque mentes bene antea in fide catholica, et cultu vero summi Dei fundatas a nephariis hominibus omnem pietatem et religionem confundentibus alienari et perverti fueritis passi. Quod et pro honore Dei omnipotentis indignum, et pro paterna erga vos benivolentia nostra grave et molestum maxime existit. Nec tamen possumus cogitare qua ratione leves et temerarii homines adversus fidem veram et ecclesiam catholicam in qua Spiritus Sanctus per electos Dei largo flumine divinitatis locutus est et omnem scripturae veritatem aperuit et docuit, quae quidem ecclesia errare non potest, suas impias opiniones ac sen-

tentias vobis in vera fide patrum vestrorum natis, et educatis potuerint comprobare. Quod si id, quod Deus avertat, in his novis et impiis erroribus perstare propositum vobis haberetis, quomodo possemus nos non solum erga vos uti liberalitate, sed pecunias ullas, etiam si maxime vobis debitae essent, iuste et pie persolvere? cum alienis a fide recta, nec quae ipsorum quidem patria et avita bona sunt, illis iure relinqui debeant. Sed si vos filii dilecti quorum saepe virtus, et fidei Sanctae Christi et apostolicae Sedis fuit adiumento reiectis pravis suasoribus ad rectum institutum vestrae fortissimae nationis in Deo rite colendo et vicario Christi, hacque Sede Sancta veneranda voluntates vestras sensusque retuleritis; tunc non modo vobis supradictae pecuniae libentissime persolventur, sed suarum rerum omnium Sedes apostolica et nos in virtute vestra spem, subsidiumque omne constituemus. Quod ut faciatis consulatisque vestrae perpetuae laudi, et piae verae rectaeque religioni studia vestra addicatis, a devotionibus vestris maximopere in Domino petimus et obtestamur. Etiam quoniam exhibuistis per vestras responsiones, vobis et confederatis vestris Helvetiis ac universis per publicos vestros libellos datos vos de errore velle informari atque emendari, sumus parati hominem eruditum in sacris litteris plenum boni spiritus in aliquem vobis propinquum et opportunum locum mittere, puta Gebennam aut Lausannam, quorum alterum vobis eligendorum et diem statuendam arbitrio vestro relinquimus, si vos ad respiciendum lumen veritatis animos vestros reflectere volueritis, qui doceat vos fidem patrum vestrorum per quam solum aditus ad vitam eternam est, impiosque suggestores falsarum opinionum, quibus a recta semita fuistis deducti, veris divinis litteris auctore Spiritu Sancto refellat et coarguat; in qua quidem re et in omnibus nostrum ardens studium vestrae et praesentis et perpetuae salutis poteritis intelligere, sicut cum eodem Joachimo scriba vestro in hanc sententiam locuti sumus, quem hortati sumus ut id ad vos perscriberet. Atque apud nos eum detinemus, hac sola de causa ut quum primum in hanc nostram sententiam veneritis et de solutione et de homine legando disponamus, cum quibus scriba vester est ad vos rediturus ut intelligatis a nobis omnia quam paterne fieri. Quod si vos precibus et hortationibus nostris pro vestra salute susceptis, quod absit, non

accesseritis, nihil horum cum Deo, et cum bona conscientia possumus facere, sicut et vos optime ex sacris canonibus et omni divino humanoque iure cognoscere potestis. Datum Romae die xi. Decembris mdxxv. Anno tertio.

149.

Helvetiis.

Dilecti filii salutem etc. In memoria habemus pluribus iam mensibus elapsis, cum huius novae et impiae haeresis furor in ista vestra fortissima et nobis summe dilecta natione, inter aliquos virus suum spargere cepisset, rogatos nos a plerisque vestrum fuisse, quibus Dei omnipotentis honor, et fidei catholicae cura animo insidebat, ut hominem isthuc mittere et auctoritatem nostram interponere vellemus, quominus haereticis qui vexillum Sathanae adversus crucem Christi erigere conabantur, agere predas animarum, et invictam istam nationem dedecore detrimentoque afficere, quo tempore nos, cum et postulatorum vestrorum equitas, et noster erga vos singularis amor, omnem curam de vobis et de salute vestra suscipere nos cogeret, misimus ven.em fratrem Ennium episcopum Verulanum nuncium nostrum bene instructum consiliis nostris omnibus, quem sperabamus hoc etiam fore vobis gratiorem acceptioremque quod is diu antea inter vos Sedis apostolicae nomine versatus, et vobis cognitus summum studium erga res vestras et summam benivolentiam retinebat; qua spe et opinione nostra quam fuerimus frustrati, vos optime nostis. Nam neque illi liber aditus, tutaque facultas inter vos versandi data ab eis omnibus quos decebat fuit, et certe cum eum vestro potissimum rogatu ad vos misissemus, digni fuimus, quod in nuncio et homine benigne excipiendo honoris ratio haberetur. Et tamen non ob hanc causam a vetere et perpetuo nostro amore erga vos destitimus, sed cupientes semper eam coniunctionem, quam vobiscum habet Sancta Sedes apostolica, in dies fieri arctiorem et si quae intercedebant querelae pecuniariae eas in tanta Sedis apostolicae inopia, ut potuimus placavimus, vobisque in re omni quoad datum fuit curavimus satisfacere. Et nunc quoque cum dilecti filii Turricenses homine suo ad nos misso, quamdam veterem summam pecuniae a nobis peterent, quam dicerent sibi fuisse debitam, non tam

summo iure, cum multa obiicere possemus, agere cum illis voluimus quam benigne et liberaliter illis indulgere. Itaque pecuniam quam petierunt, ita illis solvere parati erimus, si tamen ipsi reiectis et repudiatis pravis haeresum suasoribus, ad fidei catholicae gremium et ad pristinam reverentiam Sedis apostolicae reversi fuerint, cum a fide sancta et ab hac Sede alienis, non liceat cuiquam minimeque omnium Romano pontifici aut benivolentia aut liberalitate ulla suffragari. Quod etiam quo facilius et melius agere et resipiscere ad veritatis notionem possint, offerimus nos hominem in aliquem illis propinquum, tutum, opportunumque locum mittere paratos esse, puta Gebennam aut Losannam, qui locus eis fuerit gratus, qui Sancte fidei iusti cognitione eruditus, illos salutaribus monitis revocare ad respectum et cultum omnipotentis Dei possit, necnon impios suggestores falsarum opinionum, quibus a recta via sint seducti, auctore Spiritu Sancto victos sacris litteris repellat et corrigat. Magno enim cum dolore illorum a fide catholica dissidium et perniciosos errores ferimus; quae nos vestris devotionibus nota esse volumus, primum ut intelligeretis quo optimo animo erga istam nationem universam essemus prediti; deinde vos hortaremur, ut pari erga nos et hanc Sedem Sanctam vos essetis voluntate, ipsosque Turricenses, qui ex nomine et societate vestra sunt, hortaremini et, quantum in vobis esset, studio omni impelleretis, prout vos hactenus non semel fecisse intelleximus et eis quoque scripsimus, ut a semitis damnatarum perniciosarumque haeresum ad viam revecti veritatis fidemque patrum suorum, per quam solam aditus est ad vitam aeternam, amplecti et recuperare, vosque et vestram virtutem, constantiam pietatem imitari vellent. Quod ut faciatis vestraque pristina studia erga hanc Sanctam Sedem solito amore tueamini et renovetis devotiones vestras in Domino plurimum adhortamur. Datum Romae etc. die xi. Decembris mdxxv. Pontificatus nostri anno tertio.

150.

Magno Cancellario.

Dilecte fili. Quod omnes actiones tuae sint intentae ad mutuam nostram cum serenissimo Caesare amicitiam et benivolentiam conser-

vandam vehementer nobis gratum est. Sed in hoc praecipue attendenda est libertas et quies Italiae, cui te quoque suffragari pro communi utilitate christianae reipublicae non dubitamus. Multos autem de nobis oblocutos esse, novum nobis non est; partim enim malignitate quadam, partim ut augeant ac promoveant actiones suas nostro nomine falso multi abusi sunt et abutuntur. Sed exitus rerum et conclusiones ipsae alium in nobis animum ostendunt, salvis enim coeteris omnibus quae ad boni pontificis officium pertinent, nihil nobis amicitia Caesaris unquam futurum est gratius, quod dilectus filius commendatarius Ferrera ab ipso missus praesens potuit cognoscere. Nos devotionem tuam in Domino hortamur ut agere et curare apud ipsum Caesarem velis, ut quae ad pacem Italiae primum, deinde totius christianitatis pertinent, sicut ipse saepe ostendit et pollicitus est, hoc potissimum tempore praestentur, ut quae ad illius veram amplitudinem potissimum et ad tuam etiam satisfactionem pertinent, quam nos in praecipuis nostris cogitationibus habemus, a nobis possint celerius et melius expediri. Sicut ex legato et nuncio nostris intelliges, quibus fidem habebis. Datum Romae etc. die xiiii. Decembris mdxxv. Pontificatus nostri anno tertio.

151.

Caesari.

Carissime. Adventus dilecti filii commendatarii Ferrere et litterae simul maiestatis tuae ita gratae nobis et tam opportuno tempore advenerunt, ut nihil opportunius fieri potuerit; magnis enim motibus rerum per tuae ser.tis prudentiam et ut confidimus optimam erga libertatem et pacem Italiae quietemque totius christianitatis voluntatem, consultum erit. Quod ut Dominus Deus sua misericordia efficiat, tuaque ser.tas solita virtute et integritate adiuvet, eundem ipsum Deum supplices deprecamur. Nos in amore et benivolentia neminem tibi unquam praeposituri sumus, non dubitantes quin tu eodem erga nos sis futurus animo. Et quoniam de his rebus ad dilectos filios legatum et nuncium nostros latius scribi mandamus, ipsi cum ser.te tua agent et ea illis fidem omnem habebit; hic vero sumus etiam diffusius cum

dil. filio nobili viro duce Suessae oratore tuo locuti, qui ad te perscribit. Quem virum, fili carissime, vere quotidie magis cognoscimus et fidelitate et prudentia inservire gloriae et amplitudini tuae, qui cum praesens multa intelligat, quae non tam facile absentes videre possunt, ita temperat actiones suas, ut nos tecum coniuncti et amicitia omni constricti perpetuo maneamus. Datum Romae etc. die xiiii. Decembris mdxxv. Anno tertio.

152.

Duci Venetiarum et Senatui.

Dilecti filii salutem etc. Etsi causa exterorum et exulum Patavinorum nobis saepe est, per ser.mum Caesarem commendata, quod ille officium apud nos interposuit, non solum per litteras, sed per oratores etiam suos et praecipue bo. me. Dominum de Roccha, tamen ut illam libenter suscipiamus eorumque incolumitati et restitutioni faveamus, non tantum Caesaris, sed vestri etiam honoris et nominis respectus nos impellit, cum praeter quam quod sumus ad benignitatem ac misericordiam et natura et studio propensi, vestrae quoque gravitatis et auctoritatis magnitudinem hac etiam laude clementiae et placabilitatis auctam esse cupiamus. Ac si vellemus nunc prima quaeque repetere et vel excusare horum exulum factum, propter quod in vestram iracundiam inciderunt vel eorum imprudentiae, si forte imprudentia lapsi sunt, veniam a vobis petere, multa nobis essent alleganda et commemoranda, partim nota vobis, partim non necessaria, quo quidem nunc supersedimus labore. Sed, quod est a nobis susceptae praesentis commendationis officium, tuam nobilitatem ac devotiones vestras plurimum in Domino hortamur, ut post horum miserorum diuturnam calamitatem, quae certe cum multis innocentibus communicata est, aliquando delabi ad aequitatem animi et ad misericordiam illis implorandam velitis; neque solum illis patriam, quod humanissime fecistis, sed bona etiam patria et veterem possessionem fortunarum suarum restituere; de qua tota restitutione quomodo apte fieri et quibus conditionibus possit, scribimus quidem ad nuncium isthic nostrum ut agat, tractetque vobiscum; quae omnis sane res ut arbitramur, minime a publicis vestris commodis et rationibus aliena esse, aut omnino ab-

horrere videatur, ubi autem res vestra publica nihil iacturae, neque detrimenti acceptura sit, quis non intelligat famam clementiae et liberalitatis a vobis etiam expetendam esse? Cum praesertim huiusmodi plena et integra restitutio cum animos istorum, qui perpetuo se vobis obstrictos propter beneficium iudicaturi sunt, tum coeterorum omnium qui sub vestro degunt imperio, nomine ipso liberalitatis devinctura sit ad amorem et charitatem vestri nominis sempiternam. Ex quo etiam paci et quieti vestrae consuletur; fieri enim non potest quin horum qui inopes egenique iactantur miseria ac calamitas apud animos eorum, propter quos in tantum incommodum venisse existimati sunt, aliquid patiatur offensionis et molestiae; quod totum illis restitutis et redintegratis erit sublatum. Sunt autem eiusmodi tempora ut omnium gratiae et voluntates retinendae magna cum cura sint non autem negligendae. Quamquam, ut etiam diximus, non egimus rationibus et argumentis vobiscum; vestra enim prudentia haec et alia multa videre atque existimare per se potest. Illud contendimus siquidem non unquam neque (ut credimus) vobis omnino futurum grave, quod quominus esse debeat, inita opportuna consilia et idoneae conditiones repertae sunt. Si Caesaris vobiscum foederati causa aliquid cupitis, si nostrae intercessioni et voluntati defertis nonnihil, hortamur nob.^tes^ et devotiones vestras in Domino ut hos calamitosos et afflictos, qui certe temporum culpa, non sua, in tantas miserias inciderunt, vaganturque nunc in exemplum et spectaculum toti Italiae constituti, vestra benignitate clementia mansuetudine iuvare fovere recipere in gratiam vestram et pristinam fidei subiectionem velitis, illisque ad fortunas suas pristinas, cum praesertim ex isthac una re et causa nihil detrimenti res vestra publica acceptura sit, reditum aperire. Quod certe vestri nominis amplitudini congruum, nobis vero et ser.^mo^ Caesari facietis mire gratum et optatum. Datum Romae etc. die xiv. Decembris mdxxv. Anno secundo *(sic).*

153.

Viceregi.

Dilecte fili. Cognovimus ex nob.^tis^ tuae litteris optimum animum quo erga nos es affectus, amamusque liberam mentem tuam qua nobis

significas ea de nobis isthuc allata fuisse quae animum cuiusvis debuissent commovere, quae tamen ser.mi Caesaris non moverunt. Nos vero ut assentiamur multa multos nobiscum locutos, ac etiam quandoque nos fuisse de mente ac voluntate Caesaris ambiguos quomodo ille erga pacem et libertatem Italiae dignitatemque nostram esset affectus, tamen exitus ipse declarat, nihil nos credidisse neque ad ullam conclusionem admisisse quod ab ipsius amicitia nos averteret, sed semper bona et fideli coniunctione cum eo nobis proposita, anteposuisse illius amplitudinem coeteris omnibus. Quod hoc maxime infesto et suspitioso tempore per ipsius nuncii commendatarii Ferrerae adventum potuit intelligi.[1]) Nos nobilitatem tuam plurimum in Domino hortamur ut in omnibus bonis erga nos officiis perseverare velis. Quod semper facies tua virtute dignum Deo et nobis gratum. Datum Romae etc. die xiiii. Decembris mdxxv. Pontificatus nostri anno tertio.

Caesari.

Excusatoria pro episcopo Salamantino — die xv. Decembris mdxxv. Anno tertio.

Cardinali de Salviatis — pro eodem, eodem die et anno.

154.

Duci Venetiarum.

Dilecte fili. In hoc adventu dil. filii commendatoris Ferrerae qui a ser.mo Caesare missus cum mandatis et litteris ad nos venit, communicavimus quidem cum dil. filio Marco Foscare oratore vestro homine prudentissimo, et ea omnia quae ille ad nos attulit et quod ipsi deliberavimus et gessimus; sed quominus responsum et consilium

[1]) Post haec sequebantur quae subiungimus, quaeque postea sunt immutata ut in textu: „Spem enim certam retinemus ser.tem suam prout saepe ostendit et pollicitus est paci ac libertati Italiae consulturam, cuius effectus praestandi nunc maxime tempus est. In qua re si illius optima mens ut confidimus nostris optatis responderit, et ipse virtutis ac iustitiae et magnanimitatis suae perpetuos fructus, et tu nostri in illum perpetui amoris maxima indicia cognosces. Nos quidem nob.tis tuae in hoc fidem et operam ac erga nos benivolentiam gratissimam semper sumus habituri.“ Datum.

vestrum expectaremus ipsius commendatoris festinatio et augustia temporis effecit. Cum enim ille ipso primo adventu statim ad Caesarem rescripturus esset, quaereretque notitiam et deliberationem nostrae voluntatis, non fuit cunctandum, cum omnis hora et omne momentum magnas res ferre secum et eripere posset, quin consilium subitum caperemus respondendi et deliberandi. Quod ipsi oratori vestro omne patefecimus, et ut arbitramur, ita rem examinavimus ut in utramque partem esset consilium nostrum tutum et salutare. Si enim, id quod confidere possumus, Caesaris voluntas ad pacem et libertatem Italiae propensa fuerit, eamque fidem quam saepe nobis ostendit restituto ducatu Mediolani duci suo et caeteris rebus ad hunc finem directis, praestiterit, erimus singulari Dei omnipotentis beneficio, magnis periculis et tumultibus liberati; si vero spes nostrae secus ceciderint, tunc ea remedia capiemus quae fuerint necessaria, ad quae quidem Deum precamur ne veniendum nobis sit. Sed certe volumus nobilitatem tuam ita statuere, nos nec nostram salutem ac dignitatem ullam putare sine salute et dignitate vestra, nec consilium nobis ullum nisi de consilio vestro esse capturos. Quod nunc repente et per brevitatem temporis factum est ut vos non consuleremus, id habuit necessitatem inevitabilem; omnis quidem nostra cogitatio ad vos intenta semper fuit et futura est, nomen enim et libertatem et decus Italiae cum primis in vobis intelligimus positum. Sed spem in Domino Deo habemus, meliorem fore Caesarem, quam forsitan ipsius ministri velint, qui ex sperata pace oppressione status Mediolanensis atrox bellum excitare conati sunt, cui malo ipsius Caesaris aequitas et prudentia opitulabitur. Aut si aliter evenerit, nosque spe falsi erimus, non sumus eo casu nec vestrae dignitati nec saluti Italiae ullo loco defuturi. Sicut cum eodem Marco oratore vestro latius locuti sumus, qui ad vos plene omnia referet. Datum Romae etc. die xix. Decembris mdxxv. Anno tertio.

155.

Regi Angliae.

Carissime. Credimus ser.ti tuae nota esse studia nostra praeterita conciliandae communis pacis, in quibus nos semper perseveravimus, nec

si labori et sollicitudini nostrae desideratus adhuc eventus defuit idcirco minus gratas actiones nostras Deo omnipotenti esse credimus, qui est scrutator cordium hominumque facta et animo non ab eventu aestimat. Sed accidit pene, multum gementibus nobis, ut nos qui alios ad pacem animabamus ad arma ipsi traheremur. Ducatu enim Mediolani per ministros in Italia Caesaris ipsi duci erepto et obedientia ad caesereum nomen reducta, cum gravi suspitione una cum ceteris potentatibus Italiae perculsi essemus ne hoc esset velle servitutem imponere Italiae, ad ea remedia confugiebamus necessario quae sola erant apta ad tantam perniciem depellendam, cum in ipso temporis articulo venit ad nos missus a Caesare dil. fil. commendator Herrera cum mandatis et litteris quibus ample de optima voluntate Caesaris erga pacem et libertatem Italiae nobis significabatur. Quo nuncio recreati, continuo scripsimus ad Caesarem manu nostra litteras, illum enixius rogantes ut consuleret Italiae fidemque suam praestaret, quam de christianitate quantum in ipso erat placanda et armis adversus infideles convertendis totiens ostenderat; atque ut haec expeditius gereret, institimus magnopere ut regem christianissimum honestis cum conditionibus liberum faceret, utereturque magnitudine sua in ignoscendo potius quam vindicando. Harum petitionum et precum nostrarum donec responsum haberemus duorum mensium tempus cum ipso commendatore Herrera conclusimus. Atque haec nos hoc fidentius postulavimus quod novimus ser.tem tuam pro sua singulari virtute et sapientia in hisdem rebus apud Caesarem procurandis elaborare, fuit enim tibi semper christianae reipublicae pax et Italiae ac huius precipue S.tae Sedis salus et dignitas cordi; speramusque tua imprimis auctoritate adiutos, nos aliquid boni operis effecturos. Sed, sive ad aequitatem et iustitiam Caesar ipse se dederit sive, quod non credimus, in ducatu Mediolani occupando perstiterit, utriusque temporis et consilii nostri summa spes et fiducia in tuae ser.tis ope auxilio prudentia posita est; si pax et quies futura est, dignissimum illa auctorem nobiscum una ser.tem tuam habitura est. Si, quod Deus avertat, bello necessario Italia tumultuabitur, ad opem et iustitiam tuam confugientibus erit, ut confidimus, paratum solito more tuae pristinae aequitatis iuge praesidium. Quod nos tuam ser.tem quanto possumus studio animi enixe rogamus et deprecamur ut in tantis oc-

casionibus rerum quam suam apposuit ad placandas res auctoritatem eam velit laudem et decus perfectae rei optimae obtinere, instareque tum apud Caesarem tum apud alios omnes quibus tua voluntas pro amplitudine et nominis et virtutis tuae gravissima est, ut aliquando tandem misera et afflicta christianitas ex tantis cladibus et calamitatibus quas perpessa est recreetur. Quod quidem omnes tam magno auctore moniti eo accuratius facient, quo intellexerint eumdem te suasorem pacis, si arma sumpta fuerint, iuris etiam et aequitatis arbitrum fore et iudicem. De his scribi mandavimus ad dil. filium Melchiorem Langum nuncium nostrum ut tecum nostro nomine agat, cui ser.tas tua fidem habebit. Datum Romae etc. die xix. Decembris mdxxv. Anno tertio.

156.

Matri Regis Christianissimi.

Dilecta in Christo filia. Nostros perpetuos animi labores, sollicitudinesque eas, quas pro afflicta et misera christianitate aliquando a tantis calamitatibus liberanda suscipimus, non desistimus continuare, omnique studio niti, ut multum perniciosa et diuturna arma ad pacem aliquando et tranquillitatem convertamus. Cumque pax vera non possit confici nisi et res Italiae sedatae fuerint et charissimi in Christi filii nostri regis christianissimi nati tui libertas consequatur, utrumque apud Caesarem nobis tractandum suscepimus, spem propemodum certam habentes in Domino Deo et in ipsius bonitate Caesaris, cuius etiam mens ad pacis studia propensa videtur esse, utrumque nobis ad votum successurum. Itaque cum his diebus venerit ad nos missus ab ipso Caesare dil. fil. commendator Herrera, homo sicut potuimus iudicare et probus et prudens, et de optima ipsius Caesaris voluntate erga communem pacem nos certiores reddiderit, visum fuit nobis non praetermittere occasionem hanc, et sciscitari melius mentem Caesaris hortarique eum ut Dei et christianae fidei et sui honoris causa velit, et in ducatu Mediolani duci relinquendo et in christianissimo rege honestis conditionibus liberando, consulere gloriae suae et saluti universae christianitatis. Quod etiam litteris manu nostra propria ad eum

scriptis fecimus, capto tempore duorum mensium, intra quod tempus responsum ab eo et deliberationem sui consilii reciperemus; cum enim intelligamus si se aequum et clementem, sicut magis credimus, Caesar praebuerit, maximis malis liberam et tutam christianitatem fore, si vero occupandi res alienas cupiditatem ostenderit, nobis quoque fore necessarium, quanquam invitissimis, ad arma tendere; gratius Deo multum esse et bono pontifici convenientius iudicavimus alios retrahere a tumultu bellorum, quam nosmetipsos bellis nunc involvere; a quibus tamen non abstinebimus si necesse fuerit, et si iustitia ac religio vim iniustam passa fuerint. Sed avertat hoc Deus, nobisque exitus eos praebeat quos certe bona mens nostra et voluntas publici commodi meretur; ut et Italia sua libertate laeta sit, et filius tuus, idemque in Christo noster, pristinam suam dignitatem amplitudinemque obtineat. Quod plane confidimus Caesarem esse facturum, primum quod bonitas ipsum sua et cultus iustitiae, de qua semper predicat, ad hoc faciendum eum hortabitur; deinde quod ipse quoque quietis et pacis ut videtur amans et cupidus est; tum quod nos omni studio et diligentia instamus; postremo quod existimamus nobilitatem tuam et christianissimum filium nostrum prae vestra amborum virtute ac prudentia haec pacis studia et consilia esse adiuturos. Haec nos nob.ti tuae nota esse voluimus ut ipsa nostrorum actorum intelligeret rationem et aliquando manifeste cerneret quo simus animo erga universalem pacem et vestrum ac regni istius commodum praediti; probamus enim plurimum viam pacis, arma vero ad necessitatem et ad extremum consilium reservanda ducimus, quorum capiendorum utinam nulla nos unquam urgeat necessitas. Sed, ut haec via pacis possit esse expeditior, hortamur nos quidem quanto possumus animi studio nob.tem tuam ut ipsa quoque nobis auxilio esse, et spiritum hunc Dei pacem inspirantis excipere illo suo catholico pectore largiter velit. Cui quidem Deo tot iam caedes tot vastitates tantam christiani sanguinis effusionem graviter displicuisse quis est qui dubitet? Quod si quippiam fuerit quod magis particulariter a nobis tractari in commodum et utilitatem nati tui et rerum vestrarum tibi opportunum visum fuerit, ubi admoniti erimus aequabimus studium tuum nostra diligentia ac benivolentia; qui cum de sapientia tua plurimum confidimus, non arbitramur eam pluribus

verbis hortari aut monere necesse esse, cum ipsa optimum consilium per se captura sit. Illud extremum adiicimus, si recusatae fuerint honestae conditiones pacis, nos nec dignitati nostrae nec communi saluti omnium nostrum et vestrum libertatique Italiae esse defuturos. Datum Romae die xviiii. Decembris mdxxv. Pontificatus nostri anno tertio.

157.

Cardinali Eboracensi.

Dilecte fili noster. Cum perpetuus noster animi labor et eadem semper cura suadendae monendae et conciliandae pacis universalis fuerit, propterea quod et hoc officium pium atque sanctum omnipotenti Deo eiusque sanctae fidei pro honoris nostri gradu debeamus, et infinitis malis vexata afflictaque christianitas pacem tandem aliquando et quietem desiderabat, cum ipsi cum ser.mo Caesare coniunctionem facere conati fuimus, in qua, ut tibi notum fuit, istius etiam inclyti et invictissimi regis auctoritas et nomen comprehendebatur; tum vero rebus illis tardius et difficilius succedentibus, vestram cum regno et rege Francorum pacem concordiamque probavimus, accipientes semper omnem amicitiae coniunctionem pro salutari omine desideratae pacis. In Italia vero cum subito et inopinato consilio, Caesaris ministri ducatum Mediolani ad caesareas manus, reiecto et obsesso duce ipso, reduxissent, videbatur penitus exclusa ratio et cogitatio pacis, nosque ipsi quamquam aegre et inviti, necessitate tamen ipsa cuius vis acerrima est, ad armorum et belli consilia rapiebamur; cum ipso in articulo capiendorum consiliorum venit ad nos missus a Caesare dil. fil. commendator Herrera homo probus admodum et prudens cum mandatis et litteris, quibus nobis persuasum sero est aliam esse mentem Caesaris quam nos suspicati eramus, ministrosque illius in Italia fuisse qui quaererent bellum, ipsum vero Caesarem appetere pacem; ac de ducatu Mediolani in spem magnam venimus eum duci suo restitutum iri. Quo nuncio recreati, spem pristinam et studium tractandae et suadendae pacis resumpsimus; captoque duorum mensium spatio intra quod Caesar deliberationis suae participes nos faceret, et de ducatu Mediolani resti-

tuendo paceque et libertate Italiae constituenda et de liberatione regis christianissimi honestis cum conditionibus cum eo per litteras manu nostra scriptas egimus. Quas hoc etiam confidimus Domino Deo qui nostris optimis et sanctis cogitationibus defuturus non est adiuvante, multum momenti apud Caesarem habituras;[1]) novimus cir.nem quoque tuam et istum clarissimum et praestantissimum regem pro eadem regis christianissimi liberatione et statu Italiae tranquillando apud eumdem Caesarem laborare. Gratum est nobis et imprimis accomodum habere cir.nem tuam sociam et adiutricem optimorum consiliorum cuius et auctoritas et prudentia est singularis. Et certe si, id quod magis sperandum est, aequum et facilem se Caesar praebuerit, summum christianae reipublicae bonum erit pax parata; sin minus ad ea quoque auxilia confugiendum nobis erit per quae servitus Italiae et christianitati non permittatur. Sicut latius cum eodem dil. fil. Melchiore nuncius noster nostro nomine aget, cui illa fidem habebit. Datum Romae die xviiii. Decembris mdxxv. Pontificatus nostri anno tertio.

158.

Dilectis filiis Nobilibus viris Francisco de Borbonio Comiti S. Pauli, Claudio de Lotharingia duci de Guisa ac Aloysio de Lotharingia duci de Valdemonte.

Dilecti filii. Quam grata habuerimus ea quae de vestro in nos studio atque egregia voluntate dil. filius Livius Crottus copiose nobis exposuit, nobilitates vestrae ex ipso cognoscent. Quem idcirco dies complures detinuimus quod in his difficultatibus temporum diu multumque deliberando nichil tamen explicabamus. Siquidem nobis non

[1]) Prima minuta epistolae sic prosequebatur: „ipsiusque catholica mente nostris hortatibus et monitionibus adiuta, aliquid boni effectum iri credimus per quod miserae atque afflictae Italiae ac toti denique christianitati consulatur. Quae volumus circumspectioni tuae nota esse, ut ipsa et actorum nostrorum cognosceret rationem, et quod semper ante hac fecit nobis sua prudentia et auctoritate quo utroque singulariter est praedito adiumento esse vellet; si enim, quod magis speramus, se aequum et facilem praebuerit Caesar, summum christianae reipublicae bonum erit pax parata. Sin minus ad ea auxilia confugiendum nobis quoque erit per quae servitus Italiae et christianitati depellatur. Sed

tam voluntatis nostrae quam christianae reipublicae et communis salutis ratio est habenda. Quid itaque constitutum a nobis sit, ex ipso Livio intelligent nob.[tes] vestrae; quibus et probari cupimus hoc consilium nostrum, et persuasum esse, ipsarum amorem atque animum erga nos singularem, ut eo suo tempore uti possimus, a nobis in memoria conservari. Datum Romae xx. Decembris mdxxv. Anno tertio.

Marchioni Guasti. Pollicetur suum amorem ac benivolentiam etc. xx. Decembris mdxxv.

159.

Archiduci.

Dilecte fili. Studium nostrum et amor erga serenissimum fratrem tuum cum quo nobilitas quoque tua in animo nostro comprehensa est, eas iam egit radices, ut nulla re nec causa possit imminui nec labefactari. Cuius rei multa iudicia alias, proxime vero his paucis diebus maximum illud dedimus quod, turbatis et offensis animis cunctorum propter novitatem status Mediolanensis, cum ad nos etiam gravis suspicio et metus pertineret, ne ex illo principio ad servitutem et oppressionem Italiae gradus esset factus; voluimus tamen omnia potius existimare quam credere Caesarem ipsum tam apertae et manifestae cupiditatis auctorem esse, cum eius optimae et sanctissimae menti hoc factum vehementissime repugnaret. Itaque cum missus nob. vir venisset ad nos dil. filius commendator Herrera, homo probus et admodum prudens cum mandatis et litteris quibus de voluntate Caesaris ad pacem et publicum bonum propensa significabatur, adversus mul-

hoc posterius avertat Deus, magisque donet ut vestra auctoritate et opera interveniente, animo Caesaris ad pacem et iustitiam directo, populis illis qui Christi nomen et fidem amplectuntur stabiliatur vera et necessaria pax. Nos in omnibus consiliis nostris cir.[nem] tuam participem nobiscum facimus, ut ipsa pro singulari sua virtute et ad res proficuas christiano generi procurandas adiungat nobis curam et prudentiam suam, et si molestae quod absit turbulentaeque venerint, ad eas repellendas opem conferat et auctoritatem. Sicut tua erga nos benivolentia et in magnis rebus gubernandis consilio freti te facturum confidimus.

torum consilia, qui nos nostrae dignitatis et communis libertatis patrocinium acri animo sumere hortabantur, duorum mensium tempus sumpsimus, quo precaremur et obtestaremur ipsum Caesarem ut, christianae reipublicae diu multumque afflictae memor, sua ingenita in summum Deum pietate causas novorum bellorum ac tumultuum vellet auferre, restitutoque statu Mediolani, ceterorum animos placatos et securos reddere, quod non diffidimus illum esse facturum; tot enim iam dedit indicia fidei et religionis suae ut in hac re omnium maxima et periculosissima consulturum eum existimationi suae et communi quieti christianitatis non dubitemus. Quod si ex illo nobis sicut speramus successerit, nihil est in omni nostra facultate nec spirituali nec temporali, quod non illi et tibi et universae domui vestrae promptum et paratum esse velimus; sumus enim hoc certe animo ut cum Caesare et tecum cupiamus esse omni vinculo amoris aeterni et indissolubilis coniuncti. Quae coniunctio, si ad res dignas vestra gloria et pietate aspiraveritis, ut arbitramur, vobis erit imprimis fructuosa; nihil enim tam magnum et amplum est, modo idem sit christianitati salutare, quod non virtuti et honori vestro tanquam consecratum esse cupiamus. Verum in his necessario primum illud est, ut libertati et saluti Italiae pacique christianitatis nostra sit parata voluntas et protectio. Quae vestra aequitate facilis futura est. Quam totam mentem nostram nobilitati tuae voluimus esse notam, ut ipsa et sentire de nobis nostraque constantissima voluntate quod sentiendum est, et falsis saepe rumoribus denegare fidem possit. Illud quidem nob.tem tuam hortamur in Domino, si nostrum consilium aequum et pium esse intelligis, velis favere nobis et assistere, ut tua auctoritate interveniente, pax et quies et tranquillitas non Italiae solum sed universae christianitatis aliquando constitui possit. Quod futurum est imprimis nob.tis tuae honori et nomini gloriosum, sicut latius cum ea dil. fi. Hieronimus Rorarius nuncius noster nostro nomine loquetur, cui illa fidem habebit. Datum Romae die xxi. Decembris mdxxv. Anno tertio.

(Foris).

Archiduci super occupatione status Mediolani.

Duci Lotharingiae. Ait se illi obsequi non posse petenti ut cum Antonio de Marchia dispensaret quatenus is, diaconatus ordine insignitus, ad laicorum vitam reverteretur ac uxorem ducere valeret. xxii. Decembris mdxxv.

Isabellae uxori Caroli V. Gratulatur illi pontifex de matrimonio cum Caesare, eiusque officia declarat. xxviii. Decembris mdxxv.

Huic epistolae deest initium.

Regi Portugalliae. Gratulatur illi de eius cum Caesare affinitate. xxviii. Decembris mdxxv.

Marco Dandolo. Hortatur eum pontifex ut sibi ad tempus commodet volumen quoddam graecum, quod ille habebat, in *psalmos*. — xxix. Decembris mdxxv.

Dominae Engolismensi (matri regis christianissimi). Laudat pontifex eius pietatem ac prudentiam, quod quasdam pontificias bullas publicari iusserit ac haereticum praedicatorem Lugduni capi custodirique mandaverit. xxix. Decembris mdxxv.

160.

Cardinali Saltzeburgensi.

Dilecte fili noster. Cum dilectus filius Laurentius etc. Campegius legatus . . . contulerit se in Hungariam nonnulla in eis regionibus ad christianae reipublicae salutem multum pertinentia nostro nomine provisurus et curaturus, inter cetera causam illam et controversiam quae iamdiu inter car.mum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniae regem et dilectum filium Albertum ordinis S. M. magnum magistrum Prussiae versata est non parvi facientes, cuperemus eam aliquando posse sedari, tum quia per se gravis et periculosa est, tum quia his afflictis et calamitosis temporibus maiorum quoque motuum et periculorum causam posset praebere; et quoniam te in ea arbitrum et iudicem electum consensu ambarum partium novimus, confideremus tua prudentia atque

industria multum profici posse, si te casus aliquis ad eas partes transferret. Nollemus tibi quidem nos quicquam gravioris oneris imponere quam tua voluntas pateretur; sed hoc certe crederemus circumspectionem tuam usu auctoritate consiliis si cum legato nostro una rei tractandae adesset atque incumberet aliquem exitum et modum concordiae inter eos facile reperturam. Quanti vero huius quoque inimicitiae compositio ad communem salutem pertineat, tu pro tua prudentia existimare facile potes; nulla enim non parte christianitatis turbata, omnium fortunae in discrimen vocantur, nisi quantum unusquisque in agendo valet, communibus periculis remedium aliquod afferre nitatur. In quo quidem opere nos quantum possumus nullo loco desumus, licet adhuc consiliis et monitis nostris asperitas temporum valde adversata sit. Sed non desistimus tamen, speque omni nostra in Dei omnipotentis auxilio posita, nullum tempus praetermittimus neque hortandi neque monendi, neque vero etiam deprecandi; quod iustius etiam et gravius facere nos arbitramur quod privatis omnibus affectibus omissis in ea quae nos decet maxime patris pastorisque communis persona permanemus. Quamobrem praestamus nos quod nostrum est. Tua vero circumspectio si in hac parte eam quam solet industriam et optimam in publicum bonum adhibuerit voluntatem, paulumque sibi laboris propter rei christianae salutem assumpserit, multum consulere poterit christianitatis commodo et communibus periculis, remque nobis pergratam, dignitati suae plurimum congruam efficiet. Datum Romae die xxix. Decembris mdxxv. Anno secundo.

161.

Dilecto filio nobili viro Jano Lascari Patritio Constantinopolitano familiari nostro.

Dilecte fili. Memores adhuc eorum consiliorum ac laborum quos tu pro rei litterariae incremento gratae memoriae patruo nostro Laurentio tribuisti, cum et incitasti eum monitis tuis ad instituendam graecam bibliothecam, et ipsemet libris graecis undique conquirendis operam ac diligentiam adhibuisti; eam ipsam bibliothecam perficere nunc intendimus, dedimusque negocium dilecto filio Alexandro Paccio

affini nostro homini, ut tute scis, et prudenti imprimis et erudito ut is investigandorum librorum et instruendae ornandaeque sumptu nostro Florentiae ad divi Laurentii bibliothecae curam cogitationemque susciperet, eique mandavimus ut te potissimum adiutore et actore in eiusmodi re uteretur. Qui quoniam ad te scripturus est, et apertius et copiosius mentem nostram declaraturus, hortamur devotionem tuam, ut eius litteris fidem omnem habere, dareque te in hanc curam velis, ut nova bibliotheca tuo auxilio, studio, labore, vigilantia possit esse ornatior. Nos et iudicium tuum maximi facimus, novimus enim quantum ad naturalem tuam prudentiam et usus rerum omnium et doctrinae accedat; in amore vero et benivolentia erga nos valde acquiescimus, quam si in hoc nobis optato atque expectato officio totam exercueris, ad tua vetera erga familiam nostram merita hunc non mediocrem cumulum accessisse sumus existimaturi. Datum Romae die xxix. Decembris mdxxv. Anno secundo.

BREVIA AD PRINCIPES CLEMENTIS VII.

1526.

Strigoniensi archiepiscopo. Promittit, quantum in se est, se illum cardinalatus dignitate ornaturum. Romae v. Januarii mdxxvi. Anno tertio.

Regi Hungariae. Responsivum ad eius litteras de archiepiscopo Strigoniensi in cardinalem promovendo. Eodem die et anno.

162.

Regi Hungariae.

Carissime. Pro nostra paterna cura et vigilantia erga res tuas scribi mandavimus dilecto filio Baroni (Burgii) nuncio nostro quaedam quae cum tua ser.^te verbis nostris communicet ad salutem et statum regni et auctoritatis tuae valde pertinentia; petimus a te, si animum nostrum erga te plenum amantissimae sollicitudinis perspectum habes, ut et illi fidem habeas et nostris consiliis obsequaris, ex quibus dignitas et amplitudo ser.^tis tuae maxime confirmabitur. Datum Romae ut supra.

Duci Gelriae. — Responsivum ad eius litteras. — Testatur pontifex se de eo nonnisi bene et honorifice iudicare, licet privilegium fori in causa eiusdem ducis contra Joan. Jugenwinkel notarium et referendarium suum, tueri cogatur. Die ix. Januarii mdxxvi. Anno tertio.

163.

Archiepiscopi Strigonensi.

Venerabilis frater. Non ingratae nobis fuerunt fraternitatis tuae litterae quae dum te cum aliquo dolore ferre significant si quid in

14*

nobis opinionis est conceptum, quasi tu ad commodum reipublicae parum propensus sis, magnum nobis indicium afferunt innocentiae tuae et optimae in salutem communem istius regni voluntatis, de qua tamen nos semper rectius existimare ceterae tuae virtutes coegerunt. Cum enim doctus vir, cum ingenio non mediocri praeditus, cum Dei altissimi sacerdos in ampla dignitate constitutus sis, non potuimus unquam nobis prorsus persuadere te publicas rationes posteriores privatis commodis ducere; id enim certe indignum et minime tibi congruum esset. Sed cum quotidie aliquod oppidum captum, aliquam urbem amissam, aliquam cladem regno isti illatam audiremus, cum quod proprium videbatur esse et consilii et auctoritatis tuae, parum adhiberi curae et providentiae his tot malis repellendis intelligeremus, ut sumus salutis et incolumitatis istius et regis et regni amantissimi, non mirum si aliquantum aegre tulimus, cum non ignoraremus posse te si animum adverteres multis rebus providere. Hac quidem nos extimulati cura quotiens nobis occasio data est, quae hoc iubilaei anno accidit, etiam crebrior voluimus nosse et audire quae esset tantorum periculorum origo et causa, in qua inquisitione nostra de te potissimum, ingenue enim loquemur, querelae factae sunt, nec tam quod tu auctor esses; nunquam enim hoc fuit a nobis receptum; sed quod cum multa rectius constitui per te possent, negligeres. Quare si iuste te aliquantum accusavimus, non fuit repudiandi et damnandi tui causa sed emendandi; si iniuria, erit iam deinceps prudentiae tuae, non solum crimen sed suspitionem etiam criminis effugere, qua nos laude tuae virtutis et integritatis non minus quam tu te ipse gavisuri sumus; amamus enim fraternitatem tuam paterno affectu et in tuum honorem ac decus optimo animo sumus. Quod si fr.tas tua effecerit id quod facile potest, ut sua virtus apud omnes nitida et illustris appareat, intelliges nobis curae esse dignitatem et auctoritatem tuam.[1]) Sicut et cum dilecto filio Francisco Marsupino regio oratore, qui causam tuam apud nos diligentissime egit, latius locuti sumus et ad dil. item fil. Baronem (Burgii) nuncium nostram iussimus perscribi, quibus fr.tas tua fidem habebit. Datum Romae die xxi. Januarii mdxxvi. Anno tertio.

---

[1]) Pro verbis sequentibus habebatur prius in minuta: „Sicut cum dilecto filio Barone (Burgii) latius egimus cui tecum communicanti frat.tas tua fidem habe“.

Sequitur brevis epistola absque titulo ad quosdam missa qui auxilium petebant adversus hostes, ut videtur, christiani nominis, quibus promittit pontifex se oblata occasione non defuturum. Datum eodem die et anno.

Dilectae filiae Brigidae in monasterio S.ti Pauli de urbe veteri ord. Praed. monialium. — Ut Romam cum suis veniat cuiusdam monasterii reformandi causa. — xxvii. Januarii mdxxvi.

Antonio de Leva. Pro Francischino de Caymis, qui a possessione cuiusdam commendae prope civitatem Papiensem, ordinis S. Joannis Hierosolimitani, iniuria eiectus fuerat. xxx. Januarii mdxxvi. Anno tertio.

164.

Caesari.

Carissime in Christo fili noster etc. Etsi certi sumus famam ipsam, quae malarum praecipue rerum velox et festina est, gravem tibi nuncium de periculis Ungariae ad paucos dies allaturam; tamen existimavimus nostrarum partium esse, quae ex nunctio ibidem nostro Jo. Antonio Pulleone Barone Burgii homine prudentissimo et vigilantissimo accepimus, ea quamprimum ser.ti tuae significare, futura illa tibi quidem molesta, verumtamen cognitu necessaria. In his enim vulneribus, quae afflictae iandudum et labanti christianitati quotidie afferuntur, ad eos potissimum ductores confugiendum est, unde salutaris medicina potest expectari. Ac de rebus quidem illius regni in quo statu sint, quamve misere et infirme se habeant, deque consiliis hostium, quibus iam et spe ipsorum capta atque confecta, et nostra prope desperatione complorata Ungaria est, iussimus capita ipsa litterarum describi et ad ser.tem tuam mitti, ex quibus seriem totius negocii cognosceres. Quid vero ad haec tanta et tam acerba mala ferri opis aut consilii inveniri possit, ut tantisper saltem imminens excidium differatur, quoad constitutis desiderata pace christianitatis rebus, aliquis aliquando reipublicae et verae pietatis amor in principum cordibus et mentibus recalescat, testamur Deum et Dominum nostrum nos nihil adhuc quod placeat statuere potuisse. Sive enim viribus et opibus sit opus, omnia hic infirma et extenuata sunt, sive etiam illa adessent, vix videtur brevitas temporis ullius iam remedii capere vim posse. In qua nos

cura et cogitatione ancipites, ut primum litterae illae nobis redditae fuerunt, advocavimus e vestigio ven.les fratres nostros, atque eorum consilio et coetui regum et principum christianorum oratores qui in urbe aderant etiam adiunximus, ut et nobiscum et cum illis una, cum testes essent miseriarum, tum adiutores si fieri posset inveniendae salutis. Quorum cunctorum deliberatione et consilio, quae sunt explicata in alia scheda seorsum perscripta sunt. Illud quidem prae coeteris praesentius et promptius remedium et nobis et illis visum est, quoniam armis et apparatu bellico occurrere in tempore ad illam nobilem ac maxime opportunam provinciam retinendam non possumus, ut unusquisque principum per suum fidelem aliquem, subsidium pecuniae in Ungariam mittat, per quod ex finitimis nationibus Bohemisque praesertim pedites conducti, sustinere impetum ingruentium hostium tantisper possint, et regni illius spiritum atque vitam, ad aliquod commodius medicinae tempus reservare. Hoc unum consilium reliquum videtur factum, in quo spes etiam nunc aliqua exiguae salutis resideat, quod si neglectum et repudiatum fuerit, non veremur iam nos quidem, sed pro certo ducimus, nos ad alterum annum Ungariam non habituros, frustraque deinde et nobile membrum christianitatis et propugnaculum nationis fortissimae adversus Turcarum intolerabilem potentiam desideraturos. Quae res cum sic se habeat, scribimus ad cunctos quidem principes, et eorum auxilium rebus Ungaricis imploramus. Sed in te unum praecipue fili carissime oculi et mens nostra conversa est. Scimus te Dei causa quid possis; novimus quid velis; quantum autem velle debeas omnes ignoti notique intelligunt. Ad tantam autem naturae bonitatem, tanto necessitudinis et erga Deum gratiae officio adiuncto, quid est vel tam arduum quod pro republica, vel tam laboriosum quod pro honore Dei aut tu non suscipere, aut nos de te non sperare debeamus? Cernimus ipsi in quae tempora vocati ad hoc praegrave iam, nequaquam autem iucundum pontificatus administrandi onus fuerimus, infausta videlicet et turbulenta; quibus quicquid sanandum confirmandumque apprehendas, ut in ruinosis parietibus putres structurae solent, ita tibi apprehensum in manibus conteritur ad nihilumque redigitur. Tenuimus tamen Deo adiuvante Ungariae salutem usque in hodiernum diem. Nos enim summam pecuniae quae illuc a fe. re.

Adriano praedecessore nostro missa fuerat, auximus; nos iam aliquotiens hordei, tritici, pulveris non mediocrem numerum ad sustentandas arces Croaciae misimus; nos urbem Clissum bis a Turcis obsessam et pene captam, nostro item bis sumptu, nostra cura liberavimus, ut quisque in eis regionibus opis indigus est, ita ad nos opem petitum advenit, quos nos non sinimus vacuos spei opisque discedere. Et haec facimus omni ipsi ope, omnibus prope vectigalibus destituti. Vincit tamen voluntas impotentiam, et fidei ac charitatis studio difficultates omnes superantur. Quae cum a nobis fiant summa egestate oppressis, quid a te expectandum est fili charissime, in quem omnis summi Dei beneficentia tam large et abundanter effusa est? Neque nos te monemus officii et debiti, in eis regionibus celeri et opportuno pecuniae subsidio adiuvandis, quo iam suscepto oneri et impendio nosmetipsos subducamus, partesque etiam nostras in te transferamus. Sed ut nobiscum una ad ferendam opem illi regno te accingas in honorem et salutem christianitatis, cuius tibi incolumitas, prope aequa ex parte ac nobis commendata est. Quae si illa inclyta natione amissa, manca et mutila facta fuerit, deformatoque corpore, hanc etiam notam tuae aetatis seculo inusserit, ut te usque adeo florente et praepollente, immanissimis tamen hostibus prodita et abiecta fuisse videatur. Quid te quaesumus opes tuae, quid imperium, quid victoriae insignes adiuvabunt ad diluendam maculam nominis tui? Quam ad Deum omnipotentem causam dicturus es? apud quem certe dicenda est, quando coetera omnia caduca et interitura sunt, opus religionis et pietatis solum est aeternum. Sed haec agat idem ille omnipotens Deus, ut longe sint a te atque ab aetate nostra, tuque potius quae invictissimo rege et christianissimo Caesare digna sunt, agenda, paranda, navandaque suscipias, Atque utinam pace inter te regemque Francorum conciliata, de qua rumores venerant satis constantes, ita opportuno tempore, ut iunctis simul tanti boni malique nunciis, si modo pax ipsa vera est, et iram simul et misericordiam Dei immortalis omnes admiraremur. Verum quae huic periculo et propinquae calamitati propulsandae necessaria sunt, ut serenitas tua et Dei eiusdem et debiti sui et patriae avitaeque ditionis suae causa, est enim Austria huic periculo finitima maxime, accurate, mature pieque cogitet, atque efficiat, illam in Domino adhor-

tantes, omni animi studio obtestamur. De quo etiam cum ea dilectus filius noster Jo. etc. legatus, et d. f. Baldassar etc. nuntius nostris verbis agent, quibus illa fidem habebit. Datum Romae etc. die ix. Februarii mdxxvi. Pontificatus nostri anno tertio.

(Foris).

Caesari,
Regi Angliae et
Regi Portugalliae de rebus Ungaricis.

Et quidem habentur verba quaedam mutata ad reges Angliae et Portugalliae, ad archiducem Austriae, ad dominam Engolismensem.

165.

Archiduci (Austriae).

Dilecte fili. Credimus nobilitati tuae esse iam notum quod de periculis Ungariae gravi et tristi nuncio nos quoque cognovimus. Quod si forte adhuc non sit; rem enim nondum pervulgatam neque in populum editam accepimus, quemadmodum videlicet et deliberatione et apparatu Turcae iam in procinctu sint, ipsorumque spe iam capta atque confecta, nostra prope desperatione complorata Ungaria est, iussimus capita litterarum quas ab homine fido et prudente Jo. Ant. Barone (Burgii) accepimus de his rebus describi et ad nob.tem tuam mitti, ut quo in statu res regni illius sint quamque infirme et misere se habeant planius ex illis cognosceres. Tecum vero carissime fili non tam obtestatione aut precibus quam cura et dolore agimus. Haec enim clades si accidat quem exitum avertat Deus, post regnum regemque illum ad te potissimum et ad status tui detrimentum pertinet, ut ad dolorem rerum illarum hic quoque de rebus tuis in animo nostro sit adiunctus metus, eo maior ac vehementior quo nostra erga nob.tem tuam summo quodam amore est inflammata charitas. Cernimus quidem ipsi in quae tempora vocati ad hoc praegrave iam, nequaquam autem iucundum pontificatus administrandi onus fuerimus, infausta videlicet et turbulenta; quibus quicquid sanandum confirmandumque apprehendas, ut in ruinosis parietibus putres structurae solent, ita tibi apprehensum in manibus conteritur ad nihilumque redigitur. Tenuimus tamen Deo adiuvante Ungariae salutem usque in hodiernum diem. Nos enim summam pecuniae quae illuc a fe. re. Adriano praedecessóre nostro missa

fuerat, auximus, nos iam aliquotiens hordei, tritici, pulveris non mediocrem numerum ad sustentandas arces Croaciae misimus. Nos urbem Clissum bis a Turcis obsessam et pene captam, nostro item bis sumptu, nostra cura liberavimus, ut quisque in eis regionibus opis indigus est, ita ad nos opem petitum advenit, quos nos non sinimus vacuos spei opisque discedere. Et haec facimus omni ipsi ope, omnibus prope vectigalibus destituti. Vincit tamen voluntas impotentiam, et fidei ac charitatis studio difficultates omnes superantur. Quae cum a nobis fiant summa egestate oppressis, a te quoque expectandum est fili car.^{me} ut tantum inferri vulnus christianae reipublicae tantique ignis incendium finibus tuis appropinquare non sinas; est tuum cum agere iuvareque pro tua parte ut illuc celerrime subsidia mittantur, tum apud ser.^{mum} fratrem tuum omni ope atque opera negocium promovere, in quo omni celeritate est opus; non enim temporis angustiae moram ullam recipiunt. Verum ad haec te hortari fortasse superfluum est, quod habenti tibi carissima in illo regno pignora vel ser.^{mae} sororis tuae vel regis coniunctissimi vel tuae etiam finitimae securitatis non est maior adhibenda hortatio. Illo quidem recente nuncio ad aliquam nos spem erecti sumus, si modo vera est, inter ser.^{mum} fratrem tuum et christianissimum regem pacis conciliatio, de qua rumores venerant satis constantes, sed ad nos nihil adhuc perscriptum fuerat; hoc enim si ita esset satis firmum praesidium haberet christiana respublica adversus impetus futuros immanissimorum hostium. Sed nunc tamen regno Ungariae et rebus illis labentibus celeriter succurendum est. Quam ut tu quoque curam et cogitationem sollicito animo capias magnopere in Domino nob.^{tem} tuam adhortamur. Sicut latius cum ea dil. filius Hieronimus Rorarius nuncius noster nostris verbis aget cui illa fidem habebit. Datum Romae etc. die ix. Februarii mdxxvi. Anno tertio.

166.

Eboracensi.

Dilecte fili noster. Et legimus circumspectionis tuae litteras et dil. fil. Gregorium Casalem, oratorem regis istius invictissimi audivimus omnia tua consilia atque iudicia nobis referentem, quae etsi plena prudentiae visa sunt, ferreque secum coniunctam et commodi publici et

nostrae ac huius S.tae Sedis dignitatis rationem; tamen et nos quod egimus iustis et necessariis de causis agere fuimus adducti, nec intelligimus quid haec nostra actio aut aliis opportunitatis aut nobis damni amplius attulerit. Atque utinam in tantis rerum varietatibus quos dies quotidie vel potius hora fert, essemus minus longo locorum spatio disiuncti, non enim dubitaremus quin consilia saepe nostra approbares et tuo quoque consilio ac opera adiuvares. Sed nos fere consilium pro rerum praesente statu capere conantes res ipsae desierunt, quae repentinis casibus dissipatae atque transmotae nostram quoque opinionem variarint et moverint necesse est. In finem tamen eundem tendimus ut si qua nobis concedat Dominus possimus in tantis difficultatibus temporum regere navim eam quae nostrae curae et custodiae est credita, quam utinam in portum incolumem deducere possimus. Etsi haec res iam voti potius quam humani consilii videtur esse.[1]) Sed de his omnibus cum eodem Gregorio equite Casali copiosius sumus locuti, cui ad cir.nem tuam scribenti fidem illa habebit. Datum Romae die x. Februarii mdxxvi. Anno tertio.

Caesari. — Pro Francischino de Caymis, de quo supra in epist. ad Ant. de Leva. — Romae xviii. Februarii mdxxvi. Anno tertio.

Sequitur breve absque titulo, in quo promittit pontifex se concessurum petita in litteris cuiusdam scriptis sub nomine Georgii Serventis. Romae xx. Februarii, ut supra.

Melchiori Lango. — Ut redeat a legatione quam obierat apud regem Angliae. — xxv. Februarii mdxxvi. Anno tertio.

Episcopo Rofensi, archiepiscopo Cantuariensi et aliis in Anglia nobilibus, pro Uberto de Gambaris nuncio ad Henricum regem noviter misso. Die xxvi. Februarii mdxxvi.

167.

Regi Angliae.

Carissime. Coniunctio nostra quae magnis officiis inter nos ad summam benivolentiam mutuam iampridem perducta est, nos cogit ut

[1]) Hic quaedam addenda fortasse erant quae notata in parte inferiori folii, cum ipsa parte perierunt.

in eis hominibus eligendis qui apud ser.tem tuam nostra et Sanctae Sedis apostolicae negotia tractaturi sint, maximam et fidei et virtutis rationem habeamus. Cum itaque revocato ad nos dil. fil. Melchiore Lango qui apud te nuncium nostrum fideliter apteque gessit, missuri essemus virum probum longa nobis familiaritate probatum et cognitum qui easdem vices obtineret, detulimus hanc nobis imprimis charam opportunamque provinciam dil. fi. Uberto de Gambaris notario nostro homini et nobilitate generis et praestantia ingenii sane quam eximio, fido autem nobis et accepto maxime, qui ad te nuncius noster veniens omnia nostra consilia perferret, quaeque ad commune bonum reipublicae christianae et huius S.tae Sedis pertinere nobis videantur large tecum ille communicaret. Sed etsi scimus quem nos cum his mandatis ad ser.tem tuam mittimus eum se tibi etiam sine hortatu nostro pro tua singulari et perpetua erga nos benivolentia gratum acceptumque fore; hortamur tamen consuetudinis causa eandem ser.tem tuam in Domino ut eum benigne accipere libenterque audire velis atque ei summam omnium rerum fidem adhibere. Quod faciet ser.tas tua nobis maxime optatum et sua pristina humanitate dignissimum. Datum etc.

168.

Eboracensi.

Dilecte fili noster. Nunquam latuit circumspectionem tuam quantum nos fidei quantum spei semper posuerimus in tua summa virtute atque prudentia in his rebus tractandis et moderandis quae ad summam christianae reipublicae pertinent, quae si alias unquam, nunc magnis periculis nobis videtur exposita, vel immanium Turcarum vel immaniorum etiam hereticorum tumultibus ac insidiis ubique insurgentibus. Quibus aliisque in procellis, ne sancta navis Petri periclitari habeat magnopere nobis et tuae quoque cir.ni pro magno honore quem geris providendum est, ut in homine quoque eligendo qui apud te et invictissimum istum regem nostra et Sedis apostolicae negotia tractet maximam et fidei et virtutis considerationem habere nos debeamus; *cum itaque* etc. *(coetera ut in superiori littera mutatis titulis)*. Romae apud S.tum Petrum etc. die xxvi. Februarii mdxxvi. Anno tertio,

169.

Regi Christianissimo.

Carissime. Tuam serenitatem in suum regnum incolumem rediisse ac indignissima adversi casus oppressione liberatam et sibi restitutam et suis fuisse, agimus Deo immortali maximas gratias, tibique fili car.^me gratulamur, hoc etiam laetiore animo quod christianitatem velut orbam tanto lumine, quae cum te careret videbatur et nobis et aliis tanquam tenebris esse obducta, lucem suam pristinam recuperasse iam cernimus ac maiorem in modum gaudemus. Ac vere fili car.^me nunquam nec curae nec cogitationes nostrae aliud quicquam spectaverunt quam ut tu liber esses; in quo etsi noster eximius erga te amor nos potissimum stimulabat, tamen vel communis humanitatis causa per quam acerbi tui casus misericordia eramus affecti, vel praestantissimae tuae virtutis intuitu, cui sors iniqua adversos eventus obiecerat, omnis nostra mens in salute et libertate tua assidue versata est. Cui nostrae et curae et actioni et quae diximus saepissime et quae ad ser.^mum Caesarem scripsimus possunt esse verissimo testimonio; etsi suspicari possumus fuisse qui nos hoc erga te animo quo sumus esse nollent, qui omnia in peiorem partem interpretarentur; sed et dies et res ipsa tibi indicabit, salutem et dignitatem tuam nulli hominum quam nobis chariorem esse nec fuisse; optamus quidem tibi prospera omnia, ac virtutem tuam quibus digna est honoribus et successibus perpetuo frui ita cupimus, ut experiendae nostrae voluntatis necessitatem non habeas. Sed si quid acciderit, in quo vel amoris vel animi erga te nostri periculum facere te oporteat, invenies nec studiosiorem quenquam quam nos nec cupidiorem tibi in omni genere officii atque obsequii satisfaciendi. Ad hoc nos officium munusque exequendum miseramus octo abhinc diebus dil. fi. Paulum Victorium capitaneum triremium nostrarum, quo propter morbum in ipso itinere impedito, mittimus nunc dil. item filium Capinum de Capis equitem, hominem nobis et fide et prudentia imprimis acceptum, cui latius tecum consilia nostra communicanti ser.^tas tua fidem summam habebit. Datum Romae in die i. Martii mdxxvi. Anno tertio.

Matri regis christianissimi. — Gratulatio de liberatione filii. — Eodem die et anno.

170.

Reginae Franciae.

Carissima. Gratissimo nuncio accepimus charissimo in Christo filio nostro Francisco regi Francorum christianissimo tuam serenitatem felici matrimonio fuisse coniunctam; cum enim regis ipsius praestantissimam virtutem cognitam habeamus, de te vero tuaque prudentia et in Deum omnipotentem pietate ac religione eam opinionem conceptam in animo habeamus, quam omnium communis relatio et tuae praeteritae actiones nobis insinuarunt, speramus Deo freti coniunctionem hanc vestram universae christianae reipublicae commodam et salutarem fore, liberosque ex vobis progenitum iri qui paternis maternisque praediti virtutibus memorabili aliquo beneficio praesens seculum afficiant; quod ut vobis fauste prospereque eveniat, pro nostra summa ac singulari erga utrumque vestrum benivolentia Deum eundem omnipotentem supplices deprecamur. Tibique significamus charissima filia, si quid in nobis est et in hac Sancta Sede quod tibi et coniugi tuo commodo honori et satisfactioni esse possit, nos libentissimo animo quantum Dominus concesserit, vestris votis omnibus esse obsecuturos. Ad hoc nos officium munusque exequendum miseramus octo abhinc diebus dil. filium Paulum Victorium capitaneum nostrarum triremium, quo propter morbum in ipso itinere impedito, mittimus nunc dil. filium Capinum de Capis equitem, hominem nobis et fide et prudentia inprimis acceptum, cui latius tecum loquenti ser.tas tua fidem summam habebit. Datum Romae etc. die i. Martii mdxxvi. Anno tertio.

171.

Cancellario Franciae.

Dilectus frater. Mittimus dil. fil. Capinum de Capis Equitem hominem prudentem et fidum ad istum christianissimum regem et nobilem mulierem eius matrem, multa de periculis christianitatis Ungariaeque praesertim quae a Turcis imminent aliisque de rebus ad eandem publicam salutem pertinentibus cum ser.te ipsius nostris verbis

communicaturum, in quibus omnibus mandavimus, ut fraternitatis tuae opera auctoritate consilio plurimum uteretur. Non enim dubitamus quin tua in rebus publicis et nostris virtus ac benivolentia ea futura sit quae semper fuit. Hortamur igitur eandem tuam frat.[tem] in Domino ut eum benigne accipere, gratiamque illi tuam et opem praestare ac fidem summam habere in omnibus velis, quo is facilius et melius nostra sibi commissa mandata exequatur. Quod facies nobis summopere optatum et gratum. Datum Romae etc. ut supra.

Federico Admirato Castellae. Quae circa reformationem morum sibi proposuerat scribit pontifex se iam caepisse exequi, delecto etiam ad id praelatorum consilio; sed temporum acerbitate coactum fuisse negotium huiusmodi non tam omittere quam differre. Romae die ii. Martii mdxxvi. Anno tertio.

172.

Ducibus Bavariae.

Dilecti filii. Et legimus libente animo nobilitatum vestrarum litteras plenas prudentiae, humanitatis, officii; et dil. filium Accursium Grineum secretarium vestrum hominem aptum et prudentem attente audivimus ea narrantem quae de vobis maxime auribus nostris grata accidebant. Nam et constantiam pro fidei catholice propugnatione vestram et eximiam in rebus gerendis virtutem et optimum animum erga nos Sanctamque Sedem apostolicam audire semper nobis est iucundissimum. Atque haec omnia eo gratiora, quo his afflictis perturbatisque temporibus virtus ista et pietas est inventu rarior. Sed etsi vos nobis de nostra in vos paterna voluntate agitis in litteris vestris gratias, nos tamen ita iudicamus nihil esse tantum quod non vobis et excellenti virtuti vestrae et a nobis ipsis et a quocunque verae dignitatis et nobilitatis studioso debeatur. Quamombrem illa quae vestris verbis petiit a nobis idem Accursius secretarius vester habent nostram voluntatem paratam, quae nihil optat vehementius quam nob.[bus] vestris et dignitati vestrae nobilissimae familiae omni in re quae cum Deo sit satisfacere. Sed ut ordine et rite ista omnia fiant statuimus antequam ad effectum rei veniamus, aliqua praemittere quae sunt ponti-

ficali curae et diligentiae necessaria. In quo celeriter ipsi cognoscetis quam sit nobis cordi omnis vester honos et omne incrementum vestrae auctoritatis, quae si ampla et magna esset tantum quantum nos vellemus, profecto et cum christiano nomine et cum salute Germanicae totius nationis melius ageretur. De his mandavimus supradicto Accursio ut uberius ad vos scriberet. Nos quae partes nostrae erunt et agnoscendae et remunerandae vestrae eximiae virtutis quantum nobis Dominus concesserit, nihil praetermissuri sumus neque in officio, neque in benevolentia, sicut propediem vobis constabit. Datum Romae die viii. Martii mdxxvi. Anno tertio.

Praeposito et capitulo Chremensi. Pro Andrea Conero Bambergensi. Die ix. Martii mdxxvi.

Generali ordinis Minorum. Interdicit illi pontifex ad unionem pristinam redigere congregationem Tusciae ordinis fratrum Minorum, iamdiu a reliquo corpore iustis de caussis per Sedem ap.cam separatam. Eodem die et anno ut supra.

Archiduci (Austriae). — Pro Andrea Conero controversiam habente cum praeposito et capitulo ecclesiae Chremensis ord.is S. Augustini, super quadam pensione pro concordia parrochialis ecclesiae in Brating Saltzeburgensis diocesis. Die et anno ut supra.

Cardinali de Salviatis. — Pro Franciscino de Caymis quoad baliatum S.ti Stephani et prioratum S.tae Christinae, circa quae Caesar quamdam minus iustam deliberationem coeperat. — x. Martii mdxxvi.

Mercurio de Gattinaria (magno cancellario Caesaris) — de eadem re. — Eodem die et anno.

173.

Caesari.

Carissime. Laetissimum nuncium pacis et concordiae inter ser.tem tuam et charissimum item in Christo filium nostrum Franciscum regem christianissimum factae, quem ex litteris multorum et fama ipsa ac-

ceperamus, litterae etiam tuae uberius nobis significarunt, quas habuimus supra quam dici possit gratissimas. Etenim si pacis vel nomine ipso nihil esse potest omni tempore dulcius, et si pax a nobis pro pastorali officio nostro summo studio semper desiderata, procurata, efflagitata extitit. Quid his temporibus christianae reipublicae miseris et calamitosis, in tanto hostium Turcarum imperio tanto ab illis periculo, in tantis domesticis et intestinis christianorum dissensionibus gaudii et gratulationis afferre nobis tam opportuna pax debet? Quae quod serenitatis tuae moderatione et sapientia est comparata; quod cum rebus tuis secundis fidere et niti ad ulteriora posses, malueris tamen, interveniente concordia temperantiam animi tui declarare, quam continuandis bellis spem infinitam persequi, hoc est fili car.^me^ quod ad publicam et omnium communem salutem tranquillitatemque relatum, multo maiorem fructum, omnium prudentum iudicio, quam quaelibet armata victoria potest afferre, tibique profecto allaturum est. Confidimus enim hanc ipsam pacem hôc duorum potentissimorum praestantissimorumque regum amicitiae affinitatis vinculum non solum pacaturum christianas res, sed gravem etiam terrorem iis qui nunc terrent nos Turcis et infidelibus immissurum esse, ut qui nunc nostra appetere conantur, in tuendis suis potius in posterum futuri sint diligentes. Quod ut aetate nostra videre nobis liceat, cura vestrum utriusque qui ita coniuncti estis virtutis et in Deum pietatis gloria, Deum ipsum omnipotentem supplices precamur. Cui quidem nos de hoc felici nuncio gratias agere solemnitate publica instituimus; qui quamquam multa vel omnia potius ipsi Deo debeamus, nullo tamen beneficio nos magis affectos arbitramur, quam si viderimus sanctam et optatam pacem ita complexam christianum nomen ut pravis haeresibus e medio sublatis periculisque compressis, ubique vera Dei fides vera religio cum pietate celebretur. Illud quoque gratissimum nobis fuit, quod cognovimus ser.^tem^ tuam nomen nostrum imprimis ad pacem adscripsisse, in quo et dignitatis nostrae abs te habitam rationem agnoscimus, agimusque gratias, et de voluntate studioque in nobis pacis rectissimum te iudicium asserimus fecisse, quod ut perpetuum bonum et tibi et nobis et christianae reipublicae sit, ab eodem Deo omni humilitate petimus. De his et aliis scribimus ad dil. fr. legatum . . . . nuncium . . . . ut ii ser.^ti^ tuae nostram

laetitiam expectationemque rerum meliorum fausto pacis augurio nostris verbis communicent. Quibus ser.tas tua fidem habebit. Datum Romae die x. Martii mdxxvi. Anno tertio.

Regi Portugalliae. — Commendatitia pro Francisco Barbosa. — xix. Martii mdxxvi.

174.

Archiduci (Austriae).

Dilecte fili. Quod nos de ea cura quam pro christianae reipublicae statu et regni Ungariae salute suscipimus nobilitas tua commendat, agnoscimus eius bonitatem et erga Deum reverentiam, magnamque spem in tua virtute ponimus tantae impendentis cladis vel avertendae vel in longius tempus differendae; praecipue enim arbitramur ser.mum fratrem tuum tua auctoritate motum iri ut cogitationem hanc dignam sui nominis magnitudine suscipiat. Nos quidem quoad poterimus neque ope desistemus neque diligentia ut illis regnis populisque laborantibus subveniatur. Quod et assidue facimus. Non enim existimamus ignota tibi esse opera et consilia nostra. Quod vero nos hortaris ut ad dietam Spirensem quae proxime indicta est, velimus legatum ex latere nostro unum ex ven.um fratrum nostrorum collegio mittere; omnino magni momenti apud nos est hortatio tua, sed multa rursus occurrebant quae id nobis consilium dissuaderent; quae eo etiam magis nos haesitare coegerunt, quod re delata ad ven.les fratres nostros, sensimus omnes dubia esse sententia quid nobis potissimum faciendum esse arbitrarentur. Itaque consilii adhuc et deliberationis incerti, mandavimus scribi dil. fr. Hieronymo Rorario nuncio nostro cogitationes nostras ut is tecum communicaret, cui nob.tas tua fidem habebit. Illud quidem quod et ad officium nostrum pertinet et ad gloriam tuam stabilitatemque tuae perpetuae apud summum Deum et homines dignitatis, non desistimus nob.tem tuam hortari monere rogare, ut sive nos miserimus legatum sive non, fidem Christi Dei et statum ecclesiastici honoris habeat sibi quam commendatum, quorum sine altera nulla salus, sine altero vero omnis in praecipiti et in obscuro est di-

gnitas. Illa enim reverentia quae principatibus habetur, cum etiam addito Dei nomine debeat esse firmior, si fuerit sublata atque eversa ne illa quidem in tuto fuerit, quae sola mundana fulget potestate. Sed de his et alias satis a nobis dictum est, et tumet tecum accuratius et diligentius potes colloqui. Nos de rebus Croatie curam gerimus quam possumus maximam; itaque ad Olisum oppidum periculis liberandum, hominem certum, aliquotque aureorum milia misimus, quae speramus idonea fore subsidio, cum nec paupertas nostra nec rerum plurimarum difficultas nos a pietatis officio deterreat. In qua eadem te esse et sententia et voluntate nob.ti tuae plurimum et suademus et ex animo gratulamur. Datum Romae etc. die xxii. Martii mdxxvi. Anno tertio.

Imperatrici. — Gratulatio matrimonii. — Romae viii. Aprilis mdxxvi.

175.

Episcopo Oxomensi confessori Caesaris.

Venerabilis frater. Grave nobis fuit intelligere acerbum casum qui in episcopi persona accidit, quem nec sacerdotii dignitas nec ecclesiasticorum sacramentorum vis potuit a laicorum manibus tantisper liberare, dum is per iudices ecclesiasticos qui iam dati ad inquirendum in illum fuerant damnatus, et veterum scelerum suorum et novi facinoris debitas penas solveret. Sed gravius auditu etiam fuit id factum et perpetratum fuisse ipso car.mo in Christo filio nostro iubente et imperante Caesare, cuius catholicum et rectissimum animum subitae motus iracundiae, quamquam illa magnas causas haberet, ad id imperandum impellere non debuit, a quo si abstinuisset, et ipse integritatem suam nulla culpa maculasset, et illum nihilominus, penis debitis perspexisset affici. Sed ut aliquando mala permittit Deus ut ex iis bona eliciantur, sic optimi principis mentem peccatum maiore erga eundem Deum illustravit reverentia. Quod enim doluit, quod poenitentia affectus est, quod abstinuit ecclesiasticis sacramentis, et a nobis Christi vices gerentibus veniam atque absolutionem tanti debiti supplex petiit, haec sunt quae non modo impetrant, verum etiam extorquent summi Dei

misericordiam, cuius nos imitatores et dispensatores esse debemus. Ac frat.tem quidem tuam valde in Domino commendamus, quod re cognita indicaverit suo regi gravitatem criminis commissi, eumque ad penitentiam facti et ad veniam a Deo humiliter exposcendam adduxerit; functus enim es officio pii prudentisque praelati, tuaque haec cura ac diligentia in posterum ut speramus profutura est ut neque amplius Caesar in tale erratum incidat, et apud cunctos sit dignitas sacerdotalis venerabilior. Damus igitur in eis litteris, quas ad ipsum Caesarem rescribimus, eius(dem) absolvendi et communioni fidelium restituendi fraternitati tuae potestatem. Verum cum et de salute animae tanti (ac) tam catholici principis et de laude etiam ipsius ac iusti et recti opinione apud omnes homines agatur, maioris ut quidem sentimus delicti in eisdem litteris illum arguimus, cupimusque eum poenitere, quod, ipso vel sinente vel iubente, Sanctae Sedis apostolicae auctoritas et ecclesiastica libertas in istis Castellae et Legionis regnis iam fere pessumdata est; neque hoc solum, quamquam quid hoc uno potest esse maius? sed etiam quod eis modis et actis violatur et contumelia afficitur ut nihil crudelius neque insolentius possit cogitari. Earum igitur litterarum exemplum ad frat.tem tuam iussimus transmitti, ut ipsa quoque, causa et re perspecta, intelligat non levioribus censurarum excommunicationis et anathematis laqueis ex eiusmodi rebus implicatum esse Caesarem, quam ex hoc recente delicto sit, quo per mandatum ipsius episcopi persona mortis supplicio est affecta. In qua quidem re frat.ti tuae in virtute S.tae obedientiae iniungimus et eius conscientiam oneramus, ut agat partes suas boni patris spiritualis et fidelissimi sectatoris apud Caesarem. Scis ipse profecto quid consilia antiqua et orthodoxa, quid auctoritas sanctorum Patrum, quid Romanorum pontificum constitutiones statuant atque decernant; quantis sit honoribus, quot ornamentis, quibus eminentiis haec Sancta Sedes et libertas ecclesiastica communita, quam qui impugnare et infringere conantur omnibus sunt telis spiritualibus et anathematum gladiis appetiti atque confixi. Quod etiam singulis annis in bulla in die Coenae Domini a Romanis pontificibus legi consueta renovatur. In haec autem mala incedit profecto Caesar, non de industria, neque volens; hoc enim certo scimus; sed pravis aliquorum suasionibus deceptus; cuius te ab oculis

erroris nebulam eripere oportet et ostendere non esse ullo modo sanctae apostolicae Sedis dignitatem nec ecclesiasticam libertatem violandam: quod si quandoque rerum quae hic gerantur aliqua querela est decere catholicum principem cum mansuetudine potius et lenitate causam suam proponere, et quae non recte permissa videantur, ut corrigantur petere, prout alias factum est. Etsi nos quidem summam modestiam in omnibus adhibuimus, ut nemo iure possit conqueri, neque persona nostra merita est, ut nobis potissimum in hac Sancta Sede sedentibus, eas proponeret et publicaret Caesar pragmaticas constitutiones, per quas videretur neque honoris nostri neque pontificiae dignitatis habere rationem. Sed haec ut diximus non illius praecipue culpa acciderunt. Quae si fraternitatis tuae opera ac virtute sublata emendataque fuerint, consuletur et Caesaris ipsius saluti et gloriae et laudi ac religioni tuae. Nobis quidem certe nihil abs te gratius neque expectatius tribui potest. Sicut de hac re et aliis tecum dil. fr. noster lo. legatus etc. nostris verbis aget cui frat.tas tua fidem habebit. Datum Romae etc. die xv. Aprilis mdxxvi. Anno tertio.

176.

Caesari.

Carissime etc. Non sine gravi molestia accepimus, non tam mortem quidem, nec genus mortis quondam Antonii episcopi Zamorrensis, quem nos hominem parum dignum illo sacerdotii honore, quem gerebat,[1]) reputabamus, sed quod is in sacro episcopalis gradus honore constitutus, apostolorum et ipse licet non idoneus successor, sacrum chrisma, sacros characteres praeseferens, ser.mi Caesaris et christianissimi imperatoris iussu fuerit interfectus. Hoc in nobis non solum molestiam, sed animi etiam dolorem non mediocrem concitat; atque eo magis quod, cum asservaretur in custodia, cum iudicibus ab hac Sancta Sede datis in ipsum reum multorum criminum inquireretur, dedisset ille iure praevio, non modo veterum scelerum suorum, verum

[1]) Ommissa sunt verba: „omni autem supplicio dignissimum.“

etiam novi facinoris debitas poenas, si ser.tas tua differre paulisper motum animi sui, et subitam iracundiam cohercere potuisset. Ergo ob hoc res maxime molesta est nobis, quanquam huic molestiae illa consolatio est adiuncta, quod tu cum de recenti illius scelere certior factus esses, quo ille praefectum custodiae suae arrepto pugione trucidaverat, suasque[1]) manus sanguine innoxio cruentaverat, ut custode ablato ei fugae pateret exitus, aliosque secum ad eiusdem facinoris consensionem corruperat, ipso primo nuncio commotus cum Alcaldum mitteres ad inquirendum, et si ea vera comperisset etiam ad puniendum et vindicandum, non te nephas ullum committere existimasti; quodque postea, intellecta facinoris gravitate, et quos te in laqueos censurarum implicuisses, quodque ab omni communione fidelium reiectus esses, ad dolorem animi et poenitentiam conversus, rebus divinis, et sanctissimis mysteriis abstinuisti; atque ut pium et catholicum principem decebat, ad nos orandum et deprecandum misisti, ut tibi in Dei et Christi, cuius vices gerimus, auctoritate veniam et communionem gratiae restitueremus. Quae sunt omnia nobis et per litteras tuas, et referente dilecto filio nobili viro Aloysio Duce Suessae tuae ser.tis oratore, piis ac religiosis precibus exposita. Ex quibus renovata est ante oculos mentis nostrae memorabilis illa pietas atque religio cla. me. Theodosii imperatoris praedecessoris tui, cuius tu nomini et potestati par, hac etiam religionis virtute non inferior esse voluisti; quae quidem vera est christiani principis magnitudo, sicut in illo etiam fuit, agnoscere et venerari maiorem illum principem, qui in coelo et in terra solus est altissimus. His nos perpensis et consideratis, faciles et parati ad veniam sumus, nec cui Dei omnipotentis misericordiam promptam intellegimus, ei nostram indulgentiam denegandam arbitramur. Sed est scrupulus quidam in animo nostro maior, de quo opportunum tempus videtur admonendi tui, quando te ista religione et recti observantia praeditum, facile possumus credere non animadvertisse quid ageres, et in graviore etiam culpa admittenda, dolosis potius suasionibus aliorum, quam tuae optimae et rectissimae naturae obtemperasse. Non enim fili carissime minus erratum est, neque levior apud Deum culpa, tollere

[1]) Ommiss. *impias.*

tam et libertatem sacerdotum quam sacerdotem unum occidere. Siquidem in hoc uno homine in illo dignitas sacerdotalis perimitur. Nam si spectandae auctoritates sunt, et conciliorum antiquissimorum decretis et sanctorum patrum praeceptis, et Romanorum pontificum statutis, consensione etiam et testimonio imperatorum et principum eorum qui recte et ordine imperia gessisse existimati sunt, non magis vita sacerdotum, quam sacerdotii auctoritas munita semper fuit. Si vero poenae attendendae sunt, non levioribus laqueis censurarum irretiuntur, neque minus a communione Christi et christiani nominis reiecti sunt qui violare audent ecclesiasticam libertatem, quam qui manus violentas in episcopum iniicere; quae tamen te rege iustissimo et imprimis catholico, vel sinente, vel iubente in tuis Castelle et aliis regnis novissime commissa sunt. Allatae sunt enim ad nos constitutiones quaedam seu pragmaticae de beneficiis ecclesiasticis et pensionibus super fructibus beneficiorum assignandis, quarum rerum dispensatio et ordinatio Romanorum pontificum propria et libera semper fuit, huius Sanctae Sedis auctoritatem et potestatem ex opposito impugnantes, quae nobis molestiae admirationique fuere. Valde enim dissentire visae sunt a reliqua tua vita, et illa proba mente, quam vigere in te Deo et veritati amicam multis iamdudum experimentis didicimus. In qua re mittimus quod, nobis in hoc Sancta Sede sedentibus, te summam erga nos benivolentiam, summum studium nostrae dignitatis prae te ferente hoc factum est; quod ad nostram infringendam dignitatem plurimum valuit, cum praesertim nos tanta modestia usi fuerimus, ut neque reservationes ullas in regnis istis fecerimus, neque gratias expectativas extra nationem cuiquam dederimus; quod utique fecimus non ad diminutionem potestatis apostolicae, qua dispensante, patrimonium Christi, omnibus dignis passim expositum est, sed in testimonium temperantiae nostrae. Sed mittimus personam nostram; leve sit quod contra nos et honorem nostrum actum est; sacerdotii quidem dignitatem, et ecclesiasticam libertatem quomodo conservat, qui in summo sacerdote, et in apostolica sede utramque illarum infringere conatur? Quo pacto iustitiam retinet et aequitatem, qui in alienum ius, diuturna et perpetua consuetudine observatum sic violenter et ipso facto irrumpit? Nam quae ab huiusmodi constitutionum seu pragmaticarum malo semine exorta sunt aspera,

atrocia, insolita, omnium animis profecto novum horrorem quendam et stuporem obtulerunt. Quod enim qui in Hispaniam res in sacro nostro Rotae auditorio iudicatas referunt; qui aut citare, aut monere, aut edicta ac mandata apostolica proferre in ecclesiasticis controversiis apud ecclesiasticas personas a summo pastore ecclesiae decreta conantur, aut minis vique deterreantur, quo minus id faciant; aut si iam fecerint a tuis officialibus carcere et vinculis et poenis afficiantur, ubi unquam gentium vel fando auditum est? Quin illud etiam atrocius, de quo inumerabiles querelae ad nos quotidie deferuntur, quod inveniantur notarii publici, qui nomine ser.tis tuae, hic in alma urbe nostra, in ipso auditorio rotae, dum sedent iudices, dum iudicia celebrantur, audeant inhibere personis ecclesiasticis, ecclesiasticas causas prosequentibus, sub gravissimis poenis, in eorum et affinium etiam ac consanguineorum supplicia exequendis, ut a causis ipsis litibusque desistant. Quod facinus superbum et insolens, plenum omnium admiratione et querela, qui nostram nimiam lenitatem reprehendere soliti sunt, et acriorem vim severitatis expostulant, commoveret profecto nos quoque, nisi certi essemus, ser.tis tuae mentem et sententiam non huiuscemodi esse, ut Deo et iustitiae et nobis et omni simul divino humaneque iure hanc tantam iniuriam esse factam velit; si enim animadvertisses, quantum in hac re mali iniustique sit, aut si excommunicationem et anathema, quod talia patrantibus etiam per bullam „in die coenae Domini“ a Romanis pontificibus quotannis legi solitam propositum est, intellexisses, aut non commisisses a principio talia, aut emendatione facta, ad tuam solitam pietatem et religionem reverterere. Cuius te nunc admissi, pro nostra paterna in te charitate esse admonitum volumus, et tibi significare, te non minoribus censuris et laqueis anathematis ex hac re, quam ex imperato in episcopi personam homicidio implicatum esse; a quo profecto onere et vinculo utroque te absolvere et liberare cupimus, tantique[1]) principis animam et nomen in Dei omnipotentis gratiam, et in praeclaram opinionem cunctarum gentium restituere; si tamen de hoc etiam altero te poenitere professus fueris. Ac de illo quidem de quo petis et supplicas quantum absolutio ser.ti tuae fili carissime apud

[1]) Ommissa sunt verba: „et tam catholici piique.“

Deum profutura sit, nisi haec alia culpa fuerit emendata et tua erit et confessoris tui cogitatio. Nos tamen, supplicationibus tuis benigne annuentes, ven.li fr.tri Grassiae episcopo Oxomensi confessori tuo, postquam confessus illi et Deo hoc tuum mandati homicidii crimen fueris, veniamque humiliter de eo petieris, teque in perpetuum a similibus facinoribus abstinendi sinceram et rectam promissionem dederis, te[1]) absolvendi, ac ab omni reatus et criminis macula liberandi, Deique gratiae et communioni ecclesiae restituendi, salutari tibi poenitentia publica sive non publica ipsius arbitrio moderanda, plenam auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem concedimus simul et potestatem. Volumus autem quod ser.tas tua iniunctam tibi poenitentiam adimplere omnino teneatur. Datum Romae die xv. Aprilis mdxxvi. Anno tertio.

177.

Caesari.

Carissime in Christo fili noster salutem etc. Redeunti ad ser.tem tuam dilecto filio commendatori Herrerae viro probo et in gerendis rebus prudenti, voluimus has ad te dare litteras, quibus et illius virtuti testimonium praeberemus; gessit enim se in omni negocio strenue ac prudenter, pleneque nobis satisfecit, et de nostra in ser.tem tuam perpetua benivolentia aliquid significaremus. Quae certe eiusmodi est, ut nostra semper consilia et monita et veram et stabilem gloriam tuae ser.tis spectaverint, quam nos semper optavimus, sumusque optaturi. Qua de re largius scriberemus nisi et testata apud te esset multis iam indiciis nostra optima voluntas, et ipso Herrera perferente ex illius sermonibus animum nostrum esses plene cogniturus amantissimum pacis, cupidum tuae dignitatis, universae christianitatis commodo et saluti invigilantem. In quibus rebus omnibus ut ser.tas tua nobis pro gradus

[1]) Ommissa sunt verba sequentia quae in minuta sequebantur, et correcta vel mutata ea omnia quae ad verba omissa referebantur: „et reliquos omnes tuos, qui aut consilio, aut ministerio, aut voluntate, aut opera, aut quomodocumque huius culpae et criminis participes facti sunt, aut etiam per hanc occasionem in alias ecclesiasticas personas manus iniecerunt, iniicive iusserunt, simili modo confitentes peccatum suum et poenitentes.“

sui debito adiumento esse velit, et hortabimur eam semper, et sperare ac confidere non desistemus. Datum Romae etc. die xvii. Maii mdxxvi. Anno tertio.

Altobello episcopo Polensi. — Constituit eum nuntium apud Venetos, revocato Thoma electo Feltrensi. Die xxii. Mai mdxxvi. Anno tertio.

Francisco Guicciardino. — Constituit eum pontifex locumtenentem suum in universo ecclesiae statu, mandans quoque Friderico de Gonzaga marchioni Mantuae S. R. E. capitaneo generali, Guido de Rangonibus gubernatori exercituum pontificis et Joanni de Medicis ecclesiastici peditatus capitaneo generali etc. ut ei obediant etc. Die vi. Junii mdxxvi. Anno tertio.

178.

Caesari.

Carissime. Aliqua sunt quae nobis praeter naturam nostram praeterque voluntatem cum summa quadam necessitate incumbant; quae si praetermittamus nec boni pontificis officio, nec iustitiae faventis et patrocinantis principis debito satisfacere posse videamur. Coacti sumus inire ea consilia per quae libertati Italiae et periclitanti Sanctae Sedi apostolicae praesidio simus, in quibus tua diu iam a nobis expectata et ab omnibus sperata animi virtus et moderatio, si eam medicinam adhibere voluerit, quae et facilitatem a parte tua habet, et ut nos quidem recte iudicamus, etiam gloriam, et utilitatem, magnis erit terroribus et periculis christianitas liberata. De quibus omnibus scribimus largiter ad dil. fi. lo. card.lem etc. Baldassarem etc. *(sic)* ut cum ser.te tua conferat ac communicet. Obtestamur per Dominum Jesum patrem omnis misericordiae ser.tem tuam ut animum et curam adhibere ad dictum legatum auscultandum et providere publicae saluti pacem aequis conditionibus amplectendo et continendis suorum cupiditatibus ac iniuriis intra legum et aequitatis fines velit, ut reliquis de vita et de fortunis suis vivere securis liceat. Quod erit non famae solum et sapientiae tuae melius multo accomodatum, sed tranquillitati etiam tam

rerum tuarum quam christianitatis totius magis consentaneum. Datum Romae etc. apud etc. Die xxv. Junii mdxxvi. Anno tertio.

Foris. Caesari — causae captorum armorum.

Stephano et Jo. Baptistae de Comitibus domicellis Romanis ut credant et obediant Francino Michaeli commissario et Hieronymo Gottifredo gubernatori provinciae Campaniae. Romae xi. Julii mdxxvi.

Caesari Filetino Caietano ut credat et obediat Francino Michaeli commissario ut supra. Datum ut supra.

179.

Dilectis filiis hominibus et communitati terrae nostrae Velitrensis. — Dilecti filii salutem etc. Commissimus dilecto filio Camillo Caietano domicello nostro, ut pro salute et cura vestra rerumque vestrarum istuc se conferret, cuius adventum propter eius virtutem et fidem vobis utilem et commodum futurum non dubitamus. Quare mandamus vobis et unicuique vestrum, ut in illo honorifice excipiendo, ac ei assistendo, parendoque, fidemque in omnibus habendo vestram strenuitatem et fidelitatem quam expectamus prompte exhibeatis. Datum Romae etc. die iv. Julii mdxxvi. Anno tertio.

Regi christianissimo. — Responsio ad eius litteras pro Maximiliano Sfortia in cardinalem creando xi. Julii mdxxvi.

Eidem. — Responsio ad eius litteras pro Magno Cancellario Franciae (archiepiscopo Tenonense) in cardinalem creando eodem die et anno.

180.

Duci Ferrariae.

Dilecte fili. Audivimus diligenter et libenti animo dil. fi. Matheum Casellum nob.tis tuae consiliarium ea nobis referentem quae a te in mandatis habebat, cui cum large communicaverimus mentem animumque nostrum atque is scripturus ad te copiose sit, et ex sermonibus cum

illo nostris et ex eius litteris nostram benivolam et ad commoda tua cum honore nostro coniungenda propensam voluntatem intelliges. Romae xii. Julii mdxxvi. Anno tertio.

Regi christianissimo. — De Jo. Staphileo ad ecclesiam Dolensem promovendo, loco Francisci de Lavall. xiv. Julii mdxxvi. Anno tertio.

181.

Helvetiis.

Dilecti filii. Existimamus devotionibus vestris cognitas esse causas quae nos, multum reluctantes et ab omni armorum consilio longe abhorrentes, ad ipsa tamen belli consilia quae fugiebamus necessaria adegerunt. Nam et a nostris et a car.mi in Christo filii nostri Francisci regis Francorum christianissimi agentibus et nunciis, vos bene instructos fuisse non dubitamus; quod etiam certius nobis est quod ipso effectu cognoscimus, vobis non solum auditas sed etiam probatas fuisse causas necessitatis nostrae. Ea enim animorum promptitudine eo consensu voluntatum nobis et sedi apostolicae ac saluti et libertati Italiae vestram opem auxiliumque obtulistis, ut in vobis pristinam vestram virtutem et cum eadem Sancta Sede coniunctionem recognoscere fuerit licitum. Nunc haec ad vos scribimus tum ut agamus vobis pro studio vestro erga bonum Italiae gratias, tum ut hortemur ut quod iustissime et prudentissime a vobis dileberatum est, in partem huius et oneris et honoris venire quam primum studeatis. Quod studiose utrumque facimus, nam et virtus vestra gratiam a nobis merita est, et eadem conficiendis bene ceptis rebus admodum est expectata. Quod si velimus bellum quod pro nostra et S.tae Sedis apostolicae securitate, pro liberatione et salute Italiae, pro depellenda iniuria quantum in nobis erit quae supradicto regi christianissimo federato nostro et illata antea est et nunc infertur, suscepimus, etiam ad vestram et totius istius fortissimae nobisque dilectissimae nationis salutem et securitatem susceptum fuisse ostendere, facile id quidem sit, iis enim qui aliena imperia et status tam libenter et tam facile opprimebant sibique usurpabant quo maior relinquebatur facultas quod volebant efficiendi, hoc ad plura et maiora semper opprimendum aditus struebatur. Aucta

igitur eorum potentia, et voluntate opprimendi eadem permanente, quid esse potuisset tutum vel nobis vel vobis vel omnibus qui iugum voluntariae servitutis accipere noluissent? Fuit igitur nobis necessarium occurrere iniuriae, obsistere insolentiae et nimiam cupiditatis licentiam cohercere; quamvis spem quidem potissimum reponimus in summo Deo quod is iustam causam adiuvabit, nec sinet nos propugnatores patriae nostrae et aequitatis defensores in tam pio conatu succumbere. Deinde vero vestra eximia virtus et optima voluntas magno nobis est solatio. Spem enim certam habemus, vobis vestra arma fortissimis nobiscum communicantibus, paratam fore victoriam illi parti pro qua ius et aequitas et Helveticum nomen stet. Igitur sedes apostolica in suis occasionibus ad eosdem Helvetios recursum habet, qui ex ipsius Sanctae Sedis defensione clarissimum cognomen sibi et liberis suis pepererunt, quorum societate et armis semper vincere solita est. Vos vero ut prioribus vestris factis egregiis et praestantibus cumulum hunc quoque addatis vestramque perpetuam laudem et consuetudinem in tuenda libertate ecclesiastica conservetis, est vestrae prudentiae et virtutis curare atque efficere. De his rebus omnibus mandavimus homini qui has ad vos litteras attulit ut nostris verbis agat uberius et copiosius vobiscum, cui fidem vos habere volumus. Illud etiam atque etiam repetimus, si hoc tempore quales semper extitistis tales vos in hoc sedis apostolicae tempore ad illius dignitatem et auctoritatem defendendam exhibueritis, magnam vos non voluptatem solum sed etiam utilitatem omni postero tempore esse capturos. Datum Romae etc. die xx. Julii mdxxvi. Anno tertio.

182.

Regibus Catholico, Christianissimo, Angliae, Portugalliae et Archiduci, mutatis mutandis.

Carissime. Mittimus ad ser.tem tuam nova et litteras quas ex Ungaria accepimus, utinam non extremum regni et nationis illius discrimen nunciantes. Insidet enim iam in medio prope regno illo rex Turcarum cum exercitu maximo, tantaque se vi infert, ut illum non oppositi fluminum gurgites, non nostrorum timor, non locorum ignoratio

cohibere potuerit quin se vel praelio, si nostri conferre manum velint, vel expugnationi et direptioni urbium si cesserint paratum ardentemque offerat, cum contra a parte nostra nihil admodum spei aut fiduciae nihil firmi apparatus sit. Quod praemonuimus quidem antea saepe et obtestati sumus tam ser.^{tem} tuam quam reliquos christianos principes, ut ferre opem mittere auxilium fulcire ruinam regni nobilissimi cum maxima christianitatis pernicie casuri nisi sua quisque pro parte opem et manum attulisset, vellent. Quae si preces monita obtestationesque nostrae apud animum tuum valuissent et aliorum, tantae nunc calamitatis dolorem non acciperemus. Ac nos quidem id suppeditavimus auxilii quod potuimus; etenim ad hunc diem spes illarum nationum nostris maxime praesidiis nostris pecuniis sustentata est, nuncque peditum quinque milia, equites ducentos sub signis in Ungaria habemus; neque aliud firmum ut adhuc apparet in illo tanto metu et periculo Ungaricae nationi subsidium. Sed si temporum et rerum dura necessitas nos domesticis Italiae rebus impendere partem curae et opis non coegisset, maiori etiam auxilio subvenire illi regno fuissemus conati. Verum tamen in nostro opere atque officio ecquis nam extitit christianus princeps, qui partem nobiscum voluerit sustinere laboris et impendii? cum tamen ceteri temporalibus bonis a Domino Deo magis quam nos ornati sint, ac ceterorum florentiores res, nostrae et huius Sanctae Sedis vehementer attritae et extenuatae sint. Nunc haec summa est. Deploratum et perditum christianae reipublicae, nisi Deus potenti sua manu et celesti ope provideat, regnum esse florentissimum; aut etiam si quid auxilii in christianis principibus esse potest nisi mature et celeriter subveniatur, exiguum ad tempus, regna et loca illa omnia ad tyranni Turcarum nomen et potentiam accessura, ut nobis quotidie in angulum magis redactis et coarctatis, ille ad sibi omnia subiiciendum et viribus suis et nostra negligentia fiat paratior. Haec scribimus fili car.^{me} ad ser.^{tem} tuam omnibus illam precibus obsecrantes, ut tanti detrimenti a christiano nomine propulsandi aliquam nobis partem et sollicitudinem ad animum tuum pervenire, quodque saepe hortati sumus id praesidii mittere quod vel pecuniis vel armis ingruentem impetum tanti hostis aliqua ex parte cohibere possit. Hoc autem petimus, tum propter debitum quo Deo es astrictus, tum propter officium quod a

christianissimo, (Hisp. *catholico,* Angliae, *fidei aug. defensore* Port. *optimo rege*) desideratur. Quae etiamsi causae non essent, si aut summi Dei respectus, aut communis salutis consideratio, aut honor nostri nominis unumquemque non moveret; quis est tam ferus animo, tam ab omni alienus humanitate qui optimi regis illius infortunio, et tantae nationis suprema calamitate ad misericordiam non moveatur, praesertim cum cogitare possit, in se quoque vel posteros certe suos eandem casibus humanis tributam esse potestatem. Quod periculum certius et gravius futurum est si potentissimi hostis et crudelissimi, qui se solum regem esse vult et alium praeterea neminem, vis et audacia quotidie prosperis rerum eventibus et accessione regnorum et gentium augebitur. Sed de his scribi mandavimus dilecto filio nobili viro Alberto Pio comite Carpi, (Roberto Acciaiolo etc. Uberto de Gambara) nuncio apud te nostro, et cum dilecto item filio Gregorio equiti Casalio oratore apud nos tuo locuti sumus, ut cum ser.te tua diligentius agant nostris verbis, quibus illa fidem habebit. Datum Romae etc. die xxv. Julii mdxxvi. Anno tertio.

Matri regis christianissimi. — Responsio ad eius litteras a Langerio allatas. — Die xviii. Septembris mdxxvi. Anno tertio.

183.

Regi Francorum.

Carissime etc. Nihil expectare potuimus a tua ser.te optatius quam quod ea mitteret hominem sibi fidum prudentem strenuum, qui et ad nos de sua optima erga nos voluntate recentem nuncium afferret, et res Italiae quo in statu sint, praesens ipse specularetur. Quanquam de benivolentia tua erga nos, nullo nuncio egebamus. Non enim dubitamus quin tu erga nos eo animo esses quo erga pontificem tui honoris nominis dignitatis amantissimum esse deberes. De toto quidem belli et rerum nostrarum statu, atque de eo bello, quod etsi communis Italiae et christianitatis commodi causa sumptum est, maxima tamen ex parte ad amplitudinem quoque tuam conservandam, et pignora tua tibi recuperanda est susceptum; gratissimum nobis fuit dilectum filium

Gulielmum Bellai dominum Langerii tuae ser.[tis] a cubiculo, hominem omnibus virtutum ornamentis praeditum fieri spectatorem; huius enim diligentia industria probitas maxime nobis fuit voluptati, qui rebus omnibus et apud Venetos et penes nos perspectis, quanquam tuam iussionem revertendi expectaturus erat, tamen nostro hortatu et missu qui hoc maxime volueramus, sibi ad te redeundum existimavit, in hoc quoque tibi deservire se reputans, si mature nostra ad te mandata desideriaque referret; quo cum homine tuae ser.[tis] fidelissimo, nobis probatissimo ample et largiter locuti sumus, quae eum voluimus ad te perferre. Quae cuiusmodi sint, quoniam ex illo plene intellecturus es, non necesse existimavimus omnia esse scribenda. Duo tantum nostris litteris tibi significanda speciatim duximus; unum est quod rebus Italiae aliquanto imbecillioribus, quam ut illae tanti belli pondus ferre evolvereque possint, nisi ser.[tas] tua acrius in causam curamque incubuerit, graviter pertimescendum est, ne contra eveniat, quam a nobis fuit designatum. Cum enim homines victoriae fiducia elatos, et aliena nimium appetentes ad aequas pacis conditiones adducere studeamus; si illi bello non inferiores extiterint, et arma nostra contempserint, ad maiorem arrogantiam et cupiditatem profecto incendentur. Quorum deinde animos et spiritus neque tu neque nos poterimus reprimere. Alterum est, quod cum nos in tuo amore et coniunctione potissimum statuerimus requiescere, simusque tibi perpetuo fidelis amicitiae vinculo ita coniuncti futuri, ut nemini unquam Galliae regi quisquam Romanus pontifex, quaecunque futura est nostra auctoritas, existimatio, dignitas, ea tibi tota profutura est. Quem nos animum erga te, etsi publico christianitatis bono praebituri sumus, tamen magna in eo etiam vis est amoris erga te nostri, quem toto corde receptum perpetuo retenturi sumus. Quapropter quid ad te pertineat nostram existimationem tueri facile ipsemet potes cognoscere. Haec quidem duo quanti momenti apud animum tuum esse debeant, ut cogitare velis, valde ser.[tem] tuam rogamus. Sed de his, et de aliis ad idem pertinentibus ser.[tas] tua ipsum Gulielmum audiet loquentem, et animum omnem nostrum plane tibi exponentem, cui te fidem habere volumus. Datum Romae etc. die xviii. Septembris mdxxvi. Anno tertio.

184.

Regi Angliae.

Carissime. Etsi gravissimae calamitatis quae nobis per hos dies insidiis et perfidia incidit eorum qui in nos et hanc Sanctam Sedem hostili animo sunt, quorum etiam fide et promissis decepti fuimus, litteras ad te quae indicarent dedimus; tamen cum non satis videremur omnia declarasse quae erant declaranda, cum indignitas et acerbitas rei omnem facultatem scribendi superaret, cumque insuper de calamitate et ruina regni Ungariae, quod iam in potestate Turcarum est, non minore mestitia premeremur, institimus mittere ad ser.tem tuam unum ex tuis apud nos oratoribus qui testimonium praesens redderet, ea facta hic fuisse in dedecus ac detrimentum Dei et religionis et huius Sanctae Sedis, quae a nulla gente etiam infideli et barbara expectare potuissemus, ac de rebus etiam Ungariae vel afflictae potius christianitatis quae nos cognovimus omnia explicaret. Ac quod ad proprias nostras pertinet iniurias, uti tunc scripsimus, si mutatione animi et poenitentia eorum quorum nomine et auctoritate factae sunt conversis illorum mentibus ad generalem pacem aequasque pacis conditiones, utilitati publicae haec essent profutura, facile nos donaremus dolorem animi nostri Deo. Sin autem ab istis patrata sunt ut omni nostra et huius Sanctae Sedis calcata auctoritate facilis illis sit aditus ad subiugandam Italiam, tunc et tuae ser.tis vim virtutem sapientiamque imploramus et te obtestamur, ut prosequi tuam solitam gloriam huius S.tae apostolicae defendendae Sedis velis. De quibus et aliis multis cum ad requisitionem nostram consultantibus ipsis inter se ven.li fr.tri Hieronymo episcopo Wigorniensi iter ad te facere obtigisset nos cum eo homine tuo tibi fidelissimo omnia animi nostri secreta penitus communicavimus idem in omnibus et nos et tuam ser.tem reputantes. Qui cum ea tecum nostris verbis copiose locuturus sit, hortamur ser.tem tuam ut eum rerum omnium quae acciderunt maxime gnarum cum audire diligenter tum fidem illi et dil. item filio Uberto Gambara nuncio isthic nostro habere atque omni ope tua subvenire nomini ecclesiastico velis, sicut est tua solita insigni virtute et pietate maxime dignum. Datum Romae etc. die xxiv. Septembris mdxxvi. Anno tertio.

185.

Regi Portugalliae.

Carissime in Christo fili noster sal.tem et apostolicam benedictionem. Credimus non ignorare ser.tem tuam quo in statu nunc sint christianitatis res, ancipiti videlicet et periculoso. Nam et bellis inter nos impliciti, et Turcarum rege, occupata prorsus Ungaria, Italiae tam imminente, quid nobis bonae spei ad praesidia nostrae reliquae salutis ostendatur plane nil videmus. Quanquam nos illi regno misero atque infelici quibus potuimus auxiliis opitulati sumus; atque, ut constat et tibi constabit testimoniis eorum qui illas res bene noverunt, nostra praesidia, nostrae copiae, nostri milites, aut impedimentum Turcis non mediocre fuerunt, aut illorum certe impetus sua clade et sanguine sunt remorati; sed sive ob hostium inenarrabilem potentiam, sive quod Deus (id quod potius timemus) nostris peccatis adversus est, victis et confractis repagulis omnibus, illud est regnum in hostium infidelium potestatem redactum. Accidit illud nobis illa regna servare et defendere cupientibus incommodum, quod bello eramus in Italia implicati, non tam quidem contra Caesaris ser.tem, nihil enim ab ipso certi mali aut perniciei Italiae parari putabamus, quam adversus illius exercitum et duces, qui, statu Mediolani occupato, omnibus caeteris similem terrorem suae nimiae cupiditatis iniiciebant. Cuius belli per nos suscepti si tibi reddenda esset a nobis ratio, aut si tu clades, rapinas, direptiones, detrimenta miserae Italiae perspicere potuisses, non dubitamus quin iustissimam vel potius necessariam causam nostram iudicaturus fueris; exercitum quidem Caesaris sine stipendio tandiu retentum, omnium bonis et fortunis illi in proedam oblatis, qua licentia, quotque iniuriis in imbecilles populos usum fuisse putandum sit, potest per se tua ser.tas cogitare. Nos igitur ad liberationem afflictae Italiae arma sumpsimus, ut sumus arbitrati pia et iusta, nec quicquam nos aliud spectasse quam salutem nostrae et communis omnium gentium patriae Italiae testimonio est, quod nihil in victoria ad nos emolumenti pervenire pacti sumus, sed tantum pastoris et defensoris iustitiae officio fungi voluimus; contra autem ipsum Caesarem eiusque res legitimas atque proprias ita nihil unquam sumus damni machinati, ut cum supe-

rioribus diebus Columnensibus subditis nostris quidem, sed nobis parum fidis arma in manibus ad portas urbis nostrae tenentibus, nos quoque firmam manum militum comparavissemus, qua illis facile superiores in Neapolitanum regnum intrare et omnia turbare, ac labefactare potuissemus, simul atque fides est nobis per Columnenses data eos arma esse depondituros, nihilque contra nos et statum nostrum tentaturos, statim omnia armata praesidia dimisimus, quaque in parte si inimico animo fuissemus in Caesarem bellum flagrare et vigere oportebat, ea ex parte summam pacem fecimus. Ergo in hoc statu res nostrae erant cum est ad nos de regis Ungariae morte, et eius exercitu caeso ac de Turcarum victoria allatum; quo nuncio perculsi, cum cerneremus nisi apta remedia quaererentur, omnia in unam ruinam procubitura, statim cepimus consilium inspirante Domino quacunque ratione arma nostra deponendi, ac iusso accersiri Ugone de Moncada Caesaris capitaneo induciarum tempus constituendi, quo interea nosmet ipsi ad carissimos in Christo filios nostros Caesarem et christianissimum regem accedere et efflagitare inter illos pacem, auxilium labanti christianae reipublicae petere atque obsecrare, iram Dei denunciare, omnia denique tentare et agere quae ad profectum pacis necessaria essent valeremus, non nostro incommodo, non populorum nostrorum, non periculis ullis, aut maris, aut terrae, nostram piam voluntatem deterrentibus. Hac re sic deliberata, postero die mane, advocato ven.lium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium consistorio, significavimus illis huius suscipiendi itineris mentem nostram; quae cum ab omnibus fuisset approbata, silentium tunc illis indiximus. Vespere autem eiusdem diei vocatis oratoribus omnium principum qui apud nos erant eandem voluntatem nostram illis aperuimus, inter quos dilectus filius Martinus de Portugallia ser.tis tuae nepos, cuius virtus, industria, prudentia, nobis cum saepe alias, tum maxime in hoc omni periculosissimo tempore satisfecit, optimus potest tibi esse testis, qui in consiliis periculisque nostris omnibus labore, diligentia, consilio assiduus intervenit, et hactenus quae diei erant, cum ecce postridie summo mane tumultuosissimus nuncius ad nos venit, Columnenses oblitos fidei quam nobis dederant, iniquissima mente et voluntate, duce iam dicto Ugo de Moncada Caesaris capitaneo cum magna manu esse ad urbis portas, iamque ingressos

menia ad personam nostram vel necandam vel captivandam praeproperos advolare. Quo metu subacti continuo ad arcem Sancti Angeli nos recepimus, atque illi, motu longissimo confecto, cum in palacium venissent, atque ibi personam nostram non invenissent, ad coedes direptionesque conversi sunt. Quo in spectaculo acerbo et lugubri, quid est quod pro calamitate tanti mali scribere apte possumus? Cum oculis nostris videremus rapi, trahi, ferri omnia tam sacra quam profana, quanquam in eiusmodi loco quid potuit esse profanum? cum templum illud sanctum et venerabile beati Petri, quod caput, quod domicilium, quod fundamentum christianae religionis semper habitum est, Hispanorum et aliorum qui cum illis erant manibus cruentis videremus diripi, aras sanguine fedari, omnia sacrorum ministeria distrahi et dilaniari, nec non antiquum sacrarium in palacio, in quo rem divinam perpetuo Romani pontifices celebrare soliti erant, ita cultu et apparatibus ornatum ut tamen in eo plus reverentiae et sanctitatis quam divitiarum esset, omnibus ornamentis nullo sacramento religionis cupiditatem retardante, vidimus spoliatum, quibusque templis et sacris rebus neque Gotthorum quondam nimis ferae mentes, neque Vandalorum Christo non parentium infidelitas cum in haec eadem loca barbarae illae gentes per vim invasissent ullam iniuriam, ullum detrimentum propter reverentiam sanctitatis attulerunt; nostri, Christi nomen et caractherem praeferentes, nullam in partem pepercere, eis ducentibus atque hortantibus, quos maxime aegreferre tam atrox delictum et facinus oportebat. Nec hic illorum immanitas constitit, sed discursionibus factis cum plurimae domus praedae fuissent datae, cumque alias plures idem incommodi sensuras cerneremus, ita dolore victi et afflictae urbis misericordia affecti fuimus, ut potius ad conditiones devenire, quam tam acerbum spectaculum diutius intueri sustineremus, magna quidem nostra et Sanctae Sedis apostolicae indignitate; sed de duobus maximis malis, quod minus malum fuit duximus eligendum. Itaque ad pactiones descendimus, ut utrinque arma in Italia suspenderentur, quod nos quidem iam velle facere fueramus professi; sed magnus tamen in eo dolor, quod voluntate faciebamus, id per vim facere videri, ut eis omnibus qui in eo insultu contra nos et Sedem apostolicam ignosceremus, quod etiam concessimus, conditione apposita, quam tamen conditionem nec illi ser-

vaverunt, neque ut apparet sunt servaturi. His pactis conditionibus, illa procella summi periculi tum a nobis depulsa est, sed tam subito et insperato incommodo consilium nostrae profectionis sublatum videbatur, dissuadentibus fere omnibus ut ab itinere desisteremus, quod iam nullam habiturum esset dignitatem, nec optati exitus pacis conciliandae gratiam. Stetimus igitur ancipites et vehementer dubii quid nobis esset agendum. Haec linquere, uti erant sic turbata parum cautum; ad conficiendam pacem non accedere parum pium videbatur; cum re denuo cum vene.bus fratribus nostris communicata, hoc consilium captum est, ut mitteremus ad omnes reges novos nuncios, qui et calamitatem regni Ungariae et necessitatem pacis et nostrum quoque recentem casum significarent; ac si coeuntibus eorum ad pacem et studium concordiae voluntatibus aliquis eligeretur locus in quo fieri commune regum colloquium inter ipsos posset, nosmet denuntiarent ad illud colloquium esse venturos, ac alii ad alios destinati sunt. Ad te vero fili carissime non habuimus dexteriorem prudentiorem nuncium quem mitteremus quam tuum ipsius oratorem, cuius omni hoc tempore summa erga nos et hanc Sanctam Sedem officia extiterunt, ille enim, nullo labore recusato, saepe inter nos et Ugonem iam dictum, cum nec gladiorum nec licentiae militaris periculum quod illi ab cupidis praedae et sanguinis militibus imminebat illius pietatem et operam retardaret, omni solicitudine omni studio et opera conatus est, ut et illorum crudelem vim mitigaret, et nos ad compositionem cum illis adduceret, cui quantum debeamus vix possumus explicare; certe nisi eius industria et auctoritas intercessisset, aliquod maius malum illo die fuisset patratum. Cum igitur et testis fidelis et prudens explicitor, et optima mente atque animo in Christi rem praeditus a nobis esset iudicatus, eum in secreto consistorio iussimus introduci, ac illum obtestati sumus ut iter hoc necessarium ad te pro christiana republica et Dei optimi maximi fide, ac pro nostra dignitate susciperet, quam petitionen nostram omnium vene.lium fratrum nostrorum preces sunt subsecutae, atque ipse, ut est in omni pio labore promptissimus, etsi durius aliquantum ducebat sine tuo iussu a tua legatione discedere, tamen tanto consensu nostro et senatus apostolici victus, ac optime existimans serenitati tuae pro tuo eximio animo in rem Christi et publicam, id non solum probatum, sed

gratum etiam futurum, concessit nostrae voluntati, atque hunc quoque post alios multos laborem ad te proficiscendi, et ad ser.mum quoque Caesarem suscepit, ad quem, quanquam ea per alios curavimus perferri nostra desideria, tamen in ipso tuo oratore maximum momentum illius movendi et suadendi posuimus.

Quae autem a tua ser.te requirimus, ea haec sunt, primum ut quod ad pacem communem et remedium adversus crudelissimum hostem parandum pertinet, in eo velis omnem vim adhibere et virtutis et auctoritatis et potentiae tuae; deinde, si alia ratio negocii conficiendi expeditior non occurrat, diem et locum et modum velis constituendum curare suadendo hoc Caesari, et si etiam tibi videatur christianissimo regi, ut colloquium sanctum et salutare fieri possit, sicut nos quoque ambos eosdem reges non solum hortamur per nuncios nostros verum etiam obsecramus. Nos enim ser.ti tuae pollicemur, si huius optati colloquii data erit facultas, nos promptissimo et libentissimo animo illuc accessuros, personamque nostram omnibus periculis pro Dei et fidei Christi utilitate et causa obiecturos, quod ita maxime fieri cupimus, ut etiam interveniat, si possit fieri, ser.tas tua, vel hortatrix concordiae, vel conditionum confirmatrix, quod tua maxime auctoritate poterit effici. Nec tamen arbitramur factum ullum praeclarius, aut gloriosius posse a te hoc tempore suscipi, dignum tua et parentis tui gloria. Qui quidem tuus pater cum omnem aetatem suam in re Christi et religionis christianae propagatione consumpserit, tantaeque laudis hereditatem tibi reliquerit, advenit nunc tempus, non optabile illud quidem, sed tamen tibi quidem accommodum, quo brevi spatio uno maximo et opportunissimo pacis opere et consilio illius perpetuam et eximiam laudem ex multis pietatis operibus acquisitam possis adaequare: debes autem hoc Deo et eis divinis muneribus ac beneficiis, quae tibi ab illo collata multa et magna sunt. In quem si parum gratus reperirere timenda illius ira indignatioque esset. Porro res christianae in eum locum adductae sunt, ut aut celeri remedio maximis urgentissimis non iam periculis sed cladibus occurrendum sit, aut nullum posthac futurum sit remedium; cuius remedii inveniendi nos summam quandam spem et opinionem in tua ser.te ponimus, quae ne nos fallat etiam atque etiam te per viscera misericordiae Dei nostri obtestamur. Sed de his

copiosiora mandata ipsi tuo oratori ad te perferenda dedimus, cui ser.tas tua circa haec referenti, fidem summam habebit. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xviii. Octobris mdxxvi. Pontificatus nostri anno tertio.

Pro Joanne Winkel referendario. — Revalidatio indulgentiarum. — xiii. Novembris mdxxvi. Anno tertio.

Archiepiscopo Senonensi, magno Franciae cancellario. — Pollicetur denuo illi cardinalatus honorem. — Die xiv. Decembris mdxxvi. Anno tertio.

Quibusdam Hispaniae episcopis. — Committit pontifex duobus cardinalibus ut videant in causa inter ordinem Calatravensium et Hierosolomitan. et episcopos eosdem, qui querebantur de pontificis dispositione super eadem re tanquam laesiva iurisdictionis episcopalis. Die xviii. Decembris mdxxvi. Anno tertio.

Guilelmo et Ludovico ducibus Bavariae, in adventu Accursii de Gryno eorum secretarii. — Laudat pontifex eorum piam mentem ac religionem, spondetque suam benivolentiam, occasione data, illis relaturum. Datum Romae die ultima Decembris mdxxv. Anno tertio.

(Foris vero).

Anno tertio mdxxvi. Decembris ultima.

186.

Dilectis filiis Burgimagistro, Consulibus et Communi Turricensi. Tigurinis Helvetiis.

Dilecti filii salutem etc. Ex litteris vestris die ix. Januarii datis non sine gravi nostro dolore cognovimus, vos, quos tanquam praecipuos filios paterno imprimis amore complectimur, et in viam aeternae salutis insistere optamus, perseverare nihilominus in eis erroribus defendendis, qui vos profecto a recta semita abducunt, et avertunt a summo Deo, deducuntque ad interitum, nisi animorum vestrorum aequitas nostris

piis et salutaribus monitis accipiendis fuerit parata; qui studio incensi salutis vestrae conservandae et custodiendae, capimus curam et sollicitudinem de vobis quam boni pastoris officium et noster in vos singularis amor postulat. Ac quod vos in eisdem litteris numeratis aliquot fidei sanctae articulis, et illis et reliquis fidem vos habere et in eis firmiter haerere significatis, gratum admodum nobis est, ut ingenue et simpliciter ac quemadmodum veros christianos decet est prolatum. In quo vero a simplicitate disceditis, et in eo subest fraus, non vestra sed seductorum vestrorum, cum aliter interpretari ac maiores nostri sanctissimi viri pleni spiritu sancto interpretati sunt contenditis, nobis grave et molestum est, suscipimusque dolorem quem desiderium vestrae salutis in nobis excitat. Ipso enim Domino testante prius se missurum posteaque mittente sanctissimis apostolis et eorum successoribus spiritus sanctus datus est, quo praeeunte pleraque quae in sacris codicibus seriatim perscripta non erant instituta sunt, sanctaeque catholicae ecclesiae data est divinitus ordinandi et sanciendi singula auctoritas; cui qui se non submittunt pure et libere, quique simplicitatem apostolicae locutionis sua calliditate pervertere conantur, hi iam sunt de fidei rectae observantia in uno imprimis necessario articulo heretica opinione deturbati; cui etiam errori ille alter accedit, quod seiungunt se a communione sanctorum. In quo vos filii dilectissimi videte per Deum immortalem quid agatis. Tot iam seculis, tot conciliis, tantorum praeceptis et auctoritate sanctorum retenta et observata sunt, cum alia multa ad veram fidem spectantia, tum ipsum imprimis sanctissimi Corporis et Sanguinis dominici sacramentum, quod nos maxime Deo coniungit, firmatque in nobis spem fidem et charitatem. Ab hac fide vos et institutione cum disceditis, sanctorum ne communioni adheretis? Quanquam haec ita a nobis scribuntur, quasi in sancto evangelio aperte et dilucide non sit positum, hoc esse corpus ac sanguinem dominicum, quae verba ita clara sunt ut interprete non indigeant, *aut si requirerent interpretationem, ipsa eadem sancta Ecclesia catholica et scriptis et operibus iampridem illa est interpretata;* a quorum verborum recto et sincero et catholicae ecclesiae auctoritate cum vos disceditis, quo auctore id facitis? *non Augustino; non Hieronimo; non Chrisostomo; non ipso ecclesiae ac gentium doctore et vase electionis Paulo;* non

ullo certe ex iis in quibus spiritus veritatis et sapientiae est locutus, sed vanissimis quibusdam seductoribus animarum vestrarum, qui dum sibi auram popularem appetunt, de vestrarum animarum pernicie non laborant, efficiuntque ut vos parum grati filii et patres, avos, maioresque vestros erroris ignorantiaeque in fide catholica damnetis, et ab omnipotente Deo ipsi damnemini. Quam iacturam filiorum nostrorum nos aequo animo non possumus ferre. Illud etiam condolentes, quod cum obtulerimus vobis nos missuros, in medium aliquem locum viros doctos Deum timentes, qui vos viam veritatis edoceant, et coarguant Spiritu sancto cooperante seductores vestros, non acceptavistis conditionem tam aequam, magisque petitis ut eos in civitatem vestram destinemus, tutum et commodum locum illis promittentes. In quo requirimus profecto solitam modestiam generis vestri. Nam nos cum medium locum vobis offerebamus, humanitate id faciebamus et benivolentia erga vos inducti, de nostra aliquantum dignitate decedentes. Satis enim constat de rebus fidei apud ipsum caput ecclesiae agi et tractari convenire, quod vos cum ad vestra loca revocatis, faceretis arroganter, si vestra haec culpa ac non illorum esset, qui ad suam impietatem sustinendam vestro favore et nomine abutuntur. Sed si medius vobis non placet locus; haec urbs et commodissimum et maxime securum receptaculum est, ad quam, et qui opiniones istas tueri statuunt, et quos vos destinare cum illis volueritis omni cum gratia et benignitate nostra, accepta etiam omni fide securitatis suae, nobis sponsoribus, et protectoribus possunt accedere; ut aequo, pioque iudicio veritas vobis eluceat; nos enim nullo odio nec cupiditate, sed tantum studio et amore vestrae salutis hanc rem vobis declarari cupimus. Cui negocio si vos diligentes et faciles prebueritis, ac ad nos veri patris animo amantissimos vestri, prompte accesseritis, non solum pecuniarum, quas vobis allegatis debitas, sed omnium beneficiorum quae a nostra liberalitate proficisci poterunt in vos conferendorum, iustissimam nobis et honestissimam dabitis occasionem, ac re ipsa cognoscetis et experiemini, nos in vestra virtute, amicitia, fortitudine, non mediocrem partem nostrae et Sanctae Sedis apostolicae dignitatis positam et collocatam habere velle. Datum Romae etc. Foris. mdxx . . anno tertio.

BREVIA AD PRINCIPES CLEMENTIS VII.

1527.

187.

Archiepiscopo Toletano.

Venerabilis frater. Ex litteris frat.tis tuae cognovimus, quo ipsa animo erga nos et sanctam apostolicam sedem sit, quamque eis incommodis quae eidem sedi et nobis superioribus diebus fuerunt illata doleat atque angatur, quod profecto nobis accidit acceptissimum. Videre enim eximium praelatum dolorem praeseferentem de omni calamitate quae accidat ecclesiae nominique ecclesiastico et ipsius probitatem pietatemque manifestat, et aliquam affert iis qui sunt passi levationem molestiae; etsi illud facinus impium et atrox et alias inauditum maiorem causam dolendi affert iis qui patrarunt quam illis qui pertulerunt, quos etiam si hominum poenae deessent, sua ipsorum conscientia suum scelus sollicitat ut neque apud Deum neque ante iustitiae tribunal possint ullo pacto consistere. Quod quidem noluissemus accidere etiam honoris ser.mi Caesaris causa, cui nos ex animo certe semper et ab intimis sensibus in omni honesta actione et gloria favimus, a quo si palam dissentire visi sumus, non illud privatae discordiae odium, sed publicae suspitionis fuit dissidium. Quo etiam studiosius et acrius ad pacem incumbimus, sumusque quotidie in ea tractanda assidui; atque utinam eae nobis proponerentur conditiones quas facile et libenter accipere possemus; dabitur tamen opera, quantum per nos inspirante Domino fieri poterit, ut per omnes faciles difficilesque vias ad pacem perveniatur. Cui nostro studio non mediocrem etiam stimulum addidit frat.tis tuae obtestatio et auctoritas, quam vicissim hortamur ut eadem opera uti velit ad ipsum Caesarem hortandum ut det se ad aequitatem,

ac salutis tranquillitatisque publicae cogitationem, in quo nos serenitas sua habitura est semper coniunctissimos. Quod illum facturum pro sua temperantia animi et virtute confidimus. Datum Romae etc. die viii. Januarii (?) mdxxvii. Anno quarto.

Juliano Leno et Maximo Grato, commissariis. — Datur facultas et mandatum comparandi frumentum et coeteras fruges ad victum exercitus pontificii necessarias ex oppidis ac locis Velitrensium et Privernatum, aliisque in quibus earum copia adsit. — Datum Romae die iiii. Martii mdxxvii. Anno quarto.

188.

Legato *(sic)*.

Dilecte fili noster. Ut tua virtus et animus in sanctam romanam ecclesiam, cuius honorificum es membrum, egregius et praestans perfectum opus efficiat nosque tibi in dies maioribus officiis obstricti simus, petimus a circumspectione tua paterno studio ut quae dil. fi. Johannes de la Stufa nostris verbis tecum egerit, in eis des te libentem et promptum, quo quae sancte et utiliter incepta sunt per te potissimum transigantur. In quo nobis qui tuae personae summam curam habemus rem gratissimam et optatissimam es facturus. Datum Romae etc. die xv. Martii mdxxvii. Anno quarto.

189.

Laurentio de Cere.

Dilecte fili. Pro eo amore quo te complectimur singulari eaque fide quam in tua virtute reponimus, cum optime noverimus te ad ea omnia quae bonum publicum et nostram ac sanctae huius sedis utilitatem continent promptum paratumque futurum, commisimus dil. fr. nostro Augustino tit. S.ti Adriani S. R. E. diacono card.li de Trivultiis nostro et apostolicae Sedis in nostro et S. R. E. exercitu de latere legato, ut tecum ageret quaedam nostris verbis quae a te vehementer cupimus effici; hortamur devotionem tuam et enixe petimus ut in omnibus quae significarit, summam ei et fidem habeas et in exequendo diligentiam praestes, facturus nobis rem gratissimam. Datum ut supra.

190.

Domino de Valdemonte.

Dilecte fili. Pro ea cura quam de tua dignitate maximam gerimus et pro eis officiis quae abs te nobis et huic S.^{tae} Sedi impensa sunt, cum certi simus te pari amore studio observantia reliqua effecturum, pertineat autem ad nostram et tuam et Sanctae Sedis apostolicae utilitatem aliqua agere quae nunc tempus et necessitas postulat, commisimus dil. fil. n. Augustino *ut supra*. —

191.

Duci Venetiarum.

Dilecte fili. Convenit ei amoris et foederis coniunctioni qua tecum et cum isto illustri dominio et sumus et volumus esse semper constricti, ut actionum nostrarum, postquam de illis cum dil. fi. nobili viro Carolo de la Noy vicerege Neapolitano hic nunc apud nos degente convenimus, nob.^{tem} tuam certiorem faciamus, quanquam illas ex dilecti filii Dominici Venerii oratoris apud nos vestri litteris et ven. fratris episcopi Polensis nuntii apud vos nostri sermone, vos cognovisse arbitramur. Sed res ipsa quod cum caesareis ducibus ad pactiones et armorum ac belli per octo menses suspensionem accesserimus satis per se patere potest; quod vero non solum voluntate et desiderio pacis quo ita affecti semper fuimus ut eam non magis nobis quam omnibus procurare atque efficere cuperemus, verum etiam irrefragabili quadam necessitate compulsi ad has pactiones descenderimus, id ad nos pertinuit tuae nob.^{ti} litteris indicare. Etenim si arma illa nostra ad nullum commodum nostrum sed ad publicum christianitatis bonum suscepta fuerunt amplius in illis tamen permansimus, quam res et facultas nostra videretur posse tolerare; omnibus enim vectigalibus exhaustis, omnium familiarium nostrorum pecuniis consumptis, cum iam egeremus omni ad gerendum bellum necessaria facultate, fuimus tamen constantiores quam nobis expediebat, et cum vires nullas haberemus, animo diu stetimus; sed si nullum nostrum commodum bello et victoria, si ea ad nostras partes se dedisset nobis quereretur, non fuit etiam iustum et aequum ut in nos potissimum omnia pericula belli, omnia

tela converterentur; in nos enim omni ex parte vis hostilis solos incubuit, cum non ut debebamur profecto a confaederatis adiuti, nostris humeris cogeremur omne pondus perferre, ita et nostris et populorum nostrorum quotidianis incommodis detrimentis luctibusque vexati, expectavimus ultimum prope discrimen, dum hostium exercitu ingresso in Hetruriae invadendae viam, patriae nostrae et omni deinde statui ecclesiastico vehementer timere cepimus, multasque vidimus esse ad timendum causas, ad sperandum fere nullam. In hunc locum adducti inducias cum caesareis ducibus et suspensionem belli admisimus, aequis praesertim et honestis conditionibus invitati, ex quibus videmur perspicere bene promptam esse Caesaris ad communem pacem voluntatem. Sed quod nos summa necessitas ut faceremus impulit, id optaremus omnibus nostris confederatis venire in mentem, ut hac accepta suspensione consilia communis pacis inirentur, ad quam tractandam et honestissimis omnium conditionibus procurandam nos personam nostram met ad omnem itineris et tractandi laborem exponere sumus parati. Quam nostram mentem ut nob.tas tua, cuius virtuti et aequitati plurimum tribuimus, et ipsa agnoscat et ubi opus esse viderit in eam partem interpretetur in quam est a nobis suscepta vehementer eandem nob.tem tuam adhortamur. Novimus quid possis auctoritate, quantum valeas prudentia. Si nos optimo animo omnia ista egimus, si et finis rectus est et causa extitit necessaria, decet nob.tem tuam accipere in optimam rationem quae iustissima ratione facta sunt, atque ita accipienda apud ceteros omnes procurare. In quo opere plurimum et sibi et nobis Deoque simul ac veritati satisfactura est. Sicut latius cum ea nostris verbis idem nuntius noster aget cui illa fidem habebit. Datum Romae etc. die xxviii. Martii mdxxvii. Anno quarto.

Caesari. — Pro Francisco episcopo Salamantino in curia degente: ut eum in suam gratiam recipiat eique fructus ecclesiae suae restituat. — Romae xv. Aprilis mdxxvii. Anno quarto.

Joanni Mattheo episcopo Veronensi. — Constituit eum pontifex suum ac Sedis apostolicae nuntium pacis tractandae gratia ad christianos et alios principes, praesertim ad Carolum imp., Franciscum Franciae et Henricum Angliae reges. — Romae xvi. Aprilis mdxxvii. Anno quarto.

BREVIA AD PRINCIPES CLEMENTIS VII.

1528.

192.

Clemens PP. VII.[1])

Ad futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Joannes dux Albaniae qui masculina et foeminina prole caret ob singularem dilectionem et amorem quo dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Catherinam Medicem Urbini et de la Vaur ducissam ex sororeque uxoris eiusdem Joannis ducis natam, ac nostram secundum carnem proneptem prosequitur, animo concepit eidem Catherinae ducissae, castra, terras, loca, statum, iurisdictiones ac omnia et singula alia eius bona stabilia et mobilia eis cohaerentia et illorum usibus deputata ad ipsum Joannem ducem tam ratione successionis haereditariae quondam eius patris, matris et uxoris, quam alias ad eum quomodolibet spectantia et pertinentia tam in ducatu de la Vaur et comitatu de Lauragues quam etiam dominio comitatu et baronia Alverniae ac alibi in regno Franciae dumtaxat consistentia, ea donatione quae dicitur inter vivos irrevocabiliter libere donare, reservatis tamen sibi quoad vixerit ducatus et comitatus ac aliorum bonorum omnibus fructibus et illorum libera administratione, dummodo illa Catherina ducissa de omnibus suis bonis et iuribus quibuscunque quae ipsa in dicto regno Franciae dumtaxat habet similem donationem ei faciat; Nos igitur quibus per fe. re. Leonem PP. X.m praedecessorem et fratrem patruelem nostrum dictae Catherinae ducissae tunc in infantili aetate constitutae tutela, et deinde illius cura usque ad eius legitimam aetatem

1) Haec epistola et sequentes non sunt Sadoleti.

commissa fuit et ad quos spectat utiliter gerere negotia ipsius Catherinae ducissae adhuc in pupillari aetate constitutae, considerantes praemissam reciprocam donationem eidem Catherinae pupillae potius proficuam quam damnosam futuram, propterea eidem pupillae rem utilem prout ex iniuncto nobis officio tenemur, facere desiderantes, omnia et singula bona stabilia et mobilia eis coherentia et illorum usibus deputata dictae Catherinae ducissae, nec non castra, terras et loca, ducatum, comitatum et dominia in dicto regno Franciae dumtaxat consistentia, et ad eam legitime pertinentia ea donatione quae dicitur inter vivos irrevocabiliter, quam etiam si dicta Catherina ducissa filios susciperet valere et irritari non posse volumus, reservatis tamen nobis tutorio nomine dictae Catherinae ducissae dictorum bonorum omnibus fructibus et libera administratione, eidem Joanni duci eodem tutorio nomine dummodo ipsius Joannis ducis donatio per supervenientiam filiorum etiam valida sit et tam dicto quam aliquo alio casu non revocetur, donamus, ipsamque Catherinam ducissam cum ad legitimam aetatem pervenerit donationem per nos tutorio nomine factam huiusmodi ratam et gratam habituram ac de evictione dictorum bonorum teneri velle promissuram promittimus, et obligationem facturam dicto nomine, et pro praemissorum observatione nos et bona omnia nostra praesentia et futura in forma iuris valida dicto nomine obligamus. Et nihilominus potiori pro cautela dilectum filium Joannem sanctorum Cosmae et Damiani diaconum cardinalem de Salviatis nuncupatum, in regno Franciae nostrum et apostolicae Sedis legatum de latere ad praemissa omnia per se vel alium seu alios nostro et dictae Catherinae ducissae nomine faciendum et exequendum cum plena, libera et ampla facultate etiam si talia forent, quae speciale requirerent mandatum, procuratorem nostrum etiam apostolica auctoritate constituimus et deputamus, dantes facultatem eidem Joanni cardinali et legato super his quaecunque instrumenta et scripturas cum omnibus clausulis et cautelis necessariis, solitis et opportunis in praemissis faciendi. Nos enim omnia quae per ipsum Joannem card.lem in praemissis dicto nomine gesta facta et promissa fuerint, rata et grata habebimus et ex nunc prout ex tunc rata et grata habemus, ipsumque Joannem card.lem ab omnibus quae per eum praedicto nomine gesta facta et promissa fuerint indemnem

et penitus sine damno conservare promittimus; sed quoniam (ut accepimus) charissimus in Christo filius noster Franciscus Francorum rex christianissimus et eius camera pro fructibus de la Vaur et de Lauragues ducatus et comitatus huiusmodi quos certis annis decursis perceperunt in non parva pecuniarum summa tenentur et obligati existunt, ipseque Joannes dux ratam sibi contingentem ac iura ad fructus ipsos sibi competentia eidem Catherinae ducissae cedere et illorum exactionem procurare promittit, nos in eventum cessionis et exactionis fructuum huiusmodi eidem Joanni duci fructus quos ipse ex comitatibus et bonis praedictis hactenus percepit ex nunc dicto tutorio nomine sibi remittimus, ipsumque Joannem ducem ad reddendum rationem administrationis tutelae eiusdem Catherinae ducissae (ut dictus Joannes dux asserit), sibi in regno Franciae demandatae, et per eum hactenus administratae minime teneri decernimus et ab ea reddenda penitus liberamus et absolvimus. Volumus autem quod donatio per nos dicto tutorio nomine eidem Joanni duci facta et illius ratificatio per ipsam Catherinam ducissam, cum ad legitimam etatem pervenerit huiusmodi facienda nullius sit roboris vel momenti nisi Joannes ipse dux similem donationem in forma iuris validam cum simili cautione et evictionis promissione ac pacto, quod per supervenientiam filiorum ab eo forsan suscipiendorum revocari non possit eidem Catherinae ducissae infra viginti dies a die intimationis praesentium seu requisitionis per ipsum Joannem card.lem faciendae computandos fecerit, quodque omni casu quo donatio per ipsum Joannem ducem facienda, postquam facta fuerit sive per supervenientiam liberorum sive alia quacunque de causa resolveretur et nulla redderetur, ex tunc donatio per nos dicto tutorio nomine eidem Joanni duci facta etiam nulla et inefficax sit et esse censeatur eo ipso. Datum Viterbii sub anulo Piscatoris die xiii. Augusti mdxxviii. Pontificatus nostri. Anno quinto.

Evangelista.

Ex originali descriptum de verbo ad verbum
Jo. card.lis de Salviatis.

193.

Al S.or Julio Colonna. (sic)

†

Dilecte fili. Cum superioribus mensibus repeterimus a te nonnulla tormenta bellica quae ex arce nostra Sancti Angeli ab exercitu Caesaris Roma in regnum Neapolitanum proficiscente asportata apud te in castro Montis Fortini erant relicta, respondisti te tametsi nobis obsequi maxime cuperes tamen non ausurum ea nobis reddere sine permissu dil. filii nobilis viri Orangiae principis a quo apud te essent deposita, quam quidem excusationem tuam cum accepissemus expectavimus quoad ipsius permissu a quo acceperas ea nobis posses reddere. itaque mittimus ad te super hoc litteras eius nobilitatis, per quas soluta iam fide tua nullum tibi impedimentum est reliquum quominus dicta tormenta nobis reddas ut cupimus, quod ut facias te hortamur ac gratum sumus habituri, ut latius tibi exponet praesentium lator Rolandus de Ricciis familiaris noster cui fidem habebis. Datum Romae die xxx. Octobris mdxxviii. Anno quinto.

194.

(Absque titulo sed Regi Franciae).

Carissime etc. Libenter audivimus dil. fil. Baylivum Rhotomagensem ad nos a ser.te tua missum habuimusque gratissima quae dixit de tua in nos atque hanc Sanctam Sedem perpetua voluntate quam veterem et tuae virtuti debitam agnoscimus; ex eodem nunc ad te redeunte intelliget ser.tas tua quantum illi in amore paterno affectu respondeamus, qui sit animus, quod consilium nostrum semper fixum in cogitatione earum rerum quae ad christianae reipublicae quietem privatimque ad tua ac liberorum tuorum commoda pertinere videntur: quod si aliquando omnipotens Deus eum exitum prestet consiliis nostris quem optamus, intelliget Maiestas tua nos optima ratione mediam ac communis parentis personam induisse, quam quidem etiam quantum per nostram atque huius sedis dignitatem licebit conservare cupimus, sperantes ser.tem tuam quod adhuc egit, eo maiore studio de restitutione

nostrarum urbium post hac acturam, quo obstinatiores eos videt quorum iniuriae nos iam in alia consilia impulissent, nisi publica causa, quam privata nostra potiorem ducimus, et spes ipsa quam in ser.tis tuae auxilio positam habemus nos retardassent. Ut pluribus eidem dil. filio Baylivo respondimus etc. Datum Romae etc. die xiv. Novembris mdxxviii. Anno quinto.

Bonaparti de Ghisleriis civi ac thesaurario civitatis Bononiae. — Confirmatio locationis vectigalis Vini et Thesaurariae eiusdem civitatis. — (Absque data).

Provisio ecclesiae Faventinae pro Rodulpho de Piis Carpensi in consistorio secreto, ac facultas eidem data retinendi quaecunque beneficia ecclesiastica quae obtinebat etc. Die xiii. Novembris mdxxviii.

195.

Magistro Rhodi.

Cum (ut devotioni tuae notum est) tribus fere ab hinc annis, certa nobis spes ex orientis partibus fulsisset magni commodi atque honoris christianae reipublicae ac vestro precipue ordini comparandi, libenter illam amplexi velut magnum solamen tot calamitatum, quae in nostra tempora incurrerunt, destinavimus illuc dil. fil. fratrem Antonium Bosium, qui cum eo venisset, offendit spem illam multo etiam uberiorem quam antea acceperamus. Itaque omnibus rebus diligenter investigatis atque perspectis, animisque eorum, quorum egregia opera in ea s.ma expeditione uti intendimus, spe pollicitationibusque confirmatis, ad nos superiori anno reversus, retulit illud orientale negocium optimo loco esse, si eius expeditio maturaretur. Sed is erat tum status noster ut, magna ac miserabili ruina oppressi, nullam vobis opem prestare possemus, neque ullam inter tot nostras ac Sedis apostolicae calamitates, graviorem iacturam sensimus, quam quod omnibus fortunis spoliati, eius expeditionis tunc nostris opibus adiuvandae occasionem necessario praetermisimus. Sed tamen cum res ipsa christianae reipublicae maxime salutaris et ad instaurandam ordinis vestri, quem singulari semper

amore, sumus complexi, dignitatem ac veterem amplitudinem pertineret. eundem fratrem Antonium misimus ad devotionem tuam, eamque monuimus atque hortati sumus, ut quoniam nos ipsi non possemus, susciperet ipsa eam curam, nec pretermitteret tantam occasionem, sui ordinis velut ex magna tempestate in portum reducendi, ac ne te consilio tantum iuvaremus, adiunximus quantum potuimus auctoritatis nostrae, datis ad principes omnes christianos literis, quibus unumquemque eorum ad conferenda in tam salutarem expeditionem quae possent auxilia adhortabamur, addito etiam, ut ei fidem haberent, quemcumque devotio tua ad eos ob hoc destinasset, ut nostro nomine in omni illa negociatione quam latissime uti posses; quod quidem ea ratione fecimus, ne mittendis ultro citroque a devotione tua ad nos nuntiis, tempus tereretur, cum vere, aut aestate proxima, expeditionem illam omnino suscipi oportere iudicaremus, adiectis ad subventiones principum quas pro eorum dignitate non exiguas futuras sperabamus, etiam quicquid vos ex ordinis vestri facultatibus contrahere possetis, cum non modo perfectio, sed incoeptio quoque huius clarissimi operis esset vobis salutaris; siquidem hinc futurum esset, ut ordo vester exoneraretur invidia, qua apud omnes iam nationes adeo premitur, ut maxime periclitetur, cumque negotii gravitas requireret ne ad plures eius notitia deveniret, monuimus dev.nem tuam ut iis tantum, medio sacramento, communicaret, qui autoritate inter coeteros eminerent, et quorum fidem ac iudicium perspectum haberes; reversus est non multo post ad nos tuo iussu, idem fr. Antonius qui retulit, re a devotione tua aliquot primariis et magnae experientiae viris communicata, expositisque particulariter eius tractatus fundamentis, multis super hoc deliberationibus habitis, omnibus idem visum nullo modo tantae rei occasionem a Deo oblatam omittendam esse, sed cum tenues essent vires vestrae, nec multum ob discordias principum in eorum auxiliis spei ponendum esset, videri expeditionem quam nos vere aggrediendam censebamus, in mensem Augustum, qui proxime elapsus est, reiiciendam, ad quod tempus, omnibus rebus paratiores atque instructiores negocium aggredi sperabatis, profecturam interim dev.nem tuam in Angliam, aditaramque etiam eodem itinere regem christianissimum tentaturamque quid opis illi reges in hanc s.tam expeditionem conferre vellent; esse etiam in Gallia sylvas,

quas altas appellant, ad vestrum ordinem pertinentes, quibus venditis, magnam pecuniae summam cogi posse, ut vestris tantum viribus rem aggredi possetis, si deessent principum auxilia; rediturumque deinde te Niciam mense Aprili ad ordinandam in eundem mensem Augustum expeditionem; ac ne consilia vestra a quoquam cognosci aut enuntiari possent, indictum ut in omnibus prioratibus, conventus, seu capitula provincialia ante statutum tempus celebrarentur, quibus perfectis, esse tibi in animo Melitam navigare, destinandumque interim in Orientem certum hominem, qui amicos huius tractatus participes in officio confirmaret. Quae omnia cum a devotione tua prudenter fieri, nec ob causas quas asserebas rem maturius exequi posse videremus, accepimus satisfactionem tuam, remisimusque ad te eundem fr. Antonium cum nonnullis aliis provisionibus, quae tibi ad id opportunae videbantur, qui tecum in Galliam, atque Angliam profectus, cognitaque eorum regum optima voluntate, in Hispaniam ad car.mum in Christo filium nostrum electum imperatorem indeque ad Portugalliae regem adiit, in quibus cum parem voluntatem offenderit ac singulare studium huius s.mae expeditionis adiuvandae, reversus est ad nos, cum eorumdem principum litteris, quibus magnopere laetati sumus. Rediit etiam una cum eodem fratre Antonio is qui proxime ad continendos in officio amicos nostros ad partes orientis missus erat, qui illic rem eodem, ac meliori quam unquam antea loco fuisse repperit, si Augusto proxime elapso expeditio esset suscepta. In quo certo scimus dev.ni tuae non defuisse studium, atque ardorem rei perficiendae, sed multis obiectis impedimentis diutius quam vellet, ob causas quas idem fr. Antonius nobis rettulit, in Gallia Angliaque retentam, deindeque cum ad Niciam rediret Lugduni in gravem aegritudinem incidisse, qua diu conflictatam nondum plane convaluisse. Quae quidem tua adversa valetudo cum huic negocio incommoda tum nobis molestissima accidit, sed speramus tamen duraturam eandem rei perficiendae occasionem ad proximum ver, modo eo acriori studio in hoc incumbamus quo maius est in mora periculum; veremur enim ne consilia nostra tractu temporis hostibus aliqua via enuntientur, neve amici bis iam vestrae illuc profectionis spe frustrati sese animo demittant. Ideoque summa ope ac studio adniti debemus, ut omnibus ad profectionem necessariis hac hyeme comparatis, ineunte vere, quod

faustum felixque, Deo adiuvante, futurum confidimus, ad certam victoviam navigare possitis; quamombrem Caesari, coeterisque principibus rescripsimus, collaudantes eorum egregiam voluntatem, ut ex nostrarum ad illos litterarum exemplis intelliget tua devotio, neque eos defuturos credimus, quin certatim ad tantae laudis participationem, promissa pecuniarum auxilia, conferant. Reliquum est ut devotio tua cum vestri ordinis causa agatur, explicet in hac expeditione suscipienda animi sui magnitudinem agatque Deo gratias, quod eam ad tantae laudis fructum reservavit; sed omnis in celeritate spes est, neque enim si differatur, eosdem in Oriente amicos, neque eandem habebitis occasionem. Significant enim nobis per litteras, quas proxime ab illis habemus quarumque exemplum ad vos mittimus, magnopere vereri se, ne patefactis consiliis nostris, ipsi cum liberis ac coniugibus immanissimis hostibus ad cruciatum ac supplicium relinquantur. Ideoque summis precibus petunt ut aut occasionem rei perficiendae arripiamus, aut quamprimum significemus, nos eam curam abiecisse, quo se ex hostium faucibus, maximo periculo, atque indignissima servitute paulatim possint subducere, quamobrem dev.nem tuam requirimus, ac monemus, ne velit nos qui huius negocii procurationem apud principes, vestri potissimum ordinis amore ducti, suscepimus, videri aut in hanc spem leviter inductos, aut tantum christianae reipublicae commodum neglexisse. Est etiam dev.ni tuae memoria repetendum in quibus, quantisque periculis versatus sit et versetur adhuc ordo vester ob principum discordias, qui si ab altero eorum labefactari coeperit universi ruinam consequi necesse est ut apertius cum eodem fr. Antonio sumus locuti, nostrum est hoc consilium ut, tametsi Caesar ita oratoribus vestris respondit ut Melitae insulae obtinendae spem nullam videamus, tamen ad occultandum consilium profectionis ad s.tam expeditionem opportunum sit vulgari devotionem tuam constituisse, cum primum per anni tempus licebit, Melitam cum universo conventu navigare interimque, summo studio, classem rebus omnibus ad orientalem navigationem instruere, hominemque cum nostris litteris ad Caesarem ad christianissimum ad Angliae et ad Portugalliae reges mittere, qui eis significet, vos ad orientalis negocii executionem primo appetente vere navigaturos, atque etiam in Orientem seu fratrem Antonium seu, si ipse non possit, eundem qui

nuper inde rediit remittere ad confirmandos amicos. Quod ad nos attinet, utinam vires haberemus totius huius expeditionis nostris opibus suscipiendae. Sed tamen quicquid habemus virium, atque auctoritatis, id totum vobis promptissime pollicemur. Atque in Deo confidimus, omnia vobis, ut cupimus, successura; nec vero illud verendum est, ne si res ab initio bene successerit ante ab hostibus finitimis, ac potentissimis opprimamini, quam auxilia vobis submitti possint. Prestabimus enim nostram, ac reliquorum principum fidem in vobis totis viribus defendendis. Quae quidem nos omnia eo prolixius scripsimus ut, si ita devotioni tuae videbitur, iis quos fecit ab initio huius negociationis participes has nostras litteras ad eos sua sponte propensos magis etiam ad tantam laudem excitandos communicare possit. Illud omnino a te requirimus ut si, quod nollemus, aliquo vos casu impediti proximo vere rem aggredi posse diffidatis, significes nobis qui sit animus vester, ut apud reges, tantae occasionis praetermissae culpa nos liberemus, iisque quorum fides, studiumque ad hanc rem, nos de eorum salute habet sollicitos, orientalibus amicis significemus, ne diutius nostra expectatione suspensi periclitentur. Quemadmodum de his etiam latius nostro nomine, cum devotione tua loquetur idem frater Antonius, cui plenissimam in his fidem habebis. Datum Romae etc. die xx. Novembris mdxxviii. Anno quinto.

Blos.[1])

[1]) Blosius Palladius Castroveteri in Sabinis ortus, fuit a secretis Clementis VII. Pauli III. et Julii III. pontificum.

VARIORUM EPISTOLAE ET ACTA
CLEMENTIS VII. EPISTOLAS ET GESTA ILLUSTRANTIA,
EX VATICANIS TABULARIIS EDITA.

196.

Archiepisc. Treverensis Clementi VII.
(Litt. principum. I. fol. 12).
(14. Mart. 1523).

Beatissime pater post devota beatorum pedum oscula paratissimum obsequendi affectum.

Beatissime pater domine clementissime, cum Sancta Romana Ecclesia cunctarum mater, pro affectu ceteris ecclesiis, non secus quam mater filiabus, in necessitatibus subvenire soleat, sitque sanctitatis vestrae, inter ceteras sanctae matris ecclesiae sollicitudines, hec non minima, qua sanctitas vestra aciem suae considerationis extendit, ut sanctae matris filie, felici ducte regimine a noxiis preserventur, ne destitutis prelatis, perpetua lugeant viduitate, sed ut optatis proficiant incrementis; cum itaque sanctitatem vestram haud lateat quanta iniuria ac damno irreperabili Reverendus in Christo, et illustris dominus Johannes episcopus Hildesemensis ab adversariis suis affligatur, et in ea bellica calamitate suae ecclesiae bonis et terris spoliatus, iam iam nusquam tutus, veluti in exilium pulsus, omni amicorum presidio etiam relictus, misere circumferatur, et ea res ceteris, contra ecclesias seviendi intollerabile et ignominiosum prebitura sit exemplum (nisi a sanctitate vestra tanta iniuriarum et invasionis vis iusto obstaculo compescatur); cumque prefatus episcopus (quem profecto vite et morum integritate conspicuum, suaeque ecclesiae fidelem administratorem, semper comperi) mihi sit quodam singulari charitatis vinculo iunctus, ac precibus

institerit, quo eum et eius iustissimam causam apud sanctitatem vestram intercessione foverem; idcirco uti rerum ecclesiasticarum conservationi pro viribus enitar, ita oppressae Hildesemensis ecclesiae periculis succurrere cupiens, vestram sanctitatem obnixe rogo quatenus dignetur, ante dicto episcopo et ecclesiae suae gratia et favore prodesse et quam benignissime committere, ut ea causa que modo in rote iudicio indecisa illic pendet, indilate definiri possit.

Necnon pro vestrae sanctitatis clementia efficere, immo et apud caesaream maiestatem intercedere, quo lata demum in eo negocio sententia, absque ulla mora executioni mandetur. In eo vestra sanctitas aget rem sua sanctitate et Sancta Romana Ecclesia dignam, mihi quoque longe gratissimam, erga sanctitatem vestram, quam Deus, opti. max. felicem diutissime conservet, obsequiosissimo studio remerendam.

Dat. Nuremberge xiv. Martii. Anno mdxxiii more Treverensi.

S. V. devotus

Richardus archiepiscopus Treverensis et princeps elector.

197.

Ferdinandus arch. Austr. Clementi VII.

(Litt. principum. I. 5).

(4. Dec. 1523).

Sanctissime et beatissime pater, domine, domine clementissime. Post beatos pedes osculatos humilem comendationem. Beatissimus vestri antecessor fel. record. Adrianus VI. acceptis cordi continuis incursionibus et hostilibus procellis que meis subditis a perfidissimis sancte nostre fidei hostibus, immani Turcharum gente, inferuntur, ac plerisque aliis necessitatibus que quotidie accidunt, quo me statusque populosque meos commodius tuerer, propulsaremque saltem vim donec semel generalis illa expeditio in eos moveretur paternis subsidiis me adiuvare dignatus est. Concessit enim mihi, liberumque fecit tradita ampla facultate sua, ut per universas ditiones meas a clero tertiam proventuum suorum ecclesiasticorum partem pro uno anno exigere colligereque possem, quanquam ex instituta collectione ad hunc diem nullus obulus provenerit; cumque nihilominus futuro vere mihi stet animus contractis qualibus-

cumque copiis et presidiis me Turcicis motibus, qui iam ante oculos meos obversantur, obiicere; hoc vero auxilio nonnihil res viresque mee firmentur, quo id liberius mihi a prefato clero exigere liceat, illi autem preripiatur causa differendi huius auxilii, velut iam ob Adriani decessum extincte simul gratie, beatitudinis v. opem invocandam duxi quam mihi negotio adeo necessario presentem omnino polliceor, quam unice rogatam esse velim ut, consideratis meis necessitatibus, dignetur hanc çoncessionem gratiamque mihi per ipsum Adrianum nuper factam ratam gratam habere cónfirmareque sacro suo diplomate. Preterea cum idem Adrianus premissorum intuitu ad eorumque effectum facilius assequendum certas indulgentias sub cruciate nomine publicandas indulserit, quas tamen ego consulto divulgare distuli donec observabiles sacri jeiunii quadragenarii dies in propinquo essent, eandem beatitudinem v. implorandam duxi, ut in hac parte suo paterno favore mihi adspiraret. Certe beatitudo v. faciet premissis imperatis non solum pro defendendis meis provintiis propemodum in ipsorum hostium faucibus ex Croatico latere constitutis necessariam, sed etiam universe christianitatis salute plurimum accedet. Siquidem de his propugnaculis quod longe dextra Dei avertat, hostili manu subactis, quantum post malorum maneat ceteros ipsius christianitatis status, beatitudo v. ut est incomparabili sapientia, facile coniicere poterit. Quam Christus cuius in terris vicem refert felicem et incolumen a communique hac calamitate utcumque cervicibus nostris imminenti conservare dignetur. Datum Norimberge die iv. mensis Decembris. Anno Domini mdxxiii.

S.tis V.

Humilis et obsequens filius Ferdinandus p. Hisp. ar. Austr.

198.

Ferdinandus arch. Austr. Clementi VII.
(Litt. principum I. 6).
(17. Dec. 1523).

Sanctissime ac b.me pater dne. d. clementissime. Post beatos pedes deosculatos humilem comend. Commisi nobili fideli nobis dilecto don Petro de Corduba comiti Capre militi ordinis s. Jacobi consiliario

nostro et supremo scutifero ut post gratulationem nomine meo factam et paratissimam obsequiorum meorum tanquam obedientissimi filii sui exhibitionem, nonnulla sanctitati v. declaret que concernunt necessitates meas et damna quorum partem iam per perfidos hostes Turcos accepi, et certa etiam maiora manent, non solum ab eis sed etiam domesticis inimicis, qui demonis instinctu evangelicam charitatem pretexentes ira intus et odio stimulati gregem Christi in hac natione nova doctrina imbuunt, sanctissimi pontificis nomen proscindentes et quotquot absque delectu etiam qui ab ecclesiasticis ritibus et sacramentis adhuc stant vilipendentes. Preterea certas mihi factas gratias et paternas ab ista sede provisiones exponet, quas non solum a beatitudine v. ratas et gratas, verum etiam, ut est beneficentissima, ampliores locupletioresque speraverim me impetraturum, maxime quod ego dies noctesque meditor et cogitem *(sic)* de modis quibus adversus Turcum hostem communem christiane fidei et sectatores nimis alte iactorum zizanie seminum me obiicere possim, sicut latius ex prefato oratore meo hec omnia et que ex illis dependent intelliget. Rogans omni filiali studio paternam clementiam vestram ut non modo ipsi referenti aures suas prebere velit, sed etiam cordi et ea fide percipere ut ipse sentiam et opem et consolationem beatitudinis v. nam eo res rediit ut meis viribus longe impar sim ut vel alteri hostium me opponam. Et tamen decimus, ut aiunt, conatus tentandus est, quem alacri affectu intrepidoque et infracto animo ipse ego experiar dum mihi vires aliunde suppeditate fuerint; quas ut confidenter requiro ita propter communem necessitatem, neque enim soli mihi seram et metam, me spero reportaturum a beat. v. in quo mihi adhuc una salutis spes manet; cuius effectu ut digni simus faciat Christus, sine cuius favore quidquid mortales agunt fumus est et umbra. Hunc interim ego iugibus precibus pulsabo ut tandem aperiat, misereque afflictam christianitatem respiciat et sanctissimum pastorem equeque vigilantem quam diutissime conservet. Datum Nuremberge die xvii. mensis Decembris. Anno domini mdxxiii.

Humilis et obsequens filius Ferdinandus p. His. ar. Austr.
Ja. Spiegel.

Eodem die scribit pontifici inter alia: „Opto autem, p.ʳ sanctissime

ut Christus b.nem v.mem faciat triumphare tum contra legis sue hostes perfidissimos Turcos, quam domesticum eius inimicum, vipereum virus in ecclesiam eius evomentem, pro quo extirpando quantum laboris molestieque et periculi insumpserim acceperim et expectem eadem cognoscet ex relatione prefasi dni. Petri."

199.

Clemens VII. Petro Francisco Leonardo clerico fanensi civitatis nostrae Assisii Cancellario.

(Clem. VII. Brevia l. I. ep. 73. fol. 122).

(26. Dec. 1523).

Dilecte fili etc. Volentes te ob egregias virtutes tuas, et sincerae devotionis affectum, quam ad nos et Romanam Ecclesiam gerere comprobaris, specialibus favoribus et gratiis prosequi, ut asseris, dilecti filii nostri Silvii tituli sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis familiaris continuus commensalis existis, et alias in cancellaria civitatis nostrae Assisii per certum in partibus illis Apostolicae Sedis legatum sufficienti ad id, ut asseritur, potestate munitum deputatus; deinde per felicis recordationis Leonem Papam X. praedecessorem nostrum auctoritate apostolica confirmatus fuisti, licet quibusdam supervenientibus impedimentis, possessionem illius non fueris assecutus, eadem auctoritate te cancellarium dictae civitatis ad beneplacitum nostrum facimus, constituimus, deputamus, tibique officium praedictum cum omnibus et singulis illius honoribus, oneribus, salario et emolumentis consuetis per te ipsum, vel idoneum substitutum ad id per te deputandum, regendum, et exercendum concedimus et alligamus; mandantes dilectis filiis legato et thesaurario provinciae nostrae Umbriae, nec non prioribus et officialibus dictae civitatis, ac omnibus et singulis aliis, ad quos pertinet, sub poena indignationis nostrae, quatenus te, et eundem substitutum ad officium huiusmodi eiusque liberum exercitium, necnon honores, onera, salarium et emolumenta praedicta absque aliqua exceptione, vel dilatione admittant, tibique de salariis, et emolumentis praedictis temporalibus congruis integre responderi faciant, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatis et

provinciae praedictarum, iuramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; nec non quibusvis aliis concessionibus de dicta cancellaria quomodolibet, et ex quacunque causa in perpetuum vel ad tempus per praefatum Leonem, vel per Adrianum Papam VI. praedecessores nostros cuivis alteri factis, quasi illarum tenores actis de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro expressis habentes revocamus, cassamus et annullamus, coeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod antequam huiusmodi officium exercere incipias de eo fideliter exercendo solitum iuramentum in manibus legati praedicti vel eius locumtenentis praestare tenearis.

Dat. etc. xxvi. Decembris mdxxiii. Anno primo.

200.

Franciscus Rex Galliae Clementi VII.

(Litt. princ. I. 15).

(2. Jan. 1524).

Tressainct Pere. Nous avons entendu par entremise de notre ame et feal cousin le Compte de Carpy la resolucion par effect promise conclutte et arrestee par votre S.te sur le fait de la declaracion par nous tant desiree. Qui nous ont este nouvelle si tresplaisanctes et agreables quil ne seroit possible de plus pour la bonne et grande esperance que nous avons que d'icelle declaracion perturira ung moyen tel que votre S.te depuis son assumption a la dignité papalle a tous nous a monstre plus appeter et desirer. Remerciant tant et si très-affectueusement que faire pouons icelle v.re S.te laquelle nous supplions et requerons vouloir croyre a notre cousin de Carpy entierement de ce qu'il lui exposera de notre part tout ainsi quelle voudroit faire nous mesmes. En quoy faisant elle nous fera tresgrant plaisir. Et atant tressaint pere nous prions le benoist fils de Dieu quil vueille icelle v.re S.te longuement maintenir preserver et garder au bon regime et gouvernement de notre mere sancte eglise. Escript de l'abbaye de saint Lafranc pres Pauys le dux.me jour de Janvier mdxxiv.

Très-devot fils le roy de France duc de Millan seigneur de Gennes

Francoys.

Le Breton.

201.

Clemens VII. Wilhelmo et Ludovico Bavariae Ducibus.

(Brev. ep. 68. fol. 155).

(15. Jan. 1524).

Dilecti filii, salutem. Dudum postquam fel. re. Adrianus Papa VI. praedecessor noster pro parte dilecti filii nobilis viri Ferdinandi archiducis Austriae expositum fuisset maximum periculum, in quo archiducatus Austriae, aliaque ipsius Ferdinandi dominia constituta essent, et vehemens desiderium, quod idem Ferdinandus non minus ad consulendum christianae religioni in communi, quam sibi archiducatui, et aliis dominiis praedictis privatim arderet furiosis conatibus immanissimi Turcae tyranni universam christianitatem delere satagentis potenti manu occurrere; sed ardorem animi sui illum implere non posse, nisi per ipsum praedecessorem ei tertiam partem omnium proventuum ecclesiarum ab ecclesiis tam saecularibus, quam regularibus per aliquas personas ecclesiasticas ad id ab ipso praedecessore deputandas exigendi, et in expeditionem ab ipso institutam erogandi facultas concederetur; dictus praedecessor ob magnitudinem periculorum toti christianitati, amissis Belgrado in Hungaria, et Rhodo in Oriente, imminentium, ipsius Ferdinandi voto, ac proposito adesse, et favere volens, tertiam partem praedictam fructuum, reddituum, et proventuum ecclesiarum in archiducatu Austriae, ac dominiis praedictis consistentium, ad unum annum dumtaxat per venerabilem fratrem episcopum Tridentinum exigendam, et in subsidium expeditionis praedictae, et non in alios usus applicandam, ipsorum fructuum, reddituum, et proventuum possessoribus per quasdam imposuerat. Cum dictus Ferdinandus archidux eidem praedecessori pro extensione dictae impositionis ad alia quaedam dominia a loco dicto archiducatui, et aliis ipsius Ferdinandi, vicinia supplicasset, et huiusmodi extensio utramque Bavariam comprehendere videretur, ac idem Ferdinandus nomine vestro apud ipsum praedecessorem super huiusmodi impositione in ducatu vestro concedenda per suas literas interpellasset, praefatus praedecessor etiam ex causis tunc expressis, motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, per alias suas literas quintam partem omnium fructuum etiam

unius integri anni a die publicationis posteriorum litterarum huiusmodi computandi, cathedralium, et metropolitanarum, et aliarum ecclesiarum, necnon monasteriorum, prioratuum, etiam conventualium, praepositorum, dignitatuum, personatuum, administrationum, et officiorum, canonicatuum, et praebendarum, aliorumque cum cura, et sine cura saecularium, et S. Benedicti, S. Augustini, Cisterciensium, Cluniacensium, Praemonstratensium, Cartusiensium et aliorum quorumvis ordinum, tam virorum, quam mulierum, etiam mendicantium, et ex privilegio, vel alias certos redditus habentium, ac regularium militiarum quarumcumque, etiam beatae Mariae Theutonicorum, etiam quorum redditus ad hospitalitatem deputati existebant, in ducatu, et aliis dominiis, terris, et locis vobis subjectis consistentium tamen comunem verum annuum valorem, ab omnibus archiepiscopis, episcopis, electis, abbatibus, abbatissis, prioribus, commendatariis, capitulis, guardianis, caeterisque personis ecclesiasticis saecularibus, et regularibus etiam mendicantium, et militiarum praedictarum magistris, prioribus capellanis, bailivis, praeceptoribus huiusmodi fructus in ducatu, dominiis, terris et locis praedictis percipientibus, et habentibus, et qui illos infra unum annum dumtaxat perciperent, et haberent, cuiuscumque praeeminentiae status, gradus, ordinis, et conditionis existerent, personis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium dumtaxat exceptis, in terminis, et locis congruis per infrascriptum subcollectorem, aut ab eo potestatem habentem statuendis, vel declarandis, exolvendam, colligendam, levandam, et instituendam, ac vobis, seu a vobis deputandis, postquam exacta, in fidei opus, sanctamque expeditionem, ac defensionem, et tuitionem huiusmodi dumtaxat, per vos convertendam imposuit; ac dilectum filium abbatem monasterii Fontis Wessonis ordinis sancti Benedicti Augustanae dioecesis quintae partis fructuum beneficiorum huiusmodi collectorem, et exactorem constituit, et deputavit exigi quintam partem fructuum unius anni, ut praefertur, computandi beneficiorum huiusmodi, ab huiusmodi archiepiscopis, episcopis, electis, administrationibus, abbatibus, abbatissis, conventibus, commendatariis, et aliis personis praedictis, petendi, colligendi, et exigendi, ac eis in genere, nominatim, et in specie, ut illam solverent, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis omnium, et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum per eos tunc, et

pro tempore obtentorum, et aliis de quibus sibi videretur, poenis, etiam pecuniariis, mandandi, ac terminum ad id praefigendum, et praefixum semel, et pluries, ac quoties sibi videretur, prorogandi, et pro eiusdem quintae partis fructuum, redditaum, et proventuum leviori, et faciliori exactione, unum, vel plures, ac tot quot sibi videretur subcollectores, qui pari, qua ipse abbas, dictarum posteriorum litterarum vigore fungi poterat, fungerentur facultate, tam generaliter, quam nominatim in specie deputandi, et deputatos amovendi, et alios eorum loco, quoties tibi videretur, surrogandi, nec non quintam partem fructuum huiusmodi solvere recusantes, et differentes, et generaliter contradictores quoslibet, et directe, vel indirecte, ne solveretur, persuadentes, per censuram ecclesiasticam, et alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendi, invocato etiam, si opus foret, auxilio brachii saecularis, et alia tunc expressa faciendi facultatem concessit, prout in singulis litteris praedictis, in quibus voluit quod pecuniae ex fructibus beneficiorum huiusmodi colligendae in una capsa in qualibet dioecesi dominiorum suorum sub tribus clavibus per tres tunc expressos tenendis poni, et de capsa minime extrahi deberent, nisi cum inventario coram notario, et testibus, et aliis personis fide dignis conficiendo; quodque ab eorumdem ducum manibus non devenirent, nisi pro dicta fidei defensione, plenius continetur. Cum autem paulo post dictus Adrianus, sicut Domino placuit, de medio sublatus fuerit, et nos, divina favente clementia, ad summi apostolatus apicem assumpti, quascumque decimarum, et onerum impositiones, quae ab ipso praedecessore, etiam in subsidium expeditionis cortra Turcas emanaverant, et tum super decimarum, et onerum huiusmodi exactione concessas facultates revocaverimus, sic quod debitus posteriorum litterarum huiusmodi effectus subsequi nequiverit; Nos attendentes, quod causae, propter quas posteriores litterae praedictae concessae fuerunt, adhuc subesse noscuntur, ac cupientes periculo christifidelibus ducatus, dominii, terrarum, et locorum praedictorum imminenti, quantum cum Deo possumus, occurrere; et ne propter revocationem nostram huiusmodi de viribus ipsarum posteriorum litterarum valeat haesitari, providere, impositionem quintae partis omnium fructuum unius integri anni ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum, et religiosorum locorum huiusmodi ab archiepiscopis, episcopis,

electis, administrationibus, abbatibus, abbatissis, conventibus, commendatariis, et aliis personis praedictis exigendae, ac illius collectoris, et exactoris deputationem, necnon facultatum concessionem per dictum praedecessorem in ducatu, dominio, terris, et locis vestris factas huiusmodi, ac desuper confectas litteras praedictas, cum omnibus, et singulis in eis contentis clausulis adversus revocationem litterarum huiusmodi, ac in pristinum, et in eum in quo ante revocationem ipsam quomodolibet erant statum, ita ut dictus abbas ad totalem ipsarum litterarum executionem libere procedere possit in omnibus, et per omnia, perinde ac si revocatio nostra praedicta nullatenus facta fuisset, auctoritate apostolica tenore praesentium restituimus, reponimus, et plenarie reintegramus, ac repositas, restitutas, et reintegratas, necnon validas, et efficaces existere; necnon archiepiscopos, episcopos, electos, administratores, abbates, abbatissas, conventus, commendatarios, et alias personas praedictas ad solutionem quintae partis omnium fructuum unius anni integri teneri, et ad id tam posteriorum praedictorum, quam praesentium vigore per abbatem, et ab eo deputandos praefatos per censuras, et poenas praedictas cogi, et compelli posse, et hi per quoscumque iudices quavis auctoritate, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et diffiniri debere; ac quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus, non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis, quae in posterioribus litteris Adriani praedecessoris huiusmodi concessum fuit non obstare, et quae pro repetitis haberi volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. Decernentes transumptis praesentium manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eandem prorsus fidem ubique adhiberi debere, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae die xv. Januarii mdxxiv. Anno primo.

Evangelista.

202.

Adrianus de Croy Clementi VII.
(Litt. diversor. ad Clem. II. 138).
(15. Jan. 1524).

Sanctissime ac beatissime Pater!

Despues de besar muy humilmente los pies a v. beatitud le hago saber como ayer aribe aqui y parti de Panplona a los xv. del mes passado, adonde dexe el emperador mi señor muy bueno a Dios gracias, y su magestas me ha mandado venir en Ytalia por su enbaxador general y lo principal para servir a v. s. y hazer todo lo que aquella me mandare por bien que al tempo que yo me parti no tenia enteramente la nueva que v. s. fuesse elegido en el grado de summo pontifice sino por algunos passageros que passaron con ona carrata que partio desta Ribera de Genova que dezian averlo entendido por la marquesa de Final y dello no levaron ninguna carta y tanbien por via de Francia avia entendido su Mag. como los cardenales sus amigos avian creado pontifice a v. s. y los del rey de Frantia a otro; y para esto yo tenia comission de poner todo el estado y exercito que tiene su Mag. en Ytalia an servicio de v. beatitud. Dios sea loado de la pacifica y canonica creacion de v. s., a los pies de la qual yo sere muy presto para besarlos de parte del enperodor mi señor y a darle quenta de todo lo que su Mag. me ha mandado; y pues sere presto con v. s. por esta no dire hotra cosa sino que sepa de mi venida y que no me detendre sino por comunicar algunas cosas con el duque de Borbon y con el viso rey de Napoles que todo sera en breves dias y en lo de mas me remito alo que entendera v. s. por el duque de Ssesa a quien su Mag. escrive largamente de todas cosas. Nostro segnor Dios guarde muy luengamente la vida de v. s. y conserve y aumente su santissimo estado a su santo servicio como por v. beatitud es deseado. De Genova a xv de henero mdxxiv.

De v. beatitud
el mas devoto fizo y servidor
que sus santos pies humilmente besa
Hadrien de Croy.

203.

Liga Helvetiorum Clementi VII.

(Litt. princ. I. 20).

(29. Jan. 1524).

B. Pater. Vestrae sanctitati nos humillime et usque ad beatorum pedum oscula recomendamus. Sanctissime pater, in hac nostra generali congregatione a certis nostris subditis accepimus qualiter preteritis annis sub pie memorie Leoni vestre sanctitatis predecessori eidem et Sancte Sedi servierint bene et honeste; sed tandem, qua de causa ignoramus, ad patriam absque plena solutione stipendiorum reversi sunt, nos exhortantes ut pro ipsis erga sanctitatem vestram que de his omnibus bene instructa est, intercedere velimus ut adhuc restantem solutionem consequi valeant. Nos igitur, cogitantes quanta negotia Sancte Sedi ac Petri navicule interdum se ostendunt et quod nos vestigia predecessorum nostrorum optimo animo et precipue erga sanctam ecclesiam Romanam ut nostri subditi si opus fuerit in pristino ipsorum animo et voluntate serviendi perseverent, maxime ad hoc acquievimus ipsorum petitionibus. Quapropter, sanctissime pater, sanctitatem vestram humilime rogamus ut visi prescriptorum subditorum iustis rationibus, illa tum agere et procurare dignetur ut de restanti stipendio pie et gratiose persolvantur. Nos ideo, si opus fuerit (quod Deus avertat) nostris servitiis et auxiliis illa sancti. v. et Sancte Sedi minime denegaturi, nos iterum v. s. uti obedientissimi filii humilime recomendamus. Ex Lucerna et generali nostra congregatione sub sigillo eorundem omnium nostrum nomine vigesima nona Januarii. Anno mdxxiv.

Eiusd. s. v.

Devotissimi et obedientissimi filii oratores lige Helvetiorum.

204.

Liga Helvetiorum Clementi VII.

(Litt. princ. ad Clem. II. 162).

(1. Febr. 1524).

Beatissime pater et domine, domine nobis sing.me. Ex hac universali dieta alias nostras ad sanctitatem vestram conscripsimus litteras cum gratiarum actione ad omnipotentem Deum et congratulatione vestre

sanctitati ob assumptionem suam ad supremi pontificatus dignitatem et coronam; quas in ceteris replicare non est opus, nisi quod nos universos vestre sanctitati quamhumillime tanquam devotissimi sibi subiecti commendamus. Nunc autem quia non ignoramus sanctitatem v. plurimum dilexisse ill. d. comitem Ludovicum Borromeum confederatum nostrum percarissimum cui multa per nos deberi profitemur, confidimusque cum ob hoc tum ex fide quam integgerime habemus, quod s. v. dignabitur nobis et supplicationibus nostris gratiam suam impartiri et omni nationi ostendere, quod a s. v. nos non spreti non oblivioni traditi sumus, sed precordiis suis pro veris caris et fidelibus nedum servis sed amicis et filiis ab eadem sanctitate vestra recomendati, ideo ad omnipotentis Dei laudem et gloriam sanctitatisque vestre decorem et universe lige nostre honorem et comendationem supplices humillime exoramus et deprecamur eandem sanctitatem vestram ut dignetur nostri et universe nationis Elvetiorum amore et intuitu rev.dum Carolum Borromeum apostolicum prothonotarium filium predicti comitis creare et erigere sacros. Romane ecclesie cardinalem; sibique de aliquibus condecentibus benefitiis providere; et in hac nostra universitate dictam concessionem, expeditionem, et gratiam sicut optamus destinare; ut eo domino Carolo ad nos accersito, Deum laudantes et vestre sanctitati gratias referentes, dicti cardinalatus erectionem nosmet ipsi sollemnizemus; et ipsum dominum Carolum postmodum ad conspectum vestre sanctitatis concomitari faciemus, ut reverentiam seque totum vestre sanctitati et in eius suprema potestate nobiscum exhibeat, quod ideo magis et efficacius de gratia speciali vestre sanctitati supplicamus quum omnem ipsorum patris et filii gradum et qualitatem nostre nationis propriam et in universo et in particulari reputemus. Et exinde s. v. nos in cunctis inspectionibus et optatibus suis obnoxiores habebit, cui nos supplices humillime iterum atque iterum concedemus eidem quicquid est virium nostrarum offerentes. Datum in universali dieta Lucerne celebrata die i. Februarii. Anno mdxxiv cum sigillo dominorum Lucernensium confederatorum nomine nostri omnium etc.

E. s. v. devot. et humillimi servi et subiecti

Universe lige Elvetior. Alamannie
superioris oratores in Lucerna congregati.

Iterum eadem scribunt die xx. Februarii. (Diversor. II. 170).

205.

Episcopus Lingonensis Clementi VII.
(Epist. princip. III. 19).
(11. Febr. 1524).

Sanctissimo domino nostro pape Clementi VII. devote subiectionis obsequium.

apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verba et verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, cassationis, irritationis, revocationis, annullationis, approbationis, confirmationis, statuti, decreti, ordinationis, concessionis, restitutionis, inhibitionis etc. mandata infringere etc. Siquis etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno etc. Millesimo quingentesimo vigesimoquarto, vii. kal. Septembris, pontificatus nostri anno primo.

225.

Communitas Senensis Clementi VII.
(Litt. princ. II. 273).
(20. Sept. 1524).

Cum hactenus s. b. t. comunem christianae totius reipublicae custodem ac protectricem cognoverimus tanquam verissimi sedis apostolicae filii eius opem, quotienscumque ea indigemus, confidentissime imploramus; quamombrem cum hac nocte elapsa per cives nostros reipublicae libertas recuperata sit ac tyrannica omnis vis e patria pulsa, cum vero hoc divino nutu absque ulla cruenta civium nostrorum caede successerit, libertatem ipsam communi civium omnium consensu pro viribus tueri proposuimus. Sanctitatem igitur tuam b. tanquam clementissimam Christianorum omnium tutricem obsecramus ut nostram (Sedis apostolicae scilicet filiorum) libertatem conservare atque augere non desinat. Nos vero merito in Sedem apostolicam obsequio nunquam defuturos pollicemur, qua in re misissemus hactenus ad b. tuam oratores nostros; sed cum res tam recenti motu non adhuc omnino sedatae sint, hoc cumprimum quieta erunt omnia efficere decrevimus. Ex palatio nostro die xx. Septembris mdxxiv.

Devotissimi filii servitores
priores, gubernatores communis et capitaneus
populi civitatis Senensis.
Marius de Bandinis.

226.

Vicerex Neapolitanus Clementi VII.
(Litt. princ. II. 290).
(11. Oct. 1524).

A los ocho del presente screvi a v. s. lo que se sintia de la venida del rey de Françia en Italia, despues se ha çertificado de nuevo y que a los xv o xvi del presente llegara a Susa. El exercito del imperador a los siete partio de Niça por la via de la ribera de Genova, y espero que llegara tan presto al Piamonte como el rey de Françia a Susa, y en todo, mediante Dios, procurare con el consejo y ayuda de v. s. que se ponga el recaudo que convenga segun que mas largamente lo entendera v. b. por el ill. duque de Sessa al qual scrivo particularmente lo que me occurre a tal effecto; con toda reverencia y humildad supplico a v. s. que luego se determine y me mande avisar de lo que mas fuere servido, por que en ninguna cosa me empleare con mas contentamiento que sirviendo a v. s. en cosa que le sea grata . . . De Ast a xi. de Octobre mdxxiv.

Di Lanoy.

227.

Clerus Avenionis Clementi VII.
(Litt. princ. II. 305).
(24. Oct. 1524).

. . . Audivit v. s. fuisse proxime nec diebus sane paucis et apud et circum nos christianissimi regis castra et exercitum; ab hoc milite tantum illatum est damni frugibus rebusque omnibus ut quodcumque erat huic clero reddituum ita insumptum sit ut contra Christi disciplinam de crastino cogamur esse solliciti, cum nihil aut parum prorsus reliqui nobis idem fecerit miles quod ad animi victum reponeremus. Affecerant nos annis superioribus pestilentia, decime, gravis christianissimi regis impositio in cuius ditione proventuum nostrorum pars est multo maxima; deduxit nuper miles ad extremum usque spiritum; nunc autem crucat *(sic)* quod r. d. cardinalis Armelini mandato huc

venit qui se commissarium dicat ad alteram Adriani pontificis decimam exigendam, quam quum initio sue assumptionis v. s. revocasset, summopere letabamur, v. clementiam collaudantes quod tam pie nobiscum ageret; at vero nunc eam repetere post mala tam gravia tamque recentia non potest non afferre tristitiam, cum ad haec nisi nos vestra misseretur pietas, adigamur ut et vasa sacra vel pignori demus aut distrahamus et aegre nos hoc anno sustentemus. Utrumque sumus potius perpessuri quam v. s. imperata non exequi, cuius dicto ad mortem usque esse volumus audientes. Clementiae vestrae fuerit arbitrare si nos ii sumus filii ac servi qui simus misericordia non indigni; seu tamen digni simus ea seu minime cogit necessitas hanc ut petamus. Quanto igitur possumus et instantia et humilitate a v. s. efflagitamus clementissime pater, ut hoc quidquid est oneris decimarii filiis suis servisque dignetur remittere, praebereque spatium a tot tantisque malis nonnihil respirandi. Nos vero pro tanto beneficio v. sanctitatis vitae felicis diuturnitatem magis in dies atque magis apprecabimur, petentes insuper ut nedum vestrae voluntatis expectamus declarationem iis censuris involvamur quae nobis ab asserto comissario non vocatis sunt indictae intra calend. Decembris non solventibus, cum neque de commissarii ipsius potestate nobis appareat et huius decimae revocationem v. s. regulae ostendant. Avenion ix. calen. Novembris mdxxiv.

Devotissimi filii servique obedientissimi
Clerus Avenionis universus.

228.

Quadraginta Bononiae Clementi VII.
(Litt. princ. II. 309).
(25. Oct. 1524).

Inopinata rerum Mediolanensium conversione perculsi ac animo volventes quanti reges quantis opibus invicem concurrant armis et in ea Italiae regione unde facilis ad nos cursus victori foret, inprimis admonemur ut rebus huius vestrae civitatis, ut securitati presentis status, ut denique nostrae fidelissimorum sanctae matri ecclesiae servitorum conservationi et saluti consulere debeamus, cum non ab iis bellicis

motibus sit hominibus qui paci et ocio student, nunquam quicquam boni suspicandum. Res tamen Bononienses ea sunt conditione ut his temporibus ne aliquid detrimenti capiant maxima adhibenda cautio sit. Nam quanti referat qui magna moliri armis in Italia velit, eum huius civitatis ditionem potiri, et superioribus et nostris temporibus abunde edocti sumus, idque s. v. cuius omnes sapientiam admiramur, melius quam nobis notum esse oportet. Hanc ob rem ne officio deesse videremur eidem significandum esse duximus civitatem hanc suam nullo milite, nullo quoque presidio preter exiguam ordinariorum manum munitam esse, ita ut si quis nocendi nobis in animum induceret suum in id profecto occasionem facilem admodum et paratam habeat, nisi a s. v. que auctoritate pre cunctis atque opibus pollet istis imminentibus periculis obviam eatur. Petimus itaque a sanctitate v. atque omnibus votis obsecramus ut nulla mora centum gravis totidemque levis armature equites huc accedere iubeat, qui in presidio huius sue civitatis consistere debeant. His enim militibus tum etiam qualicumque nostra ope qui pro statu s. v. ut unquam antea tuendo vitam quoque et sanguinem profundere parati sumus, satis et nostre et status ipsius saluti prospici posse putamus. Cuius s.mis pedibus humillime quantum possumus commendamus. Bononiae die xxv. Octobris mdxxiv.

Dev.mi filii ac fidel.mi ser.tores Quadraginta.

229.

Carolus V. Clementi VII.
(Litt. princ. II. 323).
(31. Oct. 1524).

Nisi ipsa v. s. nobis longe melius cognosceret reque ipsa toties ostendisset quam parum et apostolicae Sedi et universae Italiae expediat Gallorum dominatum intra ipsos Italiae fines sustinere, pluribus cum s. v. in hanc sententiam verbis ageremus. Quorum quidem tanta pervicatia est, ut tametsi toties fracti nihil magis appetere videantur quam novo quodam furore semper in illam ferri, occupatoque Insubriae principatu ceu ex tutissima et maxime opportuna arce caeteras istius nobilissimae et alioqui pacatissimae provinciae partes excurrere assi-

duisque bellorum tumultibus eam passim infestam habere. Quo consilio bellum a nobis in Galliam translatum fuerit non ignorat s. v. et quam iustis de causis moti, quanquam etiam v. s. monitis, pro ineunda pace nos obsequentes hactenus praebuerimus. Quum vero ita acciderit ut dimissa Massiliae obsidione exercitus noster se ultra Alpes receperit, Gallus autem nova quadam veluti et insigni victoria exultans, (tametsi in conspectu nusquam nostri exercitus fuerit) ad Italiam vexandam denuo properare dicatur, quanquam non dubitemus s. v. facturam nihil a pristinis suis consiliis, suaque natura alienum: quinimo solita paterna charitate communem rem et dignitatem Italiaeque libertatem nosque ipsos amplexuram, nolumus tamen omittere, quin ad hoc ipsum nostris tum litteris tum caeteris qui ibidem res nostras procurant, v. s. hortaremur vehementerque rogaremus, quibus fidem adhibere dignabitur. Certe nihil a nobis praetermittetur quod ullo modo de nobis pro communi et re et amplitudine expectari possit. Valeatque v. s. quam felicissime. Datum in oppido nostro Tordesillas, die ultimo Octobris anno Domini mdxxiv. Regnorum nostrorum Romani sexto et omnium aliorum nono.

Carolus divina favente clementia electus Romanorum imperator semper Augustus ac Germaniae, Hispaniarum, utriusque Siciliae Hierusalem etc. rex.

230.

Dux Sabaudiae Clementi VII.

(Litt. princ. II. 330).
(3. Nov. 1524).

Dum r. archiepiscopus Capuanus huc novissime transiens michi plene explicasset v. s. nomine sue legationis causam, pater beat. quantumque e. s. paterne cupiat principum dissidentium animos ad conciliandam pacem afficere, decrevi subito, utpote qui inter ceteros his bellorum calamitatibus agitatos tam conveniens in terris et necessarium reipublice beneficium magis expetere debeo, studia quoque mea ad rem ipsam (e. s. duce) prorsus exibere. In medio enim, ita dici potest, bellorum positus nisi varias animi passiones cum patriarum et sub-

ditorum ruina et discrimine consequor nihil. Itaque dum audirem christianissimum regem ad transiliendas alpes accinctum bellorum tumultibus magis accensis, non solum temptavi aliqua pacis tractande media suadere, sed et illum dehinc admiratum Francie vivis hic afflatibus et illustrem viceregem litteris ac oratoribus ad rem ipsam inducere; sentiens autem inde utriusque animos ad hoc satis dispositos, rei conditionem litteris meis subito nuntiavi prefato r. archiepiscopo invitata paternitate sua ad uberiorem tractatus progressum. Cum autem pater bme. celerem eius adventum sperarem, quique collatis dehinc ad invicem agendis e. s. una de omnibus ambo certiorem redderemus, distuli hactenus hec illi nota facere; verum quia video adventum eiusmodi nimium remorari ac rem tam dignam tamque necessariam uberiori celeritate indigere, censui hec v. s. nuntiare. Quam humiliter deprecor dignetur in optimo firmande pacis proposito suo et benigne persistere et rem ad effectum deducere; ego enim pro viribus quantum in me est omnino conabor, studia et officia queque mea ad hoc interponere, existimans gratius ab me nichil e. s. effici posse nempe quem promptissimum et devotissimum filium inveniet semper; eandem in Sancta Sede sua diu felicissimeque preesse concedat altissimus. Ex Thaurino die iii. mensis Novembris (1524).

E. S. V.
Humillimus et devotissimus
Filius dux Sabaudiae.
Charles.

231.

Cives Hildesemenses Clementi.
(Litt. div. et princ. II. 343).
(7. Nov. 1524).

Beatissime pater. Accepto nuper brevi sanctitatis vestre paterne commiserationis ac consolationis pleno, mira animorum nostrorum gratitudine et voluptate ad meliorem spem erecti afficiebamur. Significatum etiam tum nobis extitit adversarios duces per brevia s. v. ut

mitius nobiscum agerent admonitos. Cumque paucis ante diebus eisdem ducibus per auditorem cause sub gravissimis penis ne exactiones aliquas in nos prediaque nostra imponerent esset inhibitum, his omnibus freti, sperabamus fore ut duces ab iniuriis aliquantisper temperarent, et nobis aliquando extreme afflictis respirare liceret; sed longe secus ac miseri opinabamur evenit. Hiis namque omnibus spretis omnique calcata modestia, adversarii immanius multo quam ante nullius rei habita ratione ferociunt. Parum ipsis est patriam nostram devastasse, civitates, arces ac villas innumeras occupasse, antistitem nostrum in exilium egisse, sanguinem denique innoxium et eum quidem christianum atrociter fudisse: nisi etiam prediola nostra admodum pauca ad divinum cultum et victum vix sufficientia, reverendissimo cardinali Moguntino ac Georgio Saxonie duce sic inter prefatos duces et nos componentibus, nobis egre relicta penitus diripiant. Medietatem namque omnium fructuum sibi vendicant, et quod reliquum est tantis exactionibus et datiis gravant un nihil vel parum inde ad nostrum usum deveniat. Quo fit bme. pater ut diuturnis cladibus exhausti et summa egestate laborantes, eo miseriarum devenerimus ut plurimi nostrum has tandem sedes et ecclesiam olim insignem deserere cogamur vel inedia et fame nobis pereundum sit. Provoluti igitur pedibus beatitudinis vestre ad quam unam in his augustiis vobis perfugium est, oramus ac quam possumus humillime per vulnera redemptoris nostri obsecramus ut cum sine exemplo in nos sevitum sit, opportunis tandem remediis nobis maturius subveniatur, neque s. v. malum hoc latius serpere neque nos utique Christianos ecclesie Romane obedientissimos, nihil tale meritos christianis armis deleri patiatur. Ut tandem pace et tranquillitate nobis reddita et beneficio et cura beatitudinis v. hac teterrima tirannide liberati securi ad Dei laudem et ecclesie Romane gloriam agere possimus; quo sanctitas vestra ecclesie nostre statum ac libertatem non solum recuperasse sed de novo instaurasse merito predicetur. Nos, quod incessanter et merito facimus, Deum precibus ardentissimis fatigare non desistemus ut beatitudinem vestram ad omnium Dei ecclesiarum tuicionem ac defensionem, nostre autem afflicte et propemodum perdite recuperationem sanam et incolumem tempora per longiora conservare dignetur. Cui nos ecclesiam-

que nostram devotissime ac humiliter commendamus. Datum Hildesem septimo idus Novembris anno Domini mdxxiv.

Eiusd. b. v.
Humillimi servuli Capitulum status ecclesiasticus,
Nobilitas et Consules Hildesemenses.

232.

Jo. M. Gibertus Clementi VII.
(Litt. var. et princ. II. 344).
(9. Nov. 1524).

Dopo che spacciai hieri da Sonzino el corriere, venni qua dove son stato hoggi aspettando un trombetta per condurmi al Ch.mo et venendo, come credo, sta notte, domattina a buon' hora partiro.

Ho parlato a lungo col s. marchese di Pescara, pregando s. E. che si come sinceramente ama V. B. così liberamente mi parlasse del stato dele cose di qua. Conferma quel che l'ill.mo s. Vicerè m'ha detto, se non in tutto, per la maggior parte, che nel regnò si è dato ordine di cavar c.m ducati li quali con li c.m ducati venuti di Spagna sono gran sostegno a mantenersi. Ma pure la spesa è grande et pensa che per essere il Ch.mo in persona farà l'estremo di possanza per non partir con vergogna, donde anche di qua sarà forza a voler star del pari che chi l'altre volte ha aiutato mostri la medesima pronteza per mantenere questo stato delle cose, et benchè signori Veneziani mostrino voler fare, pure nel ragionamento che questi signori hebbero l'altro dì presso a Crema intendo che stettero sopra li generali et le provisioni chel Duca d'Urbino fa di metter le genti ad ordine vanno assai lente. Pensa el s. Marchese che s.ri Venetiani stiano aspettando l'exito di Pavia et per questo sua Ex. fa chel perderla o mantenerla sia per portar gran momento alla inclination della vittoria Quel mo che sia per seguirne sta in la fortuna della guerra quale è sempre incerta. Dentro vi è bona gente per defenderla, ma grande l'apparecchio che l'Xmo. fa per darli la battaglia. Hieri s'intese che la battevano d'una banda con cinque et d'un altra con quatro canoni; hoggi non si è sentito poi altro. Referisce un trombetta qual vene hier di là che d'un tiro d'arcobuso

era morto Mons. de Longavilla. Questo trombetta venne ad accompagnare uno che'l castellano de Dondossola manda per domandar vittuaglia senza la quale dice non potere tenersi.

Dei x.^{m} Lanzeknech che l. s. Vicerè dice aspettare, crede el s. Marchese che vero sia che sua Exc. ne volesse quel numero, ma non già che siano per venirne molto più della metà, perchè sendo delli già venuti morti assai, molti tornati infermi, hanno tolto l'animo alli altri di venirci, et per questo difficilmente se ne ha gran numero, il che s. Exc. dice haver provato nella impresa di Provenza che da vi.^{m} che ne aspettava non ne hebbe più che ii.^{m}.

Qui ha sua Exc. da 3 o 4^{m} fanti et oltre al sito della terra forte come sa v. S. per haver da una parte il fiume, dall'altra potersi allagare, aggiunge alli ripari che prima ci erano due belli bastioni et non teme quando il Ch.^{mo} venga ad assaltarlo et per l'assedio si fornisce di vittuaglie in bona copia.

Havea s. Exc. inteso dell'huomo che 'l sig. Gio. havea mandato in campo de Francesi; per questo ha voluto ch'io li scriva una lettera per contenerlo, il che non ho potuto negare.

Scrissi hiersera il disopra; questa mattina Mess. Bernardino quale havea tenuto in mia compagnia per non stare tanto absente dal Vicerè se ne torna non essendo ancor venuto il trombetta che io aspettavo: credo per esser stati quei signori occupati hieri in de la battaglia a Pavia secondo l'aviso che M. R. manda havuto dal S. Morone. Sto con li sproni aspettando che il trombetta venga, che subito partirò. Assai è che il Chr.^{mo} sa che io son qui per passare alla M.^{tà} S.

Stanotte verso le cinque hore il signore Marchese è andato con circa 3^{m} fanti a dare l'assalto a Melz loco longe de qui 14 miglia intendendo esservi el conte Camillo Triulzio et s. Gio. fermo con 50 lanze; non so quello sarà seguito, ma trovandoli credo l'avranno acchiappati. Se l'aviso vien prima ch'io parta lo scriverò. Da Lodi alli ix. de Novembre mdxxiv.

Humilissimo suo
Gio. Mattheo.

233.

Petrus Salamancha Clementi VII.
(Litt. princ. II. 384).
(13. Dec. 1524).

Die conceptionis beatae Virginis hora xiv, Deo dante veni ad oppidum Innsprugg; curavi e vestigio adire serenissimum principem cui porrexi litteras vestrae sanctitatis, illisque lectis declaravi sue celsitudini animum, amorem benevolentiamque singularissimam vestre beatitudinis erga res caesareas atque celsitudinis sue prout officia eorum in b. v. obsequiaque ab illis prestita huic Sancte Sedi demerentur, fecique eum certiorem quod tametsi nulla unquam in sanctitatem v. a Caesare que tamen essent et maxima et summa merita atque offitia precessissent ipsa tanto suam celsitudinem amore complecteretur ob eius mirificas virtutes ut id solum sufficeret summo studio et favore ad res caesareas amplectendas, omissa animi magnitudine et constantia que in v. beatitudine omnium consensu adprime splendet. Et cum vidisset v. s. erarium ecclesie exhaustum ingentesque illos pecunie acervos quos Caesar ipse, Florentini ceterique Italie potentatus pro Gallico bello gerendo suppeditarunt consumptos, et eosdem potentatus pro ipso continuando bello iampridem enervatos, non modo magna cum difficultate quid ulterius esse erogaturos sed plane in subministrandis pecuniis necessariis defecturos, quod tum syncero animo et summo studio procuraverit sarciendam pacem remque componendam censuerit, non absque conditionibus in Caesaris favorem quam honestissime susceptis nisi agentium m. sue partim insolentia, partim imprudentia factum esset ut ne sententie v. s. acquiescerent et rebus Caesaris male consulentes, in varia prorumperent, et Gallos ruptos et otiosos veluti crabrones dormientes irritarent usque adeo quod eos ad Italiam redire compulerint, ea temporum iniquitate qua non sine maxima perturbatione v. s. cerneret ditionem apostolice Sedis ac Florentiam direptioni hostium exponi, si sese declararet contra Gallos. Nam cum pecunia, que nervus et subsidium belli est, penitus prope deficeret, infinitoque ere alieno ex bello preterito v. s. et Sedes apostolica oppressa esset, quod ostendi maximis et vehementissimis rationibus, necesse est aut bellum non

suscipere aut illud susceptum non sustentare posse, quorum utroque modo ditionem prefatam et Florentiam trepidantem potissimumque Parmam et Placentiam finitimas urbes hostibus perdere necesse erat. Itaque se declarando contra Gallos Caesari nihil prodesset, sibi autem v. s. obesse multum poterat, qua ratione coactus elaborasse summa diligentia ut pax inter exercitus componeretur Gallis citra et nostris ultra Ticinium quiescentibus, eamque pacis conditionem agentes Caesaris repudiasse et adeo iterum ab eis Gallos excitatos esse ut diviso exercitu factioneque Ursinorum coniuncta curarent Galli regnum Neapolitanum pene desertum iuvadere ii v. s. auctoritate, precibus, suasionibus et gravissima monitione eos paulisper retinuerit, que nimium augeretur in id discriminis adducta ut res Caesaris pro affectu animi tueri non possit. Itaque decrevisse iudicis et patris offitio melius esse ad pacem cohortari, monere, obsecrare non desistere, contempta vulgi vanissimi falsa susurratione et multorum impudentium temeritate asserentium v. s. rebus Gallicis studere, quod longe abesset a veritate. Addidi insuper rationes vehementes meo iudicio ad id comprobandum et luce clarius ostendendum. Deinde pacis conditiones ut in mandatis habebam proposui; vise sunt duriores equo et que summe disciplicuerint v. s. factum D. Jo. de Medicis, cuius neque conscia fuit v. s. neque eum revocare potuerit quum homo esset sui arbitrii et voluntatis. Datam tamen illi ab agentibus Caesaris causam diffuse explicui. Audivit me in consilio suo et seorsum principes, attente benignissimeque interrogavit me primum ut valeret v. s. demonstrans v. s. ut vero filio maxime cure esse letatusque est ubi ex me audivit recte valere. Deinde in pacis conditionibus et aliis rebus multum temporis meum et in consilio suo consumptum est, nec conveniens satis responsum s. v. reperiebatur. Ultimo autem a serenitate sua conclusum extitit quod res et momenti et totius christianitatis beneficii esset consulere viceregem certioremque eum reddere de his omnibus per proprium hominem qui sciat commoda que Caesari et sue serenitati evenire possent pace et concordia composita. Et itidem que, spreta illa, incommoda non pauca essent subsecutura. Significat igitur serenitas sua animum suum et quiquid beneficii et utilitatis hac in re poterit prestare s. v. indubitanter credat ipsum facturum quando s. v. offitium veri patris ut fecit

hactenus constanter et prestat et servat. Facile tamen conjicio non defuisse malevolos, omitto vulgi opinionem, qui studuerint et laboraverint animum principis v. s. supra quam dici potest suapte deditissimum alienare, sed meo quidem adventu ut video formidinem huius rei si quam conceperat animo exuit et confirmatus manet. Juverunt ad hoc non parum d. Tridentinus, d. comes Salamancha, d. Petrus a Corduba qui omnes deditissimi sunt v. s. credatque mihi v. s. nihil amantius nihilque studiosius v. s. hoc uno principe esse. Dominus de Borbonio venit x. huius cum tribus nobilibus per postam ad sua s. qui lautissime et iocundissime exceptus est a ser. sua; nondum enim recte potui intelligere causam sui adventus; cum primum rescivero significabo v. s. aut ipse deferam si celeriter venerit homo ille quem sua celsitudo misit ad viceregem. Habito itaque responso eius discedam, nisi aliud occurrerit. . . . . Datum in oppido Innsprugg, die xiii. mensis Decembris. Anno Domini mdxxiv. P. Salamanca.

234.

Consules Carpenctorati Clementi VII.

(Litt. princ. II. 389).

(16. Dec. 1524).

Allate sunt ad nos littere sive bulle aprobationis et innovationis privilegiorum quibus v. s. nos pauperes suos et Romane curie peculiares subditos misericorditer condonavit, et cum eis una alia littere moderationis Judaice voracitatis et breve moratorie dilationis pauperibus christicolis debitoribus ipsorum Judeorum liberaliter concesse. Que quidem et si inefabilem nobis omnibus iubilationem atulerint, pauperibus tamen ipsis quorum sanguinem angues illi pestiferi funditus absorbebant exuberanciorem. Sunt enim hec eiusmodi que non obscure arguunt ingenitam bonitatem immensamque liberalitatem e. v. s. que quemadmodum Christus optimus mera liberalitate ab antiqui humani generis hostis manibus, sic illius imitatione nos a funestis protervi anguis faucibus eripuit salvosque esse voluit. Que cum nullis nostris nec humanis quibusvis aliis equari possint actionibus, nos tamen quod eidem solemus piissimo redemptori devotissimas easdemque humillimas

agimus gratias e. v. s. pro tam pio suo in nos affectu tantisque beneficiis et summa charitate brevi gratitudinem nostram re et effectu monstratur; que si tenuis ac modica forte videbitur, ab magno profecto liberoque animo ac in omnem felicitatem et subiectionem constantissime inflamato est profecta, preterquam omnis etas nostra atque posteritas pro felici diuturnaque conservatione e. v. s. preces ut par est incessanter effundet et Deum maximum qui facere dignetur ut illam in isto triumphatissimo orbis terre soleo diutissime diutissime possimus alorare, cuius beatissimis pedibus nos continuo humillime comendamus. Ex vestra civitate Carpentorii die xvi. Decembris mdxxiv.

Humilis subditi procuratores
patrie comitatus et
Consules Carpentor.

235.

Carolus V. Clementi VII.
(Litt. princ. II. 396).
(18. Dec. 1524).

Beatissime pater etc. Venientem ad nos venerabilem archiepiscopum Capuanum eo animo atque voluntate excepimus qua merito debebamus tantum virum et a s. v. de tantis rebus ad nos missum; quaeque inter nos collata sunt, quoniam pluribus ex eodem intelliget. ideo non erimus his nostris prolixiores. Interim autem dum de pace aut induciis agitur que non ex nostro tantum consensu dependent, dubiusque adhuc illorum sit exitus, neque certi esse possimus an utriusque nostrum officiis ab aliis respondeatur: non videntur spernenda interim ea que ad communem conservationem pertinent: pro qua quantum ad nos attinet nihil pretermissuri sumus, sperantes s. v. non minus etiam communi saluti consulturam; prout etiam uberius a nostris ibidem agentibus v. s. intelliget, quibus etiam nonnulla alia s. v. referenda commissimus. Datum ex oppido nostro Madritti die xviii. mensis Decembris. Anno Domino mdxxiv regnorum nostrorum Romani sexto aliorum vero nono.

Carolus etc.

236.

Mercurius Gattinaria Clementi VII.
(Litt. princ. II. 402).
(27. Dec. 1524).

In tam communi nostrorum omnium vel totius potius Christiani orbis laeticia, pro singulari mea pietate, perpetuaque observantia et cultu in s. v. facere non potui quin has litteras meas ad eam privatim darem totisque animi viribus pro re tam sancta, tam reipublicae, tam nobis omnibus salutari, eidem gratularer. Quae res tanto omnibus gratior evenit, quo maioribus studiis expectabatur, vixque litteris exprimere possem quanto gaudio quantaque laeticia perfusus fuerit Caesar noster, qui iam voti compos factus, nunc maxime de se atque tota republica bene sperare potest: quum is demun sit factus pontifex maximus, cuius opera a tot hostium insidiis conservatum imperium regnumque et ipsius dominia vindicata fuerint, compressaque nonnihil dolosae gentis superbia. Quod ad me attinet spero quae pristina fuit v. s. in me voluntas atque erga meos, mihi non defuturam, et si quid morte sanctissimi Leonis ac Adriani deinde pontificis creatione fratri meo demptum fuit, quod eidem a sanctissimo Leone fuerat collatum, v. s. beneficio non solum compensandum sed et augendum fore: quem quidem fratrem ac me non aliter v. s. commendandos censeo quam ut propria mancipia, quibus pro libito uti liceat: contendamque et ita ego semper me gerere cum s. v. ut intelligere possit me ex his unum esse qui maxime semper studere debeant v. s. optatis atque voluntati inservire etc. . . . . Ex Pampiloma xxvii. Decembris. Mercurius de Gattinaria.

237.

Ferdinandus arch. Austriae Matt. Giberto.
(Litt. princ. I. 45).
(2. Jan. 1525).

Ferdinandus Dei gratia princeps et infans Hispaniarum, archidux Austriae, dux Burgundiae, imperialis loccumtenens generalis etc. —

Reverende, sincere, dilecte. Quod in hisce rerum novarum studiis, quibus Italia est commota, putavimus nostri esse officii hortari vos ad continuandum illam suam singularem erga caesaream maiestatem affectionem observantiamque, non dubitamus quin sitis id boni consulturi. Et si tali apud eum quem ad subitas angustasque res constantia magni animi tuetur quem in vobis esse cognovimus relatione multorum, qui praestant magna fide, non admodum indigere existimabamus, cum tamen auctoritate, consilio, prudentia et iudicio praestetis, quae beatitudo pontificis si qua alia et maximi facere et sequi soleat, non potuimus nos continere quin his et hortaremur et requireremus vos ut pristina in caesaream maiestatem officia prosequi et nostra quoque negotia, si quando favor vester requisitus pro illis fuerit, per praesentium exhibitorem consiliarium nostrum honorabilem nobis dilectum magistrum Petrum de Salamanca habere commendata, maxime autem iam pro caesareis rebus apud beatitudinem pontificis quanquam consilio non eget sed abundat potius. Illud promittentes vobis quicquid factum erit a vobis pro retinendo animo s. suae quem iniquiores caesareae maiestati subitis consiliis et studiis deiicere student, id maiestatem suam ut fidele et sapiens factum comprobaturum. Nos vero ita sibi devintiet ut simus vobis ad omnem occasionem ita gratificaturi, ut nunquam poeniteat vos et officii et obsequii vestri. Datum in oppido Insprugk die secunda mensis Januarii, anno Domini mdxxv. Ferdinandus.

Ja. Spiegel.

238.

Prorex Lannoy Clementi VII.
(Litt. varior. ad Clem. II. 22).
(11. Jan. 1525).

Por el breve de los quatro del presente entendi que v. s. se havia concertado con el rey de Francia, y que la principal causa que a ello le ha movido diz que ha seydo por no haver fasta esta hora hallado los medios que desseava para poner paz entre el emperador y el dicho rey de Francia, y que esto que v. b. ha fecho no es en daño de tercero, si no solamente por evitar el peligro de vostra muy sancta persona

y del estado de la yglesia y de otros a quien v. s. tiene recomendados, y como muchas vezez e dicto v. s. me tiene puesto en tan perpetua servitud con la merced que de continuo me haze en mandar que se me de parte de lo de alla que no recibe augmento, spero que algun dia me dara v. s. manera por que lo pueda servir parte de lo muecho que a su serviçio devo; però por responder con toda humildad y reverencia a lo que v. s. me ha mandado screvir, si no se me attribuye a presumption, se me figura que este assiento que ha tomado con el rey de Francia ha seydo cosa no esperada del emperador, que siendo s. m. muy observante y amoroso fijo de v. b. y teniendole v. s. el amor que le tiene con lo qual jamas puse ny se deve poner duda, no se havia de pensar que v. b. obrasse cosa en detrimento desta causa, en el buon exito dela qual consiste la libertad y reposo de Italia, par cuyo benefiçio no ha dexado ny dexara jamas su m. caesaria de emplear las fuerças que Dios le ha prestado y que par obra de v. s. la qual fasta qui ha seida principal caudillo para amparar y defender el bien comun, se haya agora dado dignidad y reputaçion a los enemigos que jamas han procurado ny procuran sino de perturbar y reducir en ignominiosa servitud esta libertad de Italia, que tan cara cuesta al sangre de xstianos. V. s. con su clara prudencia puede considerar el estado en que por ello se ponen los negocios generales, pero penso que v. s. ha querido en esto imitar al padre prudente de quien Xsto n. Salvador recuenta en el evangelio, que recobrando el fijo que havia andado disperso fizo matar el vitulo saginato, postponiendo la occasion de lamentacion que por ello se dava al otro fijo que en todo tiempo y con entera obediencia havia seguido el plaser de su padre y el beneficio de la casa, porque d'este tenia entera seguritad, y de l'oltro havia tenido y quasi tenida perdida la sperança. Assi v. s. que ha hallado en el emperador todo el respecto y observançia que se potria dessear en un verdadero fijo de v. b. y de la Sede apostolica, ha querido agora assegurarse y ganar por fijo el rey de Françia. Fasta qui tenia un fijo y agora terna *(sic)* dos; pero como naturalmente algunos fijos suelen tener a sus padres mas reverençia que otros, assi spero que el amor que el emperador, postponiendo todo otro particular respecto, ha tenido siempre a v. b. ge lo pagara v. s. en la misma moneda, correspondien-

dole con special benivolençia; y por que no se de occasion que el mundo juzgue otra cosa por que seria ageno de lo que se deve sperar de la liempieza y vertud de v. s. suplicole muy humilmente que no de causa ny consienta que esta aliança que ha fecho co el rey de Françia haya de parturir algun special daño a lo que particularmente toca a la m.tà cesarea, pues no seria cosa degna de v. honestidad ny del paternal officio a que v. s. es obligado por lo que deve a sy mismo y al desseo que siempre el emperador ha tenido de la exaltacion y dignidad de v. muy sancta persona, la qual sabe que s. m. cesarea ha seydo irritado por solo el zelo del bien comun a tomar las armas, y con todo esto siempre ha seydo inclinado a la paz hallandose medios convenientes para ello, porque despues de la salvacion de su anima es mayor desseo de s. m. ver firme paz en la xstiandad por emplear totalmente sin otro cuydado persona y estado contra infieles en exaltacion de nra. sancta fe, y no se deve poner duda, que siempre que a s. m. se propusiere paz honesta y perdurable y conveniente al bien comun l'abraçara con muy alegre animo, pues ningun otro particular interesse le faze durar en las armas, come he dicho, sino el zelo del bien comun. Mas los medios que fasta qui han seydo propuestos yo dexo juzgar a v. b. que siempre ha seydo amador de la justicia quan rezios son para admittirse sin consulta del emperador la qual fuera ya venida si desde 'l principio se hoviera dado lugar a ello; pero ahunque v. s. fasta aqui no ha allado el aparejo que para introduzir paz fuera necessario, spero que la hallara pues su intencion y desseo no se studian en otro, y assi plazera a Dios que de mano de v. s. se porna assiento en todo, y puede v. s. prometerse que el emperador no la ha de tomar por otra via . . . De Lodi a xi. de Enero mdxxv. Lanoy.

239.

Cardinalis de Salviatis Jac. Sadoleto.

(Varior. ad Clem. II. Tre lettere etc.).

(14. Jan. 1525).

Reverende Domine tanquam frater charissime. In questo punto che siamo a hore xviii et non prima ho ricevute le lettere di v. s.

con tucte le instructioni et molte sono state da Roma a Firenze; che ne è stato fatto pessimo servitio. Quella puo far fede alla sanctita di n. s. che io non manchero di alcuna spetie di diligentia perche si sancta opera si conduca; et perchè sua beatitudine habbia questo contento; del quale se Dio mi dessi gratia di essere mezo, reputerei che questa fussi una delle maggiore che mai havessi havere in questo mondo. Jo ho spacciato subito uno mio a lo ill.mo duca di Savoia per exequire la commissione; et fare intendere a sua excellentia quanto si opera; et ringratiarla come veramente merita per si sancta et salutifera opera che ha disegnato di fare. Cosi ho spacciato uno da lo ill.mo vicere homo mio che è appresso di sua excellentia per sapere se è venuto huomo del serenissimo infante per mandarvi domani messer Lorenzo mio fratello; et apiccandosi ragionamento non manchero di quanto v. s. mi scrive col re christianissimo; et di andare personalmente et expormi a ogni fatica et pericolo, purche io possa obedire a sua sanctita come è il mio debito et il mio ardentissimo desiderio et veramente ne ho tanta vogla che non mi pare che diligentia o fatica alcuna possa essere abastanza.

Ringratio la s. v. del havermi mandato cosi diligentemente tutte quelle instructioni delle quali molto mi serviro; et me li offero quanto posso certificandola che cordialmente la amo et la prego che preghi Dio che mi conceda gratia che in questo cosi sancto et salutifero maneggio io possa fare qualche buon frutto per salute del populo christiano et honore et utile della sanctita di n. s. et della sanctissima Sede apostolica; et quale prego io devotamente che conceda lunga et felice vita a v. s. come lei medesima desidera. Placentia xiv. Januarii mdxxv. Non manchi v. s. di raccomandarmi humilmente a sanctissimi piedi di sua beatitudine.

E. D. V.ae

Uti frater Jo. cardinalis de Salviatis leg.

Reverendo s. come fratello charissimo di poi di scritto è tornato Lopè de zumuga mio scalco secreto; il quale havevo mandato da lo ill.mo vicere a referire quello che haveva risposto il re christianissimo a messer Lorenzo mio fratello che era questa; che sua maesta chr.ma

al principio haveva mostro qualche inclinatione benche piccola alle cose del accordo ma di poi haveva chiesto tempo a consultare; et doppo la consulta haveva detto che non voleva in modo alcuno concordia se prima li Spagnoli non lasciavano libera la Lombardia et tornavono a Napoli. A questo risposono generalmente quelli ill.^{mi} s.^{ri}:

Che speravono che la sanctita di n. s. come padre universale penserebbe cosi al honore della maiesta caesarea come del re chr.^{mo} et che facendo questo si fiderebbono di quella: ma che questa fu impresa de la fe. me. di Leone et non del imperatore el quale di questo stato non ha voluto altro che lo honore: et lo utile tutto è restato alla sanctissima chiesa: et al ill.^{mo} duca di Milano come bene poteva sapere sua sanctita la quale con la persona propria come principal capitano et non come cardinale fu non solo membro ma principale capo di tucta questa victoria come lei medesima meglio che alcuno altro poteva sapere.

Ma perchè il prefato mio rispose a loro excellentie che queste erano risposte molto generale; et che bisognava rispondessino particularmente a la dimanda del re christianissimo che era che lassassino la Lombardia libera; li ferono le infrascritte domande.

Che quando facciano tutto quello che sua m.^{ta} chr.^{sima} vuole che fara quella per lo imperatore che ha speso tanto in questa impresa insino allora;

Che dara al duca di Milano perche li lasci libero lo stato;

Che si fara de lo stato di monsignor di Burbon et sua persona:

Che si fara con el serenissimo re d'Inghilterra di circa quatrocentomila ducati che di pensioni si debbono a sua m. et altri per suo respetto che non si sono pagati durante la guerra;

Che securita dara sua sanctita che quello che 'l re christianissimo promettera sia observato perche di sua m. christianissima non si voglono fidare; per non havere a fare nuova guerra per la observatione de capitoli. V. s. intende io non lascero per questo di mandare et faro rispondere a questi capi secondo che mi parra a proposito tanto che di la habbi arisposta; et spero in Dio, che essendo questa cosa a suo sancto servitio mi inspirera di rispondere tanto che di costa sia informato secondo il bene et honore della sua sanctissima Sede.

240.

Cardinal de Salviatis Jac. Sadoleto.
(Ibid.).
(17. Jan. 1525).

Reverende Domine tanquam frater charissime. Come scripsi a v. s. io mandai messer Lorenzo mio fratello da la maestà christianissima per provare se Dio per sua gratia ci volessi fare trovare qualche maniera di concordia; et finalmente questa mattina mi ha risposto havere trovato con sua maesta quella maniera che v. s. intendera per la copia di messer Lorenzo la quale con questa le mando; et questa mattina dovea partire di campo per ire alla volta di Lodi a trovare lo ill.mo vicere con questi partiti.

Scrivemi messer Lorenzo che sarebbe bene che la sanctita di n. s. facessi dua brevi uno al re christianissimo et uno al vicere per confortarli a questo effetto sanctissimo; et credentiali in me, accioche mi havessino a prestare più fede in tractare questo negocio, nel quale se bene non ho molta fede pure è assai che si cominci a ragionare di qualche particulare.

Perchè la s. v. mi scripse in nome di sua beatitudine di questa materia mi è parso seguitare di scrivere a lei; et così ho spacciato questo corriere a posta acioche la sanctita sua intenda quanto insino a hora è seguito; et che non si manca di diligentia e bisogna che la s. v. faccia che si rispacci in qua il più presto che è possibile; et che la sanctita di n. s. scriva al re christianissimo che somma di danaro sua maestà habbi a dare per conto della investitura alla maestà caesarea et così quello le pare si debba dare al duca di Milano.

Così è necessario che sua beatitudine pensi bene alle cose di monsignor di Borbon o con piglare il caso suo sopra di se o in qualche altro modo; che mi pare questa una delle importante cure che si siano; perchè li caesariani non voglono parlare sanza questo et il re non ne vuole parlare in modo alcuno; ecci solo che monsignor di Borbon per se medesimo è benissimo disposto; et ha detto sempre che lui non vuole essere causa di guastare questo accordo.

La maestà christianissima ha fatto scusa di quella parola che nella

dichiaratione da farsi per sua beatitudine de danari da pagarsi dice *ragionevolmente*; dicendo haverla posta perchè quella si possa meglo iustificare; et levare della somma se li caesariani dimandassino somma dishonesta.

La s. v. vede che tutta la speranza consiste nella celerita; et quanto sarebbe più difficile il ragionamento quando questi altri fussino in campagna; et pero la prego che usi ogni diligentia et sollicitudine; che se Dio mi dessi tanta gratia di essere mezo a si sancta opera; et a fare questo servitio a sua beatitudine sarei sempre il più contento huomo che nascessi già mai; se bene l'altro di dapoi fussi il termine de la mia vita. La s. v. la quale so che non meno di me la desidera ne facci, et ne faccia fare oratione. La quale priego mi raccomandi humilmente a li sanctissimi piedi della sanctità di n. s. et a lei del continuo mi offero et raccomando. Quae felix valeat. Placentiae die xvii. Januarii mdxxv. Hora xviii. E. D. V.ae

Uti frater Jo. cardinalis de Salviatis legatus.

Resposta fatta dal ill.mo vicere al mandato di monsignor reverendissimo legato per fare relatione a sua signoria di quello che'l signor Lorenzo Salviati havera ritratto da la maestà del re.

Lassando la Lombardia al re de Francia che fara sua maestà christianissima per lo imperatore che tanto ha speso;

Che dara al duca di Milano perchè lassi libero detto stato;

Che si fara di monsignor di Borbone;

Che si fara col serenissimo re de Inghilterra intorno a quattrocentomila ducati che si debbono a sua maestà et altri per conto di pensione;

Che segurtate dara la santita di n. s. perchè quello se capitulasse sia observato, perchè non voleno havere a far nuova guerra sopra la observantia de li capituli.

Offerta fatta per messer Pietro Salamanca mandato da la Santita di n. s. al serenissimo infante a sua excellentia perchè persuadesse li capitani caesarei a lassar la Lombardia al christianissimo;

Che dara il ducato di Milano a uno delli figliuoli del re quale non habbia a succedere nel regno, il qual piglasse la investitura dal imperadore et per essa investitura pagasse bona summa de danari;

Che'l re cedesse tutte le ragioni che pretende nel reame di Napoli;

Che'l re facessi una lega defensibile con lo imperatore contra a Turchi;

Oltre di questo quando l'imperiali se risolvessero a lasciare lo stato de Milano si potrebbe pensare molte altre cose a beneficio de lo imperadore et maxime di aconciare le cose del duca di Milano et di Borbone che ciaschuno d'essi restariano contenti:

Resposta fatta dal re christianissimo al signor Lorenzo Salviati sopra li cinque capituli domandati dal signor vicere et sopra alle cose proposte dal nuntio de la santita di n. s. al serenissimo infante;

Che sua maesta e contenta di dare lo stato di Milano a monsignor d'Orliens suo secondo figliuolo et che pigli la investitura da Caesare et paghi quello che ragionevolmente declarara la santita di n. s. lassando de presente la Lombardia libera al christianissimo;

Che de le cose del reame di Napoli et di quello che lo imperatore li debbe per detto conto cedera et fara quanto parera alla santita di n. s.;

Che fara lega defensiva contra Turchi comme parra a sua santita;

Che dara al duca de Barri quello che indichera et vorra la santita di n. s. ma che de presente lassi la Lombardia al christianissimo;

Che delle cose di Borbone non vuole sua maesta parlarne;

Quanto alla securitate de la observantia de li capituli non vede sua maesta cosa migliore se non che trattandosi questa cosa per mani di sua santita che prometta essere inimico al primo che contrafara alla detta capitulatione;

Quanto al serenissimo re d'Inghilterra che lassimo la cura a sua maesta di contentarlo et che a questa hora pensa che sia fatta conclusione et che siano buoni amici.

(Foris).

Reverendo tanquam fratri charissimo domino Jacobo Sadoletto:

Episcopo Carpentoractensi.

S.mi domini nostri secretario.

241.

Cardinalis de Salviatis Jac. Sadoleto.

(Ibid).

(19. Jan. 1525).

Reverende domine tanquam frater charissime. Come la s. v. hara inteso per la mia de xviii. la quale mandai per uno corriere aposta messer Lorenzo mio fratello ando dal christianissimo; et da sua maestà hebbe a li interrogatorii e quali havevono fatti li caesariani le risposte delle quali col medesimo corriere amplamente mandai la copia a v. s. et ancora più li disse sua maestà (secondo che lui medesimo questa sera mi ha referito), che delle cose di Italia era per fare sempre la voluntà della sanctita di n. s. ma che delle cose del regno di Francia non era mai per diminuir una spanna di terreno di quello, che li sua predecessori li havevano lasciato. Ando poi la mattina medesima messer Lorenzo dal ill.mo vice re; et da quelli altri ill.mi s. et espose a loro signorrie tucto quello che la maestà christianissima li haveva risposto confortandoli quanto poteva a venire a qualche conclusione di accordo; mostrando quanta gloria acquistavono di cosa tanto salutifera; et quanto era per loro honorevole da poi che'l re christianissimo era stato il primo a cominciare a rimettersi; ne lascio di dire (acioche più facilmente si disponessino a la concordia) che in campo del re era venuto Brione et haveva portati danari, et grande speranza di haverne de li altri; et che il re haveva mandato per più Svizeri. Con tucte queste cose quando hebbono consultato feciono la risposta che la s. v. vedra perche la ho fatta tradurre, et ne mando la copia con questa; et perchè messer Lorenzo replico che questa era risposta da volere buona guerra il vice re si altero; et dixe che non poteva rispondere altro; et che quello che haveva risposto era cosa molto ragionevole. Ad che di nuovo replico messer Lorenzo; che era vero che le cose erano ragionevole quando si havessi tempo da condurle perchè havevono bisogno di grandissima dilatione ma che il caso era in termine che haveva bisogno di celerita; ma perchè molto dicessi et allegassi molte ragioni non pote mai havere altra risposta che questa; la quale v. s. puo vedere quanto sia lontana dalla speranza della pace; in modo che io non ci

ho più speranza alcuna; ancora che ancora in prima non havessi molta, come scripsi a v. s.; ne veggo quel che possa operare et mi è parso spacciare diligentemente acioche la sanctità di n. s. intenda tucto; et mi comandi quanto vuole che io faccia. Non lascero di mandare di nouvo messer Lorenzo al christianissimo con questa risposta così fatta come e et perche sua maesta non si possa dolere; et per mantenere el ragionamento vivo perche Dio puo operare in uno instante. Parlo a lungo messer Lorenzo con monsignor di Borbon confortandolo perchè aiutassi la materia con dire che la sanctità di n. s. non era per mancarli et che quando non ci fussi altro modo sua beatitudine sarebbe per contentarlo lei pure che questa concordia seguisse. Lui, che si è mostro sempre assai bene disposto disse che ne farebbe ogni opera.

Questo giorno è tornato il mio; el quale mandai da lo ill.mo duca di Savoia; et mi ha referito che sua excellentia li fece grandissime careze et che li dixe che per lei non mancherà di usare tucti e termini possibili per condurre questa concordia. Hammi scripto che mi mandera uno suo varletto di camera; el quale ha apresso al re christianissimo et ci sara domani a sera; io lo intendero et non perdonero a disagio, fatica o diligentia alcuna purche possa servire a sua beatitudine et fare qualche opera buona, di che prego v. s. faccia per me affectuosamente fede; et mi raccomandi alli sua sanctissimi piedi. Et a lei del continuo me offero et raccomando. Quae felicissime valeat. Placentiae xix. Januarii mdxxv.

E. D. V.ae
Uti frater Jo. cardinalis de Salviatis.

242.

Dux Gelriae Clementi VII.
(Litt. princ. III. 24).
(3. Febr. 1525).

Post oscula pedum beatissimorum humillime exhibita devotissime commendamus nos sanctitati vestre.

. . . . . . Questo exercito se trova da qualche dì in qua assai più del solito mutinato e minaccia di amacciare questi capitani et di abrusare et de novo sacchegiare questa infelice patria; et per dare bono principio al disordine, heri dopo disnare subito li Alemanni furno a s. Marco stanza del prencipe et la sachezorno tutta e svalisorno alcuni deli soi gentilhomeni alli quali livorno sina le camise di dosso et li lasciorno nudi. Sua excellentia che havea presentito el furore del vino se era retirata con tutta la famiglia et penso con meglioramento de circa due hore prima a sancta Agata in Monte Cavallo. Il segretario del quale mgr. ill. che havea il suo alloggiamento in decto palacio fu parimente svalisato; nondimeno ancho egli haveva mandato altrove bona parte del suo melioramento e salvò le sue cavalcature che non fu poco; la persona sua era parente del principe, e sentendo il disordine, uscirno di Roma circa xii miglia. Io fui subito advertito et non sapevo dove me dovessi redurre che ve potessi star securo; feci buon' animo et restai in casa non senza molto sospetto perchè tenevo che ogni cosa dovesse andare su sopra. Dio n. S. ci facesse grazia che sfogarno la loro rabbia col predetto sacho che fu poco, et penso che ce adiuterà, che sanno in questa terra è pochissima robba, nè vi sono Romani o altre persone forestiere, perchè tutti son partiti chi per carestia, chi per la peste et chi per evitare tali pericoli . . . Hiermattina il cardinale Jacobaccio passò de la presente vita quì in Roma, morto come se dice di dolore, perchè oltre li danni del sacho son stati pigliati alcuni soi nepoti et loro donne che andavano con robbe et molti beni verso el regno, da un Fabio Colonna che dicono ha mal trattato et forciato le dette donne et dicono che 'l predetto cardinale morendo, se doleva dicendo: O casa Colonna che t'ho fatto io? Anche Paulo Jovio gran servitore di v. ex. ha havuto gratia del vescovato di Lucca vacàto per la morte di quel mons. rev.

4 Luglio (da Roma).

Vostra excellentia vedrà in qual termine noi ci troviamo qua con questi soldati che voleno esser pagati a tutti li modi del mondo o che deliberano fare un grandissimo disordine. Ad che volendo provedere

con la prudentia loro il signor Alarcon et il signor (?) Abbate hanno ricercati di danari molti capitani ricchi di questo exercito, quali essendo stati assecurati hanno promesso per tutto sabbato proximo exbursare bona summa de danaro, de maniera che se spiera coll'adiuto de altri danari che d'ora in ora s'expectano de Genua le cose s'acqueteranno. Altrimente prometo a v. s. illma che passeranno male. Il signor don Ugo andò de longo alla volta de Caieta ove anco deve andare el signor Ferrante de Gonzaga che partì a questi dì da Velletri per sospetto de peste et andò ad Anagni. Il signor principe si trova a Castelgandolfo ove anco è il signor Ascanio Colonna e con sua signoria il prothonotario Bentivolgio.

17 Settembre.

. . . Se attende con diligentia et per ogni via possibile a trovare denari da dare l'*aiuto* quale se designia de mandare a sucoro *(sic)* el S. Sara che si trova assidiato *in Camer*ino dalla gente del ducha d'Urbino.

28 Novembre (Giov.)

Lunedì proximo passato, la maggior parte de questi homini d'arme amottinati sono andati alla via del regno, el signor marchese li è andato drieto exhortandoli che voglino tornare, nè mai vi è stato ordine; li hanno scritto appresso per fare opera che tornino; non so quello che si succederà . . . Hieri li Alemanni hanno fatto tumulto in casa del capitano Corradino et per forza hanno buttato la porta per terra et hannolo ferito (per esser pagati; ebbero promesse). Hogi li predicti Alemanni colerici pur della prattica di hieri . . . hanno dato la caccia questa notte a molti lor capitani, quali hanno fatto fuggir fora de casa in camisa et il signor cardinal Colonna se è absentato parimente et questa matina hanno condotto in Campo di Fiore li staggi trascinandoli pel fango con proposito de decapitarli; pur a persuasion de alcuni lor capitani, quali tengono per confidenti et altri gentilhomeni hanno deliberato de suportar *tuto* el dì d'oggi perchè li è stata data intention de componerli.

. . . El signor Sciarra Colonna per necessità de vittuaglie è uscito de Camerino con la sua compagnia; chi dice chel ha consignata la

terra in mano della ligha et chi dice che 'l papa ha preso l'assumpto de componere quelle differentie.

5 Dicembre.

Scrissi li dì proximi che li capitoli de l'accordio tra 'l papa e l'imperatore erano subscripti; hora bisogna mutarne alchuni per la fuga successa de li stagii . . . . . . nondimeno sono daccordo. El papa ragiona pure de andare fra quattro o cinque dì a Orvieto; son certo chel non vede l'hora de levarsi dalle man de Spagnoli. Martedì proxime passato fu trovato un cartello cavato da Spagnoli in la piazza de la Rotonda, qual dice che loro non son da mancho de Todeschi et che vogliono esser anchor loro pagati, overo vogliono anchor loro tagliare la testa alli loro capitani sì come volevano fare i Thodeschi et voleno fare le loro consulte al Coliseo ove citano per il giorno seguente tutti li fanti. La carestia grande ogni giorno crescie . . . Hier mattina andorno sette bandiere de fanterie spagnole a Civita Castellana per pigliar el possesso; non so sel haveranno, perchè dentro se vi trovano molti Romani che dicono non li vogliono acceptar dentro et meno far loro le spese; son ben contenti di darli la Roccha in le mano, la qual non pol pigliar soccorso se non per la terra et si contenteranno anche pigliare 30 o 40 fanti in la terra, purchè non fosse tanto numero che li potessi far violentia. . . . El papa dà in mano de questi cesarei cinque cardinali cioè Trivultio, Pisani et Gaddi quali vanno a Gaeta et forse a Napoli et l'Ursino et Cesis quali restano in mano del cardinal Colonna. Li homini d'arme che uscirno ultimamente hanno sacchegiato Poli loro alloggiamento, et si ragiona che questi signori daranno loro Pelestrina per alloggiamento, per tenerli ben contenti.

7 Dicembre. (Il papa è liberato; allegrezze).

La fantaria spagnola che era andata per el possesso de Civita Castellana non l'ha possuta havere, perchè vi ha trovate dentro quattro bandiere della banda negra, di che molto si son doluti questi signori. El papa ha scritto alla liga che voglia revocare ditte insegne, dicendo che più l'importa la liberation sua et la recuperatione de castel Sant'

Angelo che Civita Castellana, et ha preso termine de *otto* dì da questi signori de consignarla libera et expedita.

El signor Aschanio prattica con consenso del papa di haver el ducato de Camerino per el suo figliolino, al qual disegnano de dare la figliola del duca passato et multo ne sperano... Questa mattina nanti giorno el papa partì per Orvieto; con sua santità sono iti solo el cardinale Santi Quattro et Monte; quà ha lassato legato Campegio in castello indisposto de podagra . . . El castello ha posti fore li stendardi del nostro signore.

289.

DIVERSA IURA TANGENTIA

REVERENDAM CAMERAM APOSTOLICAM IN PROVINTIA ROMANDIOLAE.

(ARCHIV. SECR. VATIC. XXXV. T. 60).

1530.

In Christi nomine amen etc. Ego Joannes Jacobus Benincasa F. q. egregii viri domini Joannis Francisci Benincasa civis et notarius publicus Ravennates indubiam fidem facio, verboque veritatis attestor omnibus has presentes lecturis, et visuris: Qualiter reperitur in rogitibus praedicti quondam domini Joannis Francisci notarii publici Ravennae patris mei infrascriptus processus in causa iam vertente inter fel. rec. s. d. n. d. Clementem papam septimum et Sanctam Sedem apostolicam agentem ex una, et ill. tunc d. d. ducem Ferrariae se defendentem partibus ex altera coram caesarea maiestate Caroli quinti imperatoris tanquam arbitri arbitratoris et amicabilis compositoris causae et per eandem caesaream maiestatem suam commissa mag. domino potestati mag. civitatis Ravennae. Cuius quidem processus, dequo fuit rogatus dictus q. pater meus tenor talis est ut infra; videlicet:

In Christi nomine amen. Haec sunt nonnulla acta exempla transumpta attestationes et recognitiones factae, et facta coram mag. ac clarissimo iuris consulto domino Baldassare de Bertarolis patricio Cesenatense civitatis Ravennae potestate dignissimo, et in presenti causa executore et iudice ac comm. deputato a sacratissima maiestate Caroli quinti augusti divina favente clementia Romanorum imperatoris ac Germaniae, Hispaniarum, utriusque Siciliae, Hierusalem etc., regis, archiducis Austriae, et prout de eius auctoritate latius constat ex literis

patentibus manu eiusdem caesarae maiestatis subscriptis, de quibus in presenti processu latius continetur sedente pro tribunali in civitate Ravennae et in metropolitana ecclesia super quadam bancha lignea in medio ipsius ecclesiae in causa vertente coram maiestate sua inter sanctissimum d. n. d. Clementem papam septimum et seu r. d. Joannem Petrum Ferrettum iur. utr. doctorem vicarium generalem dictae s. R. ecclesiae eiusdem s. d. n. papae procuratorem ex una, agentes et petentes, et ill. d. Alphonsum ducem Ferrariae, et seu d. Nicolaum Codeca nobilem Ferrariensem eiusdem ill. d. ducis procuratorem parte ex altera reos conventos et se defendentes, et per me Joannem Franciscum Benincasa publicum et authenticum notarium eiusdem civitatis Ravennae electum assumptum et deputatum notarium et scribam in dicta causa scripta rogata et publicata currentibus annis a nativitate domini nostri Jesu Christi millesimo quingentesimo trigesimo indictione tertia tempore pontificatus eiusdem serenissimi domini nostri domini Clementis septimi divina providentia pontificis maximi diebus vero, ac mensibus infrascriptis.

Eisdem anno, indictionis tempore, pontificatu, loco et die vigesima mensis Augusti de mane hora tertiarum.

Comparuit coram mag. domino Baldassare de Bertarolis Cesenatense civitatis Ravennae potestate dignissimo sedente pro tribunali ut supra rev. in Christo pater dominus Joannes Petrus Ferettus iur. utriu. doctor sanctae Ravennae ecclesiae canonicus prothonotarius apostolicus eiusdemque sanctae Ravennatensis ecclesiae vicarius generalis etc.

Nec non procurator serenissimi domini nostri domini Clementis divina providentia papae septimi, ac Sanctae Sedis apostolicae prout de eius procurationis mandato constat, et apparet ex publico instrumento scripto et rogato per d. Ventium Spathum de Cesis camerae apostolicae notarium quod actualiter exhibuit et produxit in publicam et autenticam formam una cum literis testimonialibus pro legitimatione suae personae. Nec non exhibuit ac presentavit quasdam literas patentes a sacratissimo d. d. Carolo quinto imperatore emanatas in papyro scriptas ac sigillo sacri imperii sigillatas dicto d. potestati directivas quas instetit aperiri, et legi ac fieri, mandari, et exequi iuxta et secundum earum tenorem et continentiam nec non eligi et deputari

locum suae iurisdictionis et horam determinari, in qua ius reddere intendit in causa prefata. Nec non eligi et deputari notarium idoneum sufficientem et peritum, qui habeat et possit se rogare seu a partibus rogari de omnibus et singulis actis, processibus testium, iuramentis, et eorum depositionibus, et seu attestationibus ac etiam de pronunciis exemplationibus et seu transumptionibus et aliis necessariis et opportunis pro expeditione et executione dictae commissionis, deputarique etiam nuntium qui habeat et possit in omnem casum et eventum citare tam verbo quam in scriptis quoscumque citandos et requirendos in presenti causa et omni alio meliori modo etc.

Tenor autem dicti mandati talis est, videlicet.

In nomine Domini amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter et sit notum quod anno a nativitate eiusdem Domini millesimo quingentesimo trigesimo indictione tertia die vero lunae decima quinta mensis Augusti pontificatus serenissimi in Christo patris et d. n. d. Clementis divina providentia papae septimi anno eius septimo. In mei camerae apostolicae notarii publici et testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presentia, presens et personaliter constitutus prefatus serenissimus d. n. Clemens papa septimus suo et Sedis apostolicae nomine citra revocationem quorumcumque procuratorum suorum per eum hactenus quomodolibet constitutorum revocationem sponte et ex eius certa scentia ac spontanea voluntate omnibus melioribus modo via iure causa, et forma quibus melius et efficacius potuit et debuit, fecit, constituit, ordinavit et deputavit, specialiterque et expresse in herendo quatenus opus sit substitutioni per r. d. Nicolaum de Ragonia causarum palatii apostolici auditorem, et Joannem Franciscum Burlam advocatum consistorialem suae sanctitatis in infrascripta causa principales procurato res factae nominavit suum ac dictae Sedis et camerae apostolicae procuratorem, actorem, factorem et negociorum suorum infrascriptorum gestorem ac nuntium specialem et generalem. Ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec econtra r. d. Joannem Petrum Ferrettum r. d. archiepiscopi Ravennatensis in spiritualibus vicarium generalem absentem tamquam presentem solum et insolidum specialiter et expresse ad ipsius serenissimi d. n. ac dictae Sedis et camerae apostolicae no-

mine et pro eo interessendum in civitate Ravennae pro die vigesima quinta huius mensis Augusti, et quibuscumque aliis diebus et temporibus ac comparendum et se presentandum coram dominis commissariis per caesaream maiestatem tanquam arbitrum arbitratorem et amicabilem compositorem causae coram eo pendentis inter eundem s. d. n. ex una et ill. d. d. Alphonsum Estensem pro duce Ferrariae se gerentem ex altera parte aut de et super rebus in compromisso in eandem caesaream maiestatem facto contentis in dicta civitate deputatis et coram eisdem dominis commissariis quaecunque privilegia instrumenta iura munimenta et documenta producentis illaque per testes fidedignos recognosci, et per notarium publicum seu publicos aut alias quascumque personas authenticas transumptari eisque fidem indubiam adhiberi ac illa observari facere petendum et obtinendum, et generaliter omnia alia et singula in premissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendum dicendum gerendum exercendum et procurandum que ipsemet s. d. n. suo ac dictae Sedis et camerae apostolicae nomine faceret et facere posset si premissis omnibus et singulis presens et personaliter interesset etiamsi talia forent quae mandatum exigerent magis speciale quam presentibus est expressum. Promittens insuper idem s. d. n. in verbo Romani pontificis suo ac dictae Sedis et camerae apostolicae nomine mihi notario publico infrascripto tanquam publicae et autenticae personae solenniter stipulanti et recipienti vice et nomine omnium et singulorum quorum interest intererit aut interesse poterit quomodolibet in futurum se ratum, gratum, firmum perpetuum habiturum totum id et quidquid per dictum eius procuratorem actum dictum factum gestum procuratumve fuerit in praemissis seu quomodolibet premissorum. Relevans nihilominus ex nunc et relevare volens eundem procuratorem suum ab omne onere satisdandi iudicioque sisti et iudicatum solvi cum omnibus et singulis clausulis necessariis et opportunis sub hypoteca et obligatione omnium et singulorum suorum, et Sedis prefatae et camerae apostolicae bonorum mobilium et immobilium ecclesiasticorum et temporalium presentium et futurorum, et qualibet alia iuris et facti renunciatione ad hec necessaria pariter et cautela de et super quibus omnibus et singulis premissis idem s. d. n. suo et Sedis ac camerae apostolicae predictae nomine a

me notario publico infrascripto camerae apostolicae unum vel plura publicum seu publica fieri atque confici petiit instrumentum et instrumenta. Acta fuerunt haec Romae in palatio apostolico sub anno indictione mense et pontificatu quibus supra, presentibus ibidem r.mo in Christo patre, domino Augustino Spinola cardinale Perusino sanctae Romanae ecclesiae camerario, et r. predicto domino Thoma de Prato episcopo Cariatense ipsius s. domini nostri papae datario nec non dominis Roberto de Pucciis et Francisco de Valoribus laicis Florentinis testibus ad premissa vocatis specialiter atque rogatis.

Et ego Veritius Spatha de Cesis clericus Spoletanae diocesis camerae apostolicae notarius, quia premissis omnibus et singulis una cum praenominatis testibus interfui, ideo hoc presens instrumentum aliena manu scriptum mea subscripsi ut publicavi, signum nomenque meum consuetum apponens in fidem rogatus etc.

A. Spinula tituli sancti Ciryaci in Termis.

Pbr. cardinalis Perusinus s. R. e. et s. d. n. papae camerarius etc.

Universis et singulis presentes inspecturis de mandato s. domini nostri Clementis divina providentia papae septimi vivae vocis oraculo super hoc nobis facto, et auctoritate nostri camerariatus officii fidem facimus et attestamur quod supradictus dominus Veritius Spatha de Cesis est publicus et camerae apostolicae notarius eiusque publicis scriptis indubia fides adhibetur in quorum fidem presentes manu propria subscripsimus, et soliti nostri camerariatus officii sigilli appensione muniri fecimus. Datum Romae in camera apostolica die i. Augusti mdxxx.

A. cardinalis camerarius

Bartolomeus Capellus,

camerae apostolicae notarius etc.

Qui magnificus dominus Baldassar de Berturolis patricius Cesenatens. potestas antedictus, et in presenti causa commissarius, et executor antedictus prefata admisit, si et in quantum, et viso dicto mandato, ac literis patentibus, quas, et quod ea reverentia qua decuit, et capite aperto ac inclinato recepit et ipsis lectis atque perlectis obtulit se paratum ius et iustitiam facere et administrare iuxta et secundum formam tenorem et continentiam dictae commissionis, et successive

deputavit me Joannem Franciscum Benincasam notarium et actuarium in dicta causa, et ad omnia necessaria et opportuna pro expeditione contentorum in dicta commissione, locumque suae iurisdictionis elegit et deputavit in presenti causa ecclesiam cathedralem eiusdem civitatis Ravennae in medio dictae ecclesiae et ibi die in dicta commissione determinata ius reddere vult et intendit tota illa die et qualibet hora et maxime de mane hora tertiarum et aliis horis determinandis si et cum opus fuerit nuntiumque et executorem cuiuscumque citationis et edicti faventis et exequentis in presenti causa et pro eius expeditione elegit et deputavit quemlibet nuntium civitatis Ravennae tam ecclesiasticum quam secularem omni meliori modo etc.

Tenor autem dictae commissionis talis est; videlicet:

Carolus quintus augustus divina favente clementia Romanorum imperator ac Germaniae, Hispaniarum, utriusque Siciliae, Hierusalem rex archidux Austriae etc. honorabili n. potestati seu pretori civitatis Ravennatensis fideli nobis dilecto gratiam nostram cesaream et omne bonum. Cum nuntii et procuratores beatitudinis pontificis pro expeditione causae coram nobis tanquam arbitro arbitratore et amicabili compositore vertente inter eandem sanctitatem pontificis et Sanctam Sedem apostolicam agentem ex una, et ill. ducem Ferrariae defendentem partibus ex altera super controversiis et contentionibus quibuscumque inter ipsas partes existentibus, et in actu compromissi inter easdem partes initi et firmati latius deductis egeat transumptis nonnullorum privilegiorum actorum scripturarum et instrumentorum aliorumque munimentorum isthic existentium, Nosque transumpta huiusmodi te presente videnteque exemplari et transcribi rectique et iuridice comprobari decreverimus; idcirco negocium huiusmodi tibi specialiter tenore presentium committimus. Mandantes tibi quatenus presente et audiente procuratore dicti ill. ducis apud nos agentes seu eius substituto cui peremptorie intimari iussimus ut per se aut substitutum suum legittimum intra vigesimum quintum diem proximi mensis Augusti coram te compareat ad videndum et audiendum dicta privilegia acta scripturas instrumenta et monimenta ad huiusmodi causam faciendam et illorum transcriptioni seu extractioni interessendum, dicendumque et allegandum

quidquid in oppositum dicere et allegare voluerit assumptoque ad id per te aliquo idoneo tabellione quecumque transumpta privilegiorum, actorum, scripturarum, et aliorum predictorum coram te exhibendorum illico lapso dicto termino comparente vel non dicti illustris ducis procuratore seu illius substituto, a suis formis originalibus vel eorum seu earum veris transumptis bene et fideliter ac de verbo ad verbum nihil addendo vel minuendo extrahi et exemplari recteque et iuridice comprobari ac signo et subscriptione tabellionis per te ad hoc deputati, signari sigillique tui impressione muniri facias, illoque nuntio seu procuratori prefatae sanctitatis tradas et consignes. Nos enim in et super omnibus et singulis premissis cum incidentibus dependentibus et emergentibus ex eisdem ac illis annexis et connexis locum et vices nostras ac plenum posse tibi committimus et conferimus. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri a tergo impressione munitarum. Datum Augustae die ultimo mensis Julii anno Domini mdxxx. Imperii nostri decimo.

Carolus.

Ad mandatum caesarae et catholicae maiestatis pp. All. Valdesius. Pro † sigillo.

Presente prefato reverendo domino Joanne Petro Ferretto procuratore antedicto et dicto nomine prefatis instante, et successive pro expeditione dictae commissionis, et ad abundantiorem cautelam petente committi citari per aedictum publicum foribus dictae ecclesiae cathedralis affigente et affixum dimittente ptum. ill. d. Alphonsum Estensem se pro duce Ferrariae gerentem quatenus xxv. die instantis mensis proxime futura per nos prefigenda compareat legitime et coram d. n. in dicto loco deputato ad videndum, et audiendum nonnulla privilegia acta scripturas et instrumenta et monimenta in archivio eiusdem sanctae Ravennatis ecclesiae existentia et recondita ad causam seu causas facientes et facientia prelibati s. d. n. papae et illorum transcriptioni seu extractioni interessendum dicendumque, et allegandum quidquid in oppositum dicere et allegare voluerit, et prefata omnia in forma de iure valida.

Qui magnificus dominus potestas et commissarius ac executor

antedictus ut supra pro tribunali sedens prefata admisit si et in quantum et visis et auditis prefatis commisit prefatum ill. d. Alphonsum citari ut supra petitum est in forma.

Acta fuerunt hec omnia in civitate Ravennae in dicta ecclesia cathedrali ad locum ut supra iuridicum presentibus ibidem reverendo d. Nicolao Avimano de Fulgionea dictae sanctae Ravennatis ecclesiae canonico, domino Baldassare Bacinetto magistro chori eiusdem ecclesiae, domino Hieronimo Elephantutio, magistro capellae musicae, et domino Vincentio Francho, domino Petro Francisco de Forasteriis, domino Philippo de Solarollis omnibus presbiteris civitatis Ravennae testibus ad predicta vocatis etc.

Tenor autem dicti edicti et citationis talis est videtur.

Baldassar Berturolus Cesenas iuris utriusque doctor civitatis Ravennae potestas et in hac parte sacri Imperii imperialis commissarius.

Noverint universi et singuli has presentes nostras literas inspecturi pariterque lecturi, qualiter anno a nativitate domini nostri Jesu Christi millesimo quingentesimo trigesimo indictione tertia tempore pontificatus s. in Christo patris et domini nostri domini Clementis septimi divina favente clementia pontificis maximi, die vero vigesima mensis Augusti, r.dus in Christo pater d. Joannes Petrus Ferrettus iuris utriusque doctor canonicus Ravennatensis prothonotarius apostolicus sanctaeque Ravennatensis ecclesie vicarius generalis, et necnon s. d. n. d. Clementis divina providentia papae septimi procurator ac ad infrascripta omnia et singula peragenda nuntius specialiter deputatus unicus, prout de eius procurationis mandato constat, et apparet ex publico instrumento scripto et rogato per d. Veritium Spatham de Cesis clericum Spoletanae diocesis camerae apostolicae notarium per me notarium infrascriptum viso et lecto coram nobis in ecclesia cathedrali sanctae Ravennatensis ecclesiae de mane hora tertiarum comparuit et dicto procuratorio nomine exhibuit et presentavit quasdam litteras a sacratissimo domino domino Carolo quinto augusto Romanorum imperatore et manu sua subscriptas, ac a tergo ipsarum sigillo sacri Imperii sigillatas, quas quidem litteras ut supra exhibitas et presentatas cum omni qua decuit reverentia admisimus et recepimus huiusmodi sub tenore, videlicet: Carolus quintus

augustus divina favente clementia Romanorum imperator ac Germaniae Hispaniarum utriusque Siciliae Hierusalem et rex archidux Austriae etc. honorabili n. potestati seu pretori civitatis Ravennatensis fideli nobis dilecto gratiam nostram caesaream et omne bonum. Cum nuntii et procuratores beatitudinis pontificis pro expeditione causae coram nobis tanquam arbitro arbitratore, et amicabili compositore vertentis inter eandem sanctitatem pontificis et Sanctam Sedem apostolicam agentem ex una, et illustrem ducem Ferrariae defendentem partibus ex altera super controversis et contentionibus quibuscumque inter partes ipsas existentibus et in acta compromissi inter easdem partes initi et firmati latius deductis egeat transumptis authenticis nonnullorum privilegiorum actorum scripturarum et instrumentorum aliorumque monimentorum isthic existentium, Nosque transumpta istrumenta te presente videnteque exemplari et transcribi, recteque ac iuridice comprobari decreverimus. Idcirco negocium huiusmodi tibi specialiter tenore presentium committimus, mandantes tibi quatenus presente et audiente procuratore dicti illustris ducis apud nos agente seu eius substituto, cui peremptorie intimari iussimus, ut per se aut substitutum suum legitimum intra trigesimum quintum diem proximi mensis Augusti coram te compareat ad videndum et audiendum dicta privilegia acta scripturas instrumenta et monimenta ad huiusmodi causam facientia, et illorum transumptioni seu extractioni interessendum dicendumque et allegandum quidquid in oppositum dicere et allegare voluerit, assumptoque ad id per te aliquo idoneo tabellione quecumque tramsumpta privilegiorum actorum scripturarum et aliorum monumentorum coram te exhibendorum illico lapso dicto termino comparente vel non dicti illustris procuratore seu illius substituto a suis formis originalibus vel eorum seu earum variis transumptis bene et fideliter ac de verbo ad verbum nihil addendo vel minuendo extrahi exemplari recteque et iuridice comprobari ac signo ac subscriptione tabellionis per te ad hoc deputati signari, sigillique tui impressione muniri facias illaque nuntio seu procuratori prefatae sanctitatis tradas et consignes. Nos enim in et super omnibus et singulis premissis tam incidentibus dependentibus et emergentibus ex eisdem ac illis annexis et connexis locum et vices nostras, ac plenum posse tibi committimus et conferimus. Harum

testimonio litterarum manu nostra subscriptarum et sigilli nostri a tergo impressione munitarum. Datum Augustae die ultimo mensis Julii anno domini mdxxx. Imperii nostri x. Carolus etc. Ad mandatum cesareae et catholicae maiestatis pp. All. Valdesius etc. Post quarum quidem literarum imperialium nobis ut supra factam receptionem, et presentationem fecimus per antedictum r. d. Joannem Petrum Ferrettum procuratorem antedictum debita cum instantia requisiti quatenus sibi dicto nomine literas citatorias contra et adversus ill. d. d. Alphonsum Estensem ducem Ferrariae in eisdem literis imperialibus principaliter nominati decernere et concedere vellemus. Idcirco nos Baldassar potestas et iudex ac executor antedictus auctoritate nobis commissa, et qua fungimur in hac parte volentes mandatis praelibati sacratissimi imperatoris ut decet obtemperare vos ill. d. d. Alphonsum ducem Ferrariae seu alium pro vobis legitime intervenientem tenore presentium citamus monemus et requirimus primo, secundo, tertio et peremptorie quatenus die Jovis proxime futura que erit dies xxv. instantis mensis Augusti coram nobis in civitate Ravennae in ecclesia cathedrali eiusdem de mane hora tertiarum quem locum deputavimus pro iuridico, et tribunali nostro per procuratorem vestrum legitimum et idoneum compareatis ad videndum et audiendum nonnulla privilegia acta scripturas instrumenta et munimenta ad casum facientia et concernentia, et illorum transcriptioni seu extractioni interessendum dicendumque et allegandum quicquid in oppositum dicere et allegare volueritis, alias lapso dicto termino et vestro comparente vel non procuratore seu vestro idoneo agente vel substituto predicta privilegia acta scripturas instrumenta et munimenta ad causam facientia, ac eam concernentia apud quascumque personas existentia originaliter et eorum vera tramsumpta a suis formis originalibus in publicam formam redactas et redacta ac sub sigillis authenticis sigillata, et sub talibus modo et forma quod eisdem merito in Romana curia, et extra valeat, et debeat fides plenaria adhiberi nihil addendo vel minuendo aut mutando quod facti substantiam mutet seu variet intellectum extrahi et exemplari recteque et iuridice comprobari signo tabellionis nostri ad hec deputati per nos legitime curabimus illaque nuntio seu procuratori prefati s. d. n. papae trademus et consignabimus, in quorum omnium

et singulorum fidem et testimonium hac presentes literas per infrascriptum notarium civitatis Ravennae publicum ac scribam in presenti causa deputatum scribi et subscribi ac sigilli nostri impressione muniri mandavimus et iussimus. Datum et actum Ravennae in palatio Ravennae in loco nostro deputato die vigesima mensis Augusti mdxxx. Pro † sigillo. Joannes Franciscus Benincasa notarius Ravennae ac in presenti causa deputatus mandato etc.

Eisdem anno indictione tempore pontificatu, et die xxi. mensis Augusti.

Retulit mihi notario infrascripto existenti in loco ut supra deputato d. Dominicus Bacinettus clericus Ravennatensis unus ex sacristis eiusdem sanctae Ravennatensis ecclesiae se hoc presenti die de mane de mandato predicti magnifici d. potestatis et commissariis affixisse ad valvas ecclesiae cathedralis Ravennae citationem et edictum ut supra commissum et emanatum per prefatum d. potestatem et executorem etc. et ibi affixum dimisisse et reliquisse et fecisse ac executum fuisse prout et sicut habuit in mandatis, et hoc ad instantiam et petitionem praedicti r. domini Joannis Petri Ferretti procuratoris antedicti omni meliori modo.

Item et dicta die et loco dominus Bernardinus Maroncinus clericus Ravennatensis unus ex sacristis dictae ecclesiae cathedralis retulit mihi notario infrascripto se hoc mane affixisse et affixum dimisisse ad columnas palatii communis Ravennae ubi talia fieri solent, edictum et citationem ut supra commissum et emanatum contra dictum ill. d. Alphonsum Estensem et dixisse fecisse, et prout, et sicut habuit in mandatis, et hoc ad instantiam et petitionem prefati r. dni. Joannis Petri Ferretti procuratoris antedicti et hec omni meliori modo.

Qui magnificus d. potestas, et commissarius prefata admisit si et in quantum. Die martis xxiii. Augusti mdxxx de mane hora deputata.

Comparuit coram magnifico domino Baldassare de Berturolis de Cesena civitatis Ravennae potestate existente in ecclesia Ravennae in loco ut supra deputato r. in Christo pater d. Joannes Petrus Ferrettus quo supra nomine et produxit ac reproduxit iterum et denuo literas a sacratissimo domino domino Carolo quinto imperatore v. Maii directas

nec non instrumentum suae procurationis alias productas, nec non alia acta facta et actitata coram d. v. in presenti causa, non recedendo tamen ab alia productione et comparitione per ipsum alias facta et petiit ac instetit fieri et exequi prout in dictis literis et iuxta earundem tenorem et continentiam procedi et observari iuxta alias' petita, et instita per ipsum dicto nomine. Nec non instetit per d. n. committi debere literas citatorias per edictum in forma et contra et adversus prefatum ill. d. d. Alphonsum se pro duce Ferrariae gerentem pro die Jovis proxime futura quae erit die xxv. instantis ad videndum testes per prefatum r. d. procuratorem inducentem in presenti causa iurari et examinari super ipsius capitulis producendis omni meliori modo.

Qui magnificus d. potestas et executor antedictus ubi supra existens et sedens prefata admisit si et in quantum obtulitque se paratum facere iuxta prefatarum literarum imperialium tenorem et continentiam. Nec non dictas literas citatorias iuxta petita commisit affigendas ad valvas ecclesiae cathedralis, nec non ad columnas palatii comunis Ravennae tenoris infrascripti etc.

Eisdem anno indictione tempore pontiphicatu die xxiv. Augusti de mane.

Coram magnifico d. potestate Ravennae commissario et sedente pro tribunali in ecclesia cathedrali et loco deputato et electo per prefatum magnificum d. commissarium etc.

Comparuit spectabilis et egregius iuris peritus d. Nicolaus Codica civis et causidicus Ferrariensis et camerae ducalis sindicus et procurator, ac procurator ill. d. ducis Alphonsi Estensis ducis Ferrariae et habens a prefato ill. d. duce ad infrascripta speciale et generale mandatum rogatum per magnificum d. Opizonem rerum celsitudinis suae secretarium stipulatum de anno presenti die vigesimo mensis Augusti et dicto nomine, et ante omnia pro legitimatione personae suae usus fuit instrumento dicti eius mandati etc. Insuper ipse d. Nicolaus dicto nomine intellectis quibusdam citationibus et commissionibus impositis ut dicitur per aedictum, et quocumque alio modo dixit citationi prefatae ac omnibus et singulis actis et actitatis contra praefatum ill. d. principalem suum non consentire et protestatum fuit de eorum, petiitque

antequam deveniatur ad petitionem collationem sive transumptionem assertorum iurium sanctitatem d. n. per prefatum d. commissarium sibi decerni, et imponi et dari copiam omnium et quorumcumque assertorum iurium petitorum insinuandorum et transmittendorum ut dicitur in Augusta maiestatis caesareae; alias protestatus fuit, et protestatur de nullitate omnium agendorum in premissis et circa premissa, et hoc omni meliori modo etc. Nec non instetit elegi et deputari horas, in quibus et inter quas comparere possit ad actus successivos fiendos in presenti causa petiitque revocari aedictum impositum in se continens ipso iure et protestatus fuit haberi pro revocatis, elegitque ipse d. procurator pro eius domicilio hospitium ensium positum in presenti civitate, in qua citari possit ad actus successivos fiendos circa collationem predictam. Tenor mandati predicti sequitur.

Presente r. in Christo patre domino Joanne Petro Ferretta procuratore s. d. n. et eius Sanctae Sedis apostolicae prout apparet de eius mandato in actis mei notarii producto, et de novo etiam quatenus opus sit reproducente actualiter predictaque per predictum procuratorem ill. d. Alphonsi et acceptante in parte, et partibus faciente et facientibus pro dicto s. domino nostro etc. In caeteris vero facientibus contra minime; immo de nullitate protestante inherenteque omnibus supra factis coram predicto magnifico domino commissario dicenteque minime revocari debere dicti ill. d. contumacia protestantique etc. omni meliori modo et salvis semper exceptis.

Presenteque dicto d. Nicolao et predictis non consentiente nisi in parte et partibus dicenteque non obstantibus predictis deveniendum esse ad petita per ipsum.

Presente dicto r. d. procuratore et predictis per eum protestatis inherente petenteque moneri dictum dom. procuratorem ill. domini Alphonsi pro die crastina de mane hora xiii.

Qui magnificus d. potestas et commissarius sedens etc. predicta admisit si et in quantum, et monuit dictos d. procuratores presentes pro die crastina que erit xxv. presentis mensis ad interessendum predictis auscultationibus et transumptionibus omni meliori modo etc.

Presente d. Nicolao procuratore predicti ill. domini ducis et predictis non consentiente etc.

Eisdem anno indictione tempore pontificatu die Jovis xxv. Augusti de mane.

Comparuit coram magnifico domino potestate commissario et r. d. Joannes Petrus Ferrettus vicarius et procurator s. domini nostri ut in actis constat de mandato penes me notarium predictum exhibito et producto authentico etc., et in termino sibi prefixo in causa et causis super exarcatu Ravennati quam habet cum ill. domino Alphonso pro duce Ferrariae se gerente, et literis et scripturis privilegiis et aliis scripturis producente facientibus ad dictam causam produxit unum librum synodarium magnum vocatum seu librum conciliorum universalis ecclesiae. Nec non librum Ricobaldi Ferrariensis vocatum. Item privilegia quedam intitulata privilegia concessa a summis pontificibus et Romanis imperatoribus, item unam bullam Gregorii pontificis primi et predicta omnia produxit et exhibuit in parte et partibus faciente et facientibus in favorem prefati s. d. n. in reliquis vero preiudicialibus minime, petiitque iuxta alias petita per ipsum inscontrari auctinticari et exemplari ita quod eis fides tribuatur iuxta solitum et consuetudinem Ravennae et prefata omni meliori modo etc.

Presente dicto d. Nicolao nomine ill. domini ducis Ferrariae et presentis non consentiente nisi in parte et partibus ac protestante de nullitate, necnon petente primo, et ante omnia predictum procuratorem s. d. n. nominare specifice iura contenta in dictis libris quibus intendit uti in presenti causa cum intendat prius de eis habere copiam necnon dixit non esse deveniendum ad aliquam auscultationem et trasumptum nisi servata forma literarum sacratissimi imperatoris transmissarum prefato magnifico d. potestati quia iura exhibita quae petunt exemplari non sunt authentica nec legitime tramsumpta ex authenticis prout continetur in ipsis literis, etsi secus factum fuerit stante forma dictarum literarum de nullitate protestatus fuit dictae exemplationis et tramsumpti maxime cum sint copiae simplices et non authenticae nec legitime transumptae.

Presente dicto r. d. Joanne Petro vicario et procuratore predicti s. d. n. et prefata acceptante in parte et partibus, et in parte et partibus contradicente, et dicente quoad primam assertam oppositionem factam per prefatum procuratorem ill. domino Alphonsi pro duce et

videtur quod exprimat quibus intedit uti in dictis privilegiis contentis cum sit superfluum exprimere quibus vult uti cum sint exemplata, et audita et lecta copia dictorum exemplatorum vel exemplandorum et propterea non teneri ad exprimendum aliter nec alio modo, et prout expressum fuit. Item dicente quoad illud quod dicitur non debere deveniri ad exemplationem scripturarum predictarum et librorum cum non sint authentica sed potius exempla et dicente totum esse contrarium quod eis fides est adhibenda, cum sint originalia libri, et scripturae antiquissimae reperte in archivio publico quibus fides adhibetur ex forma iuris et consuetudinis civitatis Revennae . . . . . . illis non obstante tanquam frivolis et frustratoriis ac calumniosis instantes dictas scripturas ut supra exemplari, auscultari et autenticari, quibus authenticatis fides omnimoda erit et est adhibenda ut iura volunt, attenta eius antiquissima natura, et predicta omni meliori modo etc.

Presente dicto d. Nicolao dicto nomine, et predictis non consentiente et dicente quod stante forma dictarum literarum non esse deveniendum nec deveniri debet ad dictam auscultationem, et tramsumptationem nisi servata dicta forma in ipsis literis, etsi secus factum fuerit protestante iterum de nullitate, neganteque habuisse copiam aliquam iurium transumptatorum sed solum copiam iurium quae per partem adversam auscultari petuntur, licet de iure auscultari non debent omni meliori modo etc.

Presente prefato r. domino Jo. Petro procuratore prefati s. domini nostri et instante ac petente ut supra omni meliori modo etc.

Eisdem anno indictione tempore pontificatu mense die ac loco quibus supra.

Comparuit coram magnifico d. potestate et executore sedente etc., r. d. Jo. Petrus Ferrettus vicarius etc. et procurator s. d. n. et in supradicto termino ad exemplandum, et transumptandum iura scripturas et libros, et alia iura pro parte s. d. n. et ad probandum dictos libros videlicet nominatos in actis superius fuisse et esse originalia et matrices, et authenticae, et fuisse, et esse de archivio, et in archivio sanctae Ravennatis ecclesiae, et eisdem libris semper fuisse et esse adhibitam plenam et indubitatam fidem ab omnibus in iudicio et extra, et ad eosdem libros semper adhibitam fuisse et esse reversum tanquam

ad vera et authentica originalia et talia contenta in capitulis quae actualiter exhibuit et produxit, et super quibus petiit diligenter interrogare testes infrascriptos videtur r. d. Paulum Vesium episcopum Cassensem suffraganeum etc., et r. d. Philippum Rasponum canonicum nec non petiit committi iusiurandum ad r. d. Aquilantem de Salamonibus etiam canonicum Ravennatensem existentem in eius domo in civitate Ravennae graviter infirmum et aliter comparere non valentem tanquam bene informatos de iuribus et contentis in dictis capitulis quibus omnibus deferri iuramentum de veritate dicentes super dictis capitulis et contentis in eis remotis etc. Protestans per eum non stare neque stetisse quin dicti testes examinentur et ut supra recognoscunt et veritatem pro utraque parte dicant et hoc omni meliori modo etc.

Presente dicto d. Nicolao dicto nomine et prefatis non consentiente neganteque libros assertos repertos in asserto archivio civitatis Ravennae fuisse autenticos, necnon dicente non esse deveniendum ad aliquod examen cum non sit . . . . . . aliquod examen serenissimum imperatorem in literis dimissoriis prefato magnifico d. potestate et si secus factum fuerit protestante de nullitate.

Qui magnificus d. potestas et commissarius sedens etc. prefata admisit si et in quantum, et iuramentum desubit monitione premissa prefatis r. d. Paulo Vesio episcopo etc., et suffraganeo, et n. d. Philippo Raspono canonico et presentibus et iurandum ad sacra Dei evangelia manibus tactis scripturis veritatem dicere super dictis capitulis productis et remotis et omni meliori modo etc.

Presente dicto d. procuratore ill. d. ducis Ferrarie, et prefatis non consentiente, et de nullitate protestante.

Presente prefato n. d. Jo. Petro Ferretto procuratore eiusdem s. d. n. papae et in dicto termino dato ad probandum et exemplandum et scripturas et alia munimenta recognoscendam actualiter producendam quandam bullam vetustissimam incipientem: — Joannes episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Avinionensi et omisso tenore dictae bullae sub data Avinioni decimo kalendas Augusti pontificatus nostri anno quinto, cum plumbo, item aliam incipientem Venerabili fratri episcopo Bononiensi sub data Avinioni decimo tertio kalendas Decembris pontificatus anno quinto. Item aliam bullam in-

cipientem Joannes episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Ferrariensi sub data Avinioni decimo kalendas Martii pontificatus anno sexto. Item aliam bullam incipientem Joannes episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Aymerico archiepiscopo Ravennatensi cum plumbo suo, datam Avinioni septimo idus Aprilis pontificatus anno septimo. Item aliam incipientem Joannes episcopus servus servorum Dei venerabili fratri archiepiscopo Ravennatensi sub data Avinioni kalendas Septembris anno septimo. Item aliam bullam incipientem Joannes episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Ravennatensi, et Imolensi etc. Item aliam bullam incipientem in Christi nomine amen, anno eiusdem nativitatis millesimo tricentesimo vigesimo. In fine autem publicum instrumentum. Item aliam bullam incipientem. In Christi nomine die lunae fine vero posui consuetum. Item aliam bullam incipientem Arnaldus miseratione divina. In fine vero anno quarto. Item aliam bullam incipientem in Christi nomine amen. In fine vero facere publicum instrumentum; item instrumentum publicum incipiente Universis presentes literas subscriptas manu cuiusdam ser Antonii de Codano. Item unam aliam bullam incipientem Universis presentes lecturis finientem et pontificatu predictis, quibus omnibus utente in parte et partibus faciente et facientibus in favorem iurium s. domini nostri in aliis vero preiudicialibus non consentiente sed expresso contradicente, quas, et earum quamlibet petente recognosci a dictis testibus an sint scripturae archivii publici sanctae Ravennatis ecclesiae nec ne, et an ad illas et earum quamlibet semper fuerit etsi habitus reversus tanquam ad vera originalia authentica, et matrices, et illis et earum cuilibet semper et maxime sb annis x. xx. xxx. L.ta octuaginta et centum, et cetra et ultra, et semper et continue ad eo quod memoria in contrarium non extat fuerit etsi plena et indubitata fides ab omnibus in iudicio et extra, et omni alio meliori modo etc.

Presente dicto d. Nicolao dicto nomine, et predictis non consentiente nisi in parte et partibus ac protestante de nullitate nec non instante ac petente declarari per d. d. procuratorem s. d. n. utrum hodierna die intendat exemplari facere predictas bullas iuxta tenorem literarum ser. domini imperatoris vel transmittere ad prefatum imperatorem ut possit deliberare quid agendum sit pro parte ill. d. ducis

principalis sui necnon petente copiam . . . . . productionis dictarum assertarum bullarum.

Presente prefato d. Joanne Petro Ferretto procuratore antedicto et prefata acceptante in parte et partibus in aliis minime, et negante se teneri aliter ad declarandum, an vellet dictas scripturas exemplari facere vel originalia transmittere necnon petente moneri prefatum d. Nicolaum assertum procuratorem prefatum pro certa hora determinanda hoc presenti die ad videndum pronuntiari et declarari dicta tramsumpta et exempla fuisse et esse auscultata et collationata cum dictis earum et seu eorum originalibus, et inventa fuisse concordari per dictos magnificum d. potestatem et commissarium deputatum ut supra et per me notarium infrascriptum et ad videndum pronuntiari et declarari de cetero et in perpetuum fidem plenariam et indubitatam adhibendam esse dictis exemplis in iudicio et extra sicut propriis et veris originalibus suis necnon auctoritatem et decretum pariter interponi prefati d. commissarii ac etiam cesareae maiestatis et omni alio meliori modo etc.

Presente dicto domino Nicolao et prefatis non consentiente et negante dictas copias fuisse transumptas et exemplatas cum originalibus transumptis ex originalibus legitime factis quinimo solum fuisse auscultatas cum copiis ut ex inspectione ipsarum copiarum apparet, dicenteque prefatum r. d. procuratorem teneri et obligatum esse dicere et declarare utrum intendat presenti die exemplari facere vel ne, quia ubi intendit exemplari facere vult esse presens videre audire et intelligere dicto exemplo sic fiendo de dictis bullis et instrumentis et si secus factum fuerit protestante de nullitate omni meliori modo etc.

Qui magnificus d. potestas et commissarius sedens etc. prefata admisit si et in quantum, et visis et auditis prefatis monuit partem hinc inde pro parte die hora xxiii. et monuit ipsum d. Nicolaum dicto nomine ad interessendum hodierna die post prandium incontinenti in domo domini Aquilantis antedicti in civitate Ravennae in contrata sancti Georgii ad videndum iurare dictum d. Aquilantem et ad videndum dictas scripturas recognosci et alia producta pro parte s. domini nostri ut supra petitum est et terminum statuit quatuor horarum ad presentandum interrogatoria, si quae dare vel facere intendit pro parte ill. domini ducis Ferrariae tenor autem capitulorum exhibit pro parte

r. d. Joannis Petri Ferretti procuratoris s. domini nostri papae talis est ut supra videtur.

Comparet r. d. Joannes Petrus Ferrettus iuris utriusque doctor canonicus Ravennatensis ibidemque sanctae Ravennatensis ecclesiae vicarius generalis procurator et ex nomine s. d. nostri domini Clementis papae VII. et Sanctae Sedis apostolicae in termino sibi prefixo per vos magnificum d. Baldassarem Berturolum de Caesena iuris utriusque doctorem potestatem seu praetorem civitatis Ravennae commissarium delegatum seu alias compulsorem ad extrahendum iura per invictissimum Caesarem deputatum in causa et causis compromissi seu alias facti in personam maiestatis suae caesareae per prefatum s. d. n. Clementem septimum et Alphonsum Estensem se pro duce Ferrariae gerentem prout latius in instrumento compromissi continetur ad quod se refert. et ad instantiam dicti sui domini principalis nomine sanctitatis suae et alias in omnem alium meliorem modum finem et effectum dat facit et exhibet petitiones et articulos infrascriptos ad quos probandum se admitti petit non astringens se tamen ad aliquam superfluam probationem sed ad ea solum et duntaxat quae sibi dicto nomine s. d. n. et Sanctae Sedis apostolicae sufficiant ad intentionem suam consequendam de quo protestatur expresse.

In primis enim dicit et probare intendit quod a decem xx. xxx. L.^ta^ centum annis citra et supra in civitate Ravennatensi et in sancta eiusdem ecclesia cathedrali fuit et esse consuevit, et hodie est quoddam archivium publicum communiter vocatum et appellatum cartilogium in quo scripturae, instrumenta, privilegia documenta bullae seu literae apostolicae Romanorum pontificum, imperatorum et regum aliorum quoque principum presulum civitatumque in exarcatu Ravennatense contentarum et comprehensarum aliarumque diversarum personarum etiam antiquissima, et litteris etiam gotticis ac longobardis exarata spectantia et pertinentia non solum ad dictam ecclesiam Ravennatensem sed etiam ad Bononiensem, Mutinensem, Regiensem, Parmensem et Placentinam Emiliam nuncupatam necnon ad Flaminiam, et Pentapolis in exarcatu Ravennatensi comprehensa prout ex eis evidenter constat et apparet palam publice et sic fuit et est verum.

Item ponit et probare intendit quod omnibus et quibuscumque scripturis munimentis privilegiis bullis literis, et quibuscumque instrumentis et aliis libris in dicto archivio existentibus, et in dicto archivio repertis, ac ex eo extractis plena et indubitata fides adhibetur et semper adhibita fuit et est in dicta civitate Ravennatense in Romana curia, et aliis locis in quibus contingit eos presentari et deduci, et sic fuit et est verum palam publice, et testes qui desuper examinabuntur haec omnia sciunt, et sic fieri et esse viderunt.

Item quod munimenta bullae privilegia ac scripturae ex dicto archivio pro causa huiusmodi extrahuntur, sunt, fuerunt reperta in dicto archivio et in eo archivio usque ad presentem diem semper extiterunt et eisdem fidem indubitatam adhiberi debere prout semper adhibita fuit, et testes desuper examinantes ea munimenta privilegia et scripturas huiusmodi recognoscent, et sigilla etiamsi ob vetustatem elapsa forent fore et esse authentica, vera, et fidem indubiam adhibendam fore et in dicto archivio reperta, in quo ab innumerabili tempore inantea conservata fuerunt prout conservare melius potuerunt palam publice et sic fuit verum.

Item quod propter antiquitatem non possunt esse sic ut conveniret, sed tamen talia sunt prout ex inspectione earundem aperte constat, et ex vetustate quod omnimoda fides est adhibenda et adhiberi debetur, cum in dicto archivio seu cartilogio semper visa fuerint, et sint, et ab eo extracta palam publice, et sic fuit et est verum.

Item quod premissa omnia et singula fuerunt erant et sunt vera publica notoria, et de eis omnibus et singulis fuit et est publica vox et fama; petit igitur dictus procurator nomine quo supra s. d. n. per vos d. iudicem compulsorem, et seu delegatum maiestatis caesareae commissarium huiusmodi vestramque declarationem decerni et declarari fore et esse omnimodam fidem adhibendam, et adhiberi debere, et decretum vestrum interponi in similibus solitum cum literis fidem facientibus etc. interponi unum officium in premissis implorando etc. salvo iure etc. et protestatur etc.

Tenor autem testium examinatus talis est ut infra videtur.

Eisdem anno indictione pontificatu die loco infrascripto post prandium.

Coram magnifico ac clarissimo domino potestate et commissario ac executore antedicto sedènte pro tribunali in civitate Ravennae in domo r. d. Aquilantis de Salamonibus canonici sanctae Ravennatensis ecclesiae in camera inferiori post introitum a latere dextro, quem locum magnificientiae suae pronuntiavit iuridicum, et pro iuridico haberi voluit et mandavit quoad omnia in presenti delatione iuramenti deferendi prefato d. Aquilanti, et eius examen, ad quem locum magnificientiae suae accessit propter gravissimam infirmitatem et decrepitatem prefati domini Aquilantis comparuit r. d. Joannes Petrus Ferrettus procurator antedictus et dicto nomine primo et ante omnia accusavit contumaciam domini Nicolai Codecha asserti procuratoris ill. d. Alphonsi presentis ducis Ferrariae moniti pro hac die et hora in dicto loco ad interessendum iuramento deferendo prefato domino Aquilanti super recognitione et aliis deductis, et allegatis in causa non comparentis, et in eius contumacia induxit in testem prefatum r. d. Aquilantem de Salamonibus canonicum antedictum presentem, et graviter infirmum et decrepitum cui deferri petiit iuramentum de veritate dicenda super capitulis et aliis deductis pro parte s. domini nostri et omni alio meliori modo etc.

Eidemque dom. Aquilanti ostendi libros, et bullas et alia munimenta ipsius causae et eundem interrogari super documenti recognitione omni meliori modo etc.

Qui magnificus d. potestas et commissarius ut supra pro tribunali sedens visis et auditis prefatis, et visa contumacia dicti domini Nicolai procuratoris antedicti, et omnibus aliis consideratis considerandum iuramentum detulit dicto domino Aquilanti presenti, et manu tactis scripturis corporaliter iuranti ad sancta Dei evangelia de veritate dicenda super capitulis et aliis productis pro parte s. d. n. omni meliori modo etc.

Reverendus in Christo pater d. Aquilantes qui Leonardi de Salamonibus sanctae Ravennatensis ecclesiae canonicus testis inductus per dictum r. d. procuratorem s. d. n. Sanctaeque Sedis apostolicae citatus monitus iuratus ac diligenter examinatus per prefatum magnificum d. potestatem et commissarium super capitulis et aliis productis per dictum r. d. procuratorem qui testis suo iuramento mediante testificando dixit etc.

Super primo interrogatus dixit quod a x. xx. xxx. quadraginta quinquaginta, sexaginta et septuaginta annis citra de quibus ipse testis

recordatur in civitate Ravennae in ecclesia cathedrali eiusdem civitatis fuit, et ad presens est quoddam archivium publicum vulgariter nuncupatum et ab omnibus appellatum il cartilogio, in quo loco et archivio scripturae instrumenta privilegia documenta monimenta bullae litterae apostolicae Romanorum pontificum et sacratissimorum imperatorum et regum, aliorumque principum presulumque civitatis eiusdem exarcatus dictae civitatis Ravennae antiquissima conservantur literis non solum vulgaribus sed latinis gotticis longobardis spectantia et pertinentia non solum ad dictam ecclesiam cathedralem dictae civitatis sed etiam ad Bononiensem, Mutinensem, Regiensem, Parmensem et Placentinam Emiliam nuncupatam necnon ad Flaminiam, et Pentapolim in exarcatu eiusdem civitatis, et haec constant et apparent palam et publice in dicta civitate, et aliis locis per homines a dicto archivio seu cartilogio habentes notitiam.

Item dixit quod predictis scripturis omnibus et quibuscumque inventis in dicto archivio seu cartilogio plena immo plenissima adhibetur fides, et semper ac continue adhibita fuit, et ad presens adhibetur fides tam in dicta civitate quam etiam in Romana curia et aliis quibuscumque locis ubi contingit prefatas scripturas privilegia apostolicas litteras tam Romanorum pontificum quam sacratissimorum imperatorum et regum et alias scripturas exinde extractas presentari et deduci, et hoc fuit et est verum palam publicum et notorium inter omnes homines dictae civitatis et extra de predicto archivio, et eiusdem loci observantia notitiam habentes.

Item dixit quod munimenta vera et scripturas extractas de dicto archivio verum librum intitulatum Cronica Ricobaldi quae incipit intus „liber pomerium ecclesiae Ravennatis“ in quo adest capitulum sexagesimum sub rubrica de Flaminia et capitulum sexagesimum primum sub rubrica de Aemilia, et librum magnum consiliorum incipientem in quinta membrana „perpetuo regnante“, et multas alias scripturas et bullas privilegia continue stetisse in dicto archivio et ibi a tempore, quo ipse recordatur fuisse reperta et ibi stetisse usque in presentem diem quibus fides indubitata adhibetur et semper adhibita fuit in omnibus locis ubi contingit ipsa presentari tam in dicta civitate, quam etiam in aliis locis, et per ipsum testem testificata omnia et singula fuerunt, et sunt

vera, et sunt publica et notoria in dicta civitate, et aliis locis penes homines de prefato archivio et antiquissimis scripturis predictis notitiam habentes.

Interrogatus in causa scientiae dixit predicta scire quia presens fuit, et vidit multotiens dictum locum et scripturas, et extrahi et transumptari alias scripturas et exempla fieri, et dictis scripturis antiquissimis, et eisdem plenam adhiberi fidem in Romanam et in aliis locis, ubi fuit necesse illa produci et predictum locum nuncupatum ut supra fuisse continue custoditum a magnis viris et absque difficultate aditum ad ipsum haberi non potuisse nisi ex maxima causa, et claves dicti loci stetisse penes cimiarcas, et sacristas de loco ut supra, de tempore ut supra. De contestibus de se teste, et r. d. Paulo Vesio episcopo Cassense et r. domino Philippo Raspono super generalibus dixit quod predicta deposuit pro veritate et est annorum 80 et in bonis habere valorem ducatorem duorum millium.

Reverendus in X.pto pater d. Paulus Veggius episcopus Cassensis sanctae Ravennatis ecclesiae suffraganeus alius testis ut supra productus per dictum r. d. procuratorem, et citatus, monitus, iuratus ac diligenter examinatus per prefatum magnificum d. potestatem et commissarium super capitulis et aliis productis per dictum r. d. procuratorem, qui testis suo iuramento mediante testificando dixit, etc.

Super primo dixit ipsum r. extetisse tempore r. Roverellae archiepiscopi dictae civitatis vicarium, et eo tempore excessisse ex archivio dictae ecclesiae Ravennatensis vulgariter nuncupato il cartilogio multas et quamplurimas scripturas privilegia brevia quamplurimorum pontificum et imperatorum, et cum accedisset r. de Flisco mortuo extraxit de dicto archivio quamplurimas scripturas quas transumptari fecit in quamplurimis causis, et maxime inter predictum r. et dictae civitatis episcopum, nec non in lite mota per predictum r. comunitatem Faventiae quibus transumptis in Romana curia, et ubique locorum ubi contigit ipsa presentari fuit adhibita plena et integra fides et scripturis omnibus ex dicto archivio extractis plenissima ubique locorum datur fides et semper adhibita fuit a x. xx. xxx. quadraginta et quinquaginta annis de quibus ipse recordatur, et in dicto archivio seu cartilogio non licet alicui ingredi, et quando contigit aliquem velle videre aliquam

ex dictis scripturis tunc, et eo casu sine expressa licentia et presentia predicti domini vicarii non fit copia scripturarum quae sunt in dicto archivio sed solum modo inspiciuntur etsi necesse est transumptantur et postea predictae scripturae restituuntur in dicto archivio et claves dicti archivii sunt penes cimiarcas seu sacristam dictae cathedralis ecclesiae, et quod libri videlicet conciliorum generalium et Cronica Ricobaldi Ferrariensis semper steterunt in dicto cartilogio et non in alio loco.

Interrogatus in causa scientiae dixit predicta scire per ea quae supra dixit eo quod ipse fuit praesens multis, et multis auscultationibus et semper vidit plenam adhiberi fidem supradictis scripturis, de loco in dicta civitate in ecclesia praefata, de tempore de quo supra, de contestibus de se teste domino Aquilante de Salamonibus, et domino Philippo de Rasponibus, ser Francisco Raccho, et multis aliis habentibus notitiam de predictis.

Super generalibus quod est annorum sexaginta quinque et quae deposuit fuisse et esse vera, et ea pro veritate dixisse; habet in bonis valorem ducatorum duorum millium super aliis recte.

Reverendus in Christo pater dominus Philippus de Rasponibus canonicus sanctae Ravennatis ecclesiae, alius testis ut supra inductus per dictum r. d. procuratorem et citatus monitus, iuratus, et diligenter examinatus per supradictum magnificum d. potestatem et commissarium super capitulis et aliis productis per dictum r. d. procuratorem.

Qui testis suo iuramento mediante testificando dixit quod a decem viginti et xxxv. annis citra ipse testis vidit in cathedrali ecclesia eiusdem civitatis esse et adhuc hodie est quoddam archivium et vulgariter nuncupatum il cartilogio in quo cum maxima observantia tenentur et custodiuntur multae et quamplurimae scripturae publicae instrumenta privilegia munimenta litterae apostolicae, et multorum imperatorum indulta, et regum atque aliorum principum privilegia antiquissima non solum vulgaria sed etiam latina gottica et longobarda pertinentia non solum ad dictam ecclesiam Ravennae sed ad ecclesiam Bononiensem, Mutinensem, Regiensem et Placentinam et etiam ad ecclesiam totius Rom.iae et ad varias alias ecclesias, quibus scripturis in omnibus locis et partibus ubi producuntur tanquam extracta de loco

authentico fidem faciunt non tantum in dicta civitate sed etiam quando contigit in urbe Roma pro aliqua lite, et in aliis locis, et non solum dictis scripturis sed transumptationibus factis ex eis, et ita fuit et est veritas. Item dixit quod liber magnus conciliorum, et liber intitulatus Cronica Ricobaldi, et alia multa privilegia, et scripturae sibi ostensa, semper et continue a tempore quo ipse recordatur steterunt in dicto archivio seu cartilogio una cum aliis scripturis dicti loci, quibus ut supra indubitata adhibetur fides, eo quod sunt antiquissima, et quia continue permanent in dicto loco multum observatur.

Interrogatus in causa scientiae dixit praedicta scire per ea quae supra dixit, et quia stetit in officio archimiarcariae dictae ecclesiae per annos duodecim in circa et per dicta tempora tenuisse claves dicti archivii, et quod permanent penes prefatum arcimiarcam pro tempore existentem, qui eas retinet cum magna custodia nemini eas tradendo neque etiam permittit aliquem in dicto archivio ingredi nisi cum presentia r. d. vicarii predicti r. d. archiepiscopi pro tempore existentis, et multoties accidebat necesse aliquam predictarum scripturarum in dicto archivio existentium transumptari debere, quod fiebat cum maxima custodia dictarum scripturarum, de loco et tempore ut supra. De contestibus de se teste et r. d. Paulo Vegio episcopo Cassense r. d. Aquilante de Salamonibus canonico Ravennatense, et multis aliis de dicto archivio seu cartilogio notitiam habentibus.

Super generalibus dixit se esse annorum 46 et ultra et habet valorem in bonis duorum millium librarum videlicet ducatorum quingentorum et quinquaginta, et ultra et quae dixit pro veritate deposuit. —

Eisdem anno indictione tempore pontificatu. Die xxv. Augusti post prandium.

Coram magnifico ac clarissimo iuris utriusque doctore domino Baldassare potestate et commissario et executore predicto existente in ecclesia cathedrali Ravennae in loco deputato, comparuit r. d. Joannes Petrus Ferrettus procurator s. d. n. papae ac Sanctae Sedis apostolicae sedente pro tribunali in dicta ecclesia cathedrali ut supra etc. et in termino et monitione de partibus facta pro hac die et hora ad audiendum pronuntiatum domini iudicis et commissarii obtulit separatum illum

audire petens pronuntiari et declarari, ut alias et successive dictum et seu dicta transumptum seu tramsumpta auscultari, et seu committi ad auscultandum per aliquos notarios dictae civitatis Ravennae una insimul cum dicto d. iudice et commissario, quibus auscultatis et concordari inventis cum dictis eorum propriis originalibus et matricibus pronunciari et declarari bene et legitime fuisse et esse auscultata, et insimul concordari inventa ipsisque pronuntiari et declarari de cetero perpetuam et indubitatam fidem adhiberi esse in iudicio et extra auctoritatemque pariter et decretum interponi predicti domini potestatis, et commissarii ac prefatae cesareae maiestatis, et omni alio meliori modo etc.

Presente dicto domino Nicolao dicto nomine, et prefatis inherendo omnibus aliis dictis exceptis et replicatis presenti die dicente non consentire necnon dicente non esse deveniendum ad novitates petitas cum non sint iuxta formam et tenorem literarum imperialium sed potius contra formam earum, a qua forma dicente nolle recedere nec recedendum esse per prefatum d. pretorem et ipsum habere mandatum limitatum ab ill. d. duce eius principale, a quo non intendente nec eius fines transgredi ultra quod dixit quod hoc mane fuerunt auscultata et transumptata asserta instrumenta non authentica nec legitime transumptata quod minime etiam fieri potuit stante forma dictae commissionis imperialis, cui formae inherendo protestatus fuit, et protestatur de nullitate dictae transumptationis et auscultationis iuxta etiam facta dicta et protestata per ipsum hoc mane coram prefato domino commissario et prefata dicente excipiente et protestante omni meliori modo etc.

Qui magnificus d. potestas et commissarius sedens etc. predicta admisit si et in quantum et commisit predictas scripturas auscultari debere videlicet transumpta cum eorum propriis originalibus adhibitis tribus notariis videlicet egregiis viris ser Francisco Tirono ser Joanne Maria . . . et ser Thomacellino, et me notario infrascripto insimul cum predicto d. potestate et commissario.

Presente dicto d. Nicolao dicto nomine, et predictae declarationi non consentiente sed semper protestante de nullitate rationibus omnibus supra per eum deductis quas hic in omnibus suis partibus pro expressis et repetitis haberi voluit omni meliori modo etc.

Sequuntur transumpta videlicet privilegia et aliae scripturae ex archivio extractae et transumptatae:

Privilegium Gregorii papae concessum Ravennatensi ecclesiae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectissimo Mariniano Ravennatensi archiepiscopo confratri filioque charissimo et per eum in sanctam Ravennatensem ecclesiam, suisque successoribus in perpetuum, cum omnis ecclesiae sanctorum ab ipso domino, et beato Petro, et a sancta Romana ecclesia, quam Deo auctore regendam suscipimus duxerit principium, dignum est ut a successoribus Petri, cui a domino dictum confirma fratres tuos interius confirmationis exterius meliorationis inde recipiat semper augmentum religionis unde sumpsit exordium; quapropter cognoscat devota fidelitas omnium populorum tam presentium quam futurorum quod dilectissimi filii nostri sanctae Ravennatis ecclesiae Mariniani venerabilis archiepiscopi petitionibus, necnon et piissimorum d. nostrorum Mauritii et filiorum eius iussionibus annuentes confirmamus omnia precepta quae a piis imperatoribus Valentiniano, Theodosio, Archadio, et Honorio necnon Justiniano, Tiberio, et domino nostro Mauritio piissimo Caesare semper augusto eidem sanctae Ravennati ecclesiae sunt facta, et omnia quae per eadem precepta eidem ecclesiae sunt attributa et omnia privilegia quae a sanctis predecessoribus nostris Innocente Innocentio et sanctissimo Leone, et gloriosissimo Gelasio felicissimo, et Agabito, et Spiritus Sancti fervore repleto beatissimo Pelagio ob amorem summi omnipotentis Dei sanctique Apolloniaris pontificis, et martiris, reverentiam eidem ecclesiae, tibi tuisque successoribus in perpetuum sunt data, et honores, et possessiones omnesque per eadem praecepta et privilegia vidimus collata et confirmata, idque maxime tuae dilectionis causa confirmantes et corroborantes videlicet in privilegio sanctissimi Leonis primi, huius apostolicae Sedis pontificis te aperiente, et monstrante reperimus confirmationem constitutionis piissimorum imperatorum sub sacrosancta Ravennatis ecclesiae ditione continentem ita confirmamus episcopatum totius Aemiliae provintiae civitatum omnium Deo amabilium episcoporum creationes et consacrationes id est Saxeratae, Caesenatae, Forumpopuli, Forumlivii, Faventiae, Forum Cornelii, Bononiae, Mutinae, Regii, Parmae, Placentiae, Brixilli, Vicohabentie, Adrientis, Comaclensis, Fico-

clensis. Necnon et omnia monasteria tam monacorum, quamque et monacarum sub eius dictione degentium, atque sub monastica Domino militantium norma. Conferentes tibi tuisque successoribus honorem palii in perpetuum seu omnem pontificalem decoris usum, sicut in epistola tibi transmissa concedendo confirmavimus, muniendo etiam sanctam Ravennatem ecclesiam, te tuosque successores in perpetuum roboramus permansuras omnes collationes atque conscriptiones quorumlibet hominum in eadem ecclesia factas vel faciendas sive donationes christianorum fidelium vel quae pii ac religiosi homines hactenus per eulogia tuorum testamentorum vel per quemlibet modum vel titulum in eodem sancta Ravennatense antiquitus dimiserunt ecclesia vel in futurum sunt pro redemptione animarum suarum tempore collaturi; sanctiendo etiam confirmamus sanctae Ravennati ecclesiae sicut primae inter ceteras sanctae huius Ravennae ecclesiae filiae secundum constitutiones Longobardorum regum et aliorum piissimorum Romanorum imperatorum ut si quisquam episcoporum ex conservatione Ravennatensis pontificum totius Aemaliae decesserit, nullus dux marchio comes, aut aliquis minister publicus aliquam ibi predationem aut contrarietatem faciat sed liceat archiepiscopis sanctae Ravennatis ecclesiae ad ipsum episcopatum et ad ipsam ecclesiam secundum antiquam consuetudinem pro descriptione facienda atque electione missum transmittere et ipsum electum ex more investire, et libere atque solemniter consecrare, sed et istud censendo tuae dilectioni carissime frater et fili ob perversitatem futurae gentis, et ecclesiarum desolationem quam appropriare, et fere in liminibus esse videmus, confirmamus et sub divini iudicii obtestatione precipimus ut nulli unquam successorum meorum liceat ad ipsum episcopatum pro descriptione facienda sive electione aut aliquid contra consuetudinem exigendo suum legatum transmittere aut per ministrum publicum ad perquamlibet personam ipsam ecclesiam occupare, aut ibi episcopum indebite consecrare, aut ibi aliquid absque Ravennatis ecclesiae pontificis consensu ordinare, quia abhominabile et nefandissimum, et omni fraude dignissimum, atque plenissimum semel concessum revocari denuo. Confirmamus interea et corroboramus omnes constitutiones in eadem ecclesia a piissimis imperatoribus factas, et ita decernimus ab omnibus observandas sicut praecepta huius

sanctae Romanae ecclesiae tradita, scilicet de civitatibus, castellis, villis, vicis, vicolis, pratis, pascuis, campis, silvis, salistis, fundis, casalibus, et de omnibus publicis ac privatis sibi concessis; de colonis vero super terram eiusdem ecclesiae habitantibus et de eorum angriis redditibus placitis sive districtionibus sicut in preceptis et privilegiis vidimus et legimus de familiaribus vero ac famulis, et de centum annorum prescriptionibus rerum habeat ipsa ecclesia sancta Ravennatensis et omnia monasteria eius sicut hec antiqua Roma. Haec omnia et alia multa, quae sancta Ravennatis ecclesia continet precepta et privilegia confirmamus, et confirmata corroboramus, si quis vero quod non credimus aliquia a Ravennatensi ecclesia dictione ex hiis praedictis subtrahere tentaverit, vel in aliquo contra hoc nostrum privilegium molestare diminuere temerario ausu presumpserit sciat se ex parti Dei omnipotentis, et sanctorum trecentum decem et octo patrum, necnon et nostrae mediocritatis auctoritate et sanctae synodi Romae presenti indictione congregatae anathematis vinculis innodatum et cum Juda traditore domini nostri Jesu Christi eternis suppliciis deputatum, qui vero observator extiterit benedictionem a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo, et Spiritu Sancto paraclito in perpetuum consequetur. Bene valete. Datum nono kalendas Aprilis Romae per manus Joannis levitae et sanctae Romanae ecclesiae bibliothecarii.

Privilegium Calixti papae restituens suffraganeos archiepiscopo et ecclesiae Ravennatensis et aliqua alia iura pertinentia ad ecclesiam predictam.

Calixtus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Gualterio Ravennatensis ecclesiae archiepiscopo eiusque successoribus canonicis substituendis in perpetuum. Etsi universae per orbem ecclesiae unus thalamus Christi sint sancta tamen Romana ecclesia inter omnes dominica obtinuit dispositione primatum; et quidem multi saepe adversus eam conatus sui molimina intenderunt sed quae caput omnium, et magistra celesti fuerit beneficio instituta dignitatis suae non potuit privilegio denudari, olim proferto Ravennatensis ecclesia contra eam calcaneum erigens multas ei persecutiones intulit atque aliis nonnullis ecclesiis perversi scismatis fomitem ministravit, verum tamen, cum divinae placuit maiestati ad matris suae Romanae ecclesiae unitatem

atque obedientiam humiliter remeavit, iniquitatem namque suam illius filii reconoscentes delicta patrum corrigere probaverunt, et qui preteritis temporibus per tirannidem regiam presules regibus placentes accepe-rant demum secundum sanctiones canonicas Deo placentem episcopum elegerunt, scismate abdicato in catholicae congregationis gremium re-pedarunt unde dominus predecessor noster sanctae memoriae papa Ge-lasius eidem Ravennatensi ecclesiae omnem restituit dignitatem quam videlicet ante divisionis tempora Sedis apostolicae largitione possederat omnes etiam metropoles illius episcopatus quas ad eius nequitiam ex-primendam apostolica sibi Sedes assumpserat paterna ei benignitate concessit, et nos ergo divinae Trinitatis unitati gratias referentes, quae per suae charitatis spiritum divisa coniungit et multas in se animas una facit, predicti d. n. restitutionem presentis privilegii pagina con-firmamus, sane tibi charissime frater Gualteri archiepiscope tuisque successoribus in Romanae ecclesiae subiectione atque obedientia per-manentibus salvo niminum in omnibus apostolicae Sedis iure atque auctoritate, concedimus: episcopatus Emilae provintiae idest Placentiae, Parmae, Regii, Mutinae et Bononiae, Ferrariae, Adriae, Comacli, Imolae, Faventiae, Forlivii, Foropompilii, Bobii, Cesenae, Ficocleae: Preterea confirmamus vobis exarcatum Ravennae qui Romanae ecclesiae iuris est et monasteria sancti Adalberti, et sancti Hilari seu cetera mona-steria et posessiones ad vestram ecclesiam pertinentes per authentica privilegia ab antecessoribus nostris et catholicis regibus tradita, Pom-posiani quoque monasterii curam religioni tuae salvo ecclesiae nostrae iure committimus ut regulari disciplinae per tuam industriam refor-metur. Nulli ergo omnino hominum facultas sit vestram Ravenna-tensem ecclesiam tenere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere minuere vel temerariis vexationibus fatigare sed omnia integra conserventur tam tuis quam clericorum et pauperum usibus profutura; si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere tenta-verit secundo tertiove comonita se non satisfactione congrua emenda-verit potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesus Christi aliena fiat

atque in extremo examine districte ultioni subiaceat cunctis autem eidem ecclesiae iuxta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus; et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia aeternae pacis inveniant amen.

Scriptum per manum Ruverii scriniarii regionarii, et notarii sacri palatii; datum Laterani per manum Grisogoni sanctae Romanae ecclesiae diaconi cardinalis ac bibliothecarii vii. idus Januarii indictione xiv. incarnationis dominicae anno millesimo centesimo vigesimo primo pontificatus autem d. Calixti secundi papae anno secundo.

Privilegium Gelasii papae super eodem.

Gelasius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo fratri Gualterio Ravennatensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem. Unitati divinae Trinitatis gratiae agendae sunt quae per suae charitatis spiritum divisa coniungit et multas in se animas unam facit ecclesiam; siquidem Ravennatis per multa iam tempora ab apostolicae Sedis unitate discissa multas eidem Sedi apostolicae persecutiones intulit, et ecclesiis multis perversi scismatis fomitem ministravit, quapropter ad eius nequitiam deprimendam subiectarum ei ecclesiarum quasdam sibi apostolica sedes assumpsit, ut vel sic eam ad humilitatis et unitatis tramitem revocaret, sed cum tandem divinae maiestati bene placitum fuit, eamdem Ravennatensem ecclesiam misericordiae suae gratiae ad unitatem et obedientiam matris suae Romanae ecclesiae revocavit, iniquitatem namque suam illius filii recognoscentes delicta patrum corrigere probaverunt ut qui preteritis temporibus per tirannidem regiam presules regibus placentes accipiebant nunc demum secundum canonicas sanctiones episcopum Deo placentem eligerent, et scimate abdicato in catholicae congregationis gremium repedarent, te siquidem revendissime frater Gualterii a disciplina fratrum regularium violenter assumptum pro religionis ac sapientiae prerogativa in beati Apollinaris cathedram comuni voto ac desiderio posuerunt et in apostolicae Sedis obedientiam unanimiter redegerunt, unde nos divinae trinitatis unitati gratias agentes personam tuam pro iure nostrae ecclesiae ad episcopale ministerium cooperante domino consecrantes tibi et per te Ravennatensi ecclesiae dignitatem omnem quam ante illius divisionis tempora

per Romanam ecclesiam possederat restituimus, per presentis enim privilegii paginam salvo in omnibus iure atque auctoritate Sedis apostolicae concedimus tibi tuisque successoribus in eiusdem Sedis apostolicae subiectione, atque obedientia permanentibus episcopatus Aemiliae provinciae id est Placentiae, Parmae, Regii, Mutinae, Bononiae, Ferrariae, Adriae, Comaclis, Imolae, Fani, Faventiae, Forlivii, Foripompilii, Bobii, Caesenae, Ficoclii; confirmamus etiam vobis ducatum Ravennae, et monasteria sancti Adalberti et sancti Hilarii in Galicata, et cetera monasteria seu possessiones ad vestram ecclesiam pertinentes per auctentica privilegia ab antecessoribus nostris, et a catholicis regibus tradita, Pomposiani quoque monasterii curam religioni tuae salvo ecclesiae nostrae iure committimus, ut prestante Deo regula disciplinae per tuam industriam reformetur. Preterea fraternitati tuae palium pontificalis videlicet officii plenitudinem ex apostolicae Sedis liberalitate concedimus, quo fraternitas tua secundum ecclesiae tuae morem ex apostolicae Sedis concessione permissum se noverit induendam, cuius nimirum pallii volumus per omnia signum vendicare, huius siquidem indumenti honor humilitas atque iustitia est; tota ergo mente fraternitas vestra se exhibere festinet in prosperis humiles, et in adversis si quando eveniunt cum iustitia erectam amicam bonis perversis contrariam. Nullus unquam faciem contra veritatem suscipiens, misericordiae operibus iuxta veritatem substantiae insistens, et tamen insistere etiam super virtutem cupiens infirmis compatiens, bene valentibus cumgaudens aliena damna propria deputans de alienis gaudiis tamquam de propriis exultans in corrigendis vitiis pie saeviens in fovendis virtutibus auditorum animum demoliens in ira iudicium sine ira tenens in tranquillitate autem severitatis iustae censuram non deserens, haec est frater charissime palii accepti dignitas, quam si solicite servaveris quod foris accepisse ostenderis intus habebis.

Ego Gelasius ecclesiae catholicae episcopus subscripsi. Signum manus meae, *Deus in loco sancto suo.*

Datum Romae per manum Grisogoni sanctae Romanae ecclesiae diaconi cardinalis vii. idus Augusti indictione xi. Anno dominicae incarnationis millesimo centesimo decimo nono, pontificatus autem domini Gelasii secundi papae anno primo.

Privilegium papae Clementis super restitutione iurium ecclesiae Ravennatensis.

Clemens episcopus servus servorum Dei, sanctae Ravennatensis ecclesiae omnibusque futuris in illa archiepiscopis per eam in perpetuum. Cum ad nos ecclesiarum cura respiciat, et de singulis cogitare conveniat, et ex debito suscepti regiminis omnibus nos providere oporteat specialiter tamen, et maxime Ravennatensi prospicere debemus ecclesiae cui praesumus Deo propicio ut sponsae et filiae huius igitur miserias nimis aegreferentes et quantum in nobis est amputare volentes hoc remedii genere hoc consilii antidoto tandem subvenire curavimus ut consideratis privilegiis per decessorum nostrorum Romanorum pontificum, et praeceptis imperatorum, quae in archivio nostrae Ravennatensis ecclesiae continentur quaecumque in illis leguntur privilegii nostri stipulatione firmetur ut sublatis de cetero seminariis litium, nec Romana ecclesia Ravennatensi ecclesiae mater filiae suae iniuriam faciat nec matri filia contradicat sed dignitatem suam utraque possideat, et deinde melius; quid Deo iucundius, quam scandala tollere lites reprimere pacem componere ecclesiarum concordiam videre? hiis Deus laetatur, et gaudet, et talibus super omne sacrificium placatur muneribus. Consentientibus igitur, et collaudantibus primo cardinalibus nostris Roberto sancti Marci, et Anastasio sanctae Anastasiae confratribus, et coepiscopis nostris Rolando Tervisiano Millone Padoano Ecelino Vicentino Fulcone Forosemproniensi Tebaldo Castellano, aliisque quampluribus qui fuere presentes huius nostri privilegii auctoritate confirmamus quecumque in privilegiis Romanorum pontificum leguntur, Pauli, Sergii, Anastasii, Leonis, Adriani, Eugenii, Marini, Agabithi, Gregorii, et ceterorum, item precepta imperatorum Justiniani, Theodosii, Valentiniani, Ludovici, Caroli, Ottonis, Conradi, Henrici et aliorum, omnes donationes, et concessiones illorum quas Ravennati fecisse perhibentur ecclesiae tam inepiscopatibus quam in abbatiis comitatibus, exarcatu caeterisque similibus, quae in privilegiis et praeceptis plenius habentur huius scripturae nostrae affirmatione munimus decernentes et auctoritate apostolica statuentes ut si quis contra hoc nostrum privilegium venire tentaverit, si quis contradictor extiterit sit anathema Maranatha, sitque pars eius cum Pilato, Herode et Juda traditore. Quod ut certius credatur, et

ab omnibus diligentius observetur sigillo nostro presentes literas statuimus reborari, acta sunt haec Ravennae in plenaria sinodo in matrice ecclesia, quae dicitur agiae Anestaseos anno divinae incarnationis millesimo octuagesimo tertio imperante Henrico tertio Romanorum augusto anno imperii eius secundo indictione viiii. tertio calendas Martii et subscripserunt qui presentes erant episcopi quorum nomina subtus annexa sunt.

Rolandus Tervisianus episcopus etc. laudans et corroborans.

Millo Paduanus episcopus laudans etc. Hecilinus Vicentinus episcopus laudans et corroborans.

Honorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Simeoni archiepiscopo Ravennatensi eiusdemque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Etsi universis sanctae ecclesiae filiis debitores ex collato nobis ab eo apostolatus officio existamus illis tamen personis et locis providere nos convenit diligentiore sollicitudine ac propensiori studio caritatis quae ad Sedem apostolicam noscuntur specialius pertinere. Quocirca venerabilis in Christo frater archiepiscope tuis iustis postulationibus clementer annuimus et nobilem ac famosam Ravennatensem ecclesiam cui auctore Domino preesse dignosceris ad exemplar felicis recordiationis Calixti, Gregorii, Honorii, Gelasii, Honorii tertii, Gregorii noni, et Alexandri quarti predecessorum nostrorum Romanorum pontificum sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio comunimus, statuentes ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum largitione imperatorum, regum, aut principum oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante Domino poterit adipisci firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis locum ipsum in quo prefata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, Parmensem, Regiensem, Mutinensem, Bononiensem, Imolensem, Faventinensem, Foroliviensem, Foropopiliensem, Caesenatensem, Bobiensem, Cerviensem, Comaclensem et Adriensem episcopatum monasterium Galiatense et reliqua. (Idem in eodem privilegio paulo infra circa medium ita legitur videlicet). Resistuimus Ravennatensis urbis ripam integram mo-

netam thelonenses muros, et omnes portas civitatis et quidquid ecclesia Ravennatensis habet in exarcatu Ravennae, et Comaclense comitatu, cum honoribus et pertinentiis suis, comitatum idest ipsam Argentam cum pado ripis paludibus, et piscariis suis, contratis, viis, pascuis, silvis, publicariis universis, et cum integro comitatu Argentae et reliqua.

In fine cuius privilegii legitur „cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Jesu Christi quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant amen."

Concessio Castri Britonorii.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri G. Ravennatensi archiepiscopo et dilectis filiis archidiacono, preposito et choro Ravennatensi salutem et apostolicam benedictionem. Novimus et tenemus ex privilegiis nobis representantibus quomodo quidam predecessores nostri ecclesiae vestrae exarcatum et ducatum Ravennae dederunt et plerique alii predecessores nostri, qui eis successerunt ipsorum donationem privilegiis confirmarunt, unde quia castrum et comitatus de Britionrio infra eundem exarcatum consistere dicitur sicut apparet ex publicis instrumentis, nos fervorem devotionis, quam ecclesia et civitas . . . .

Reliqua desunt.

Ex libro magno conciliorum sanctae Ravennatensis ecclesiae, qui liber servatur in biblioteca eiusdem ecclesiae in membranis magni corporis et voluminis miraeque vetustatis a capite cuius incipit numerus xxxiv. „Item eiusdem ad Alexandrum Anthiochenum episcopum de pace" literis rubris, et nigris et post quatuor cartas incipit literis rubris hoc modo, „hec habetur prefatio Cresconii de concordia canonum", item concordia canonum, item concordia canonum conciliorum. Deinde sequuntur duae paginae, cum imaginibus duodecim apostolorum mire picturae et a tergo unius paginae literis vetustissimis scripta habentur sinodus provincialis Arnaldi archiepiscopi Ravennatensis, quae pagina incipit „perpetuo regnante Domino nostro Jesu Christo tempore pii Caesaris Ottonis tertii in anno secundo imperii eius xi. indictione sub imagine Salvatoris infra valvas maiores ecclesiae Ravennae" qua demonstratur promulgatum

fuisse anno dominicae incarnationis noningentesimo nonagesimo septimo die calendarum Maiarum indictione xi. sub clementissimo imperio memorati principis Ottonis tertii ubi eiusmodi verba scripta atque exarata leguntur, videlicet:

„Perpetualiter Domino nostro Jesu Christo regnante quarto decimo anno post millesimum divinitatis mortalitatis assumptae sub imperio clementis augusti domini Henrici in tertio anno per quartam decimam olimpiadem pridie calendarum Maiarum congregata est venerabilis sinodus patrum in ecclesia Ravennatensi cui vocabulum est sanctae Resurrectionis infra portas maiores sub imagine Salvatoris presidente in ea sanctissimo ac venerabili Arnaldo archiepiscopo sedis eiusdem simulque cum eo celeberrimo atque in Christo fidelissimo Sigenfredo Placentinensi episcopo aliisque patribus pluribus Aemiliae, Flaminiae atque Pentepolis provinciarum exarcatus Ravennae cum multis aliis diversorum ordinum ecclesiae sanctae Dei; relatum est in synodo quod in viduitate ecclesiae Ravennatensis quae pro peccatis nostris undecim annis vidua mansit", et reliqua prout sequuntur in dicta synodo usque ad finem cuius est, „et si aliter fecerit communione privetur".

Ex libro Pomerii ecclesiae Ravennatensis cuius principium est „liber Pomerium ecclesiae Ravennatensis incipit instantiae suae venerandae pr. Michael sanctae Ravennatensis ecclesiae", et post duas cartas „incipit liber Ricobaldi Ferrariensis de istoria Romana et de aliis congestis compendio a mundi principio usque ad haec tempora incipit liber primus, et postmodum excelsus Deus sicut per scribam suum Moysen" qui liber est in membranis pervetustus et servatur in supradicta bibliotheca sanctae Ravennatensis ecclesiae paginamque quartam pictam esse omnibus apparet picturis in margine variatis cum insignibus nonnullis et circa finem ipsius libri tractatur de regionibus Europae, et de aliarum provinciarum descriptione et de partibus Italiae inter quas Flaminia, et Aemilia esse reperiuntur et in primis de Flaminia capite LX. sic inquiens videlicet.

„Decima Flaminia a Flaminio preside in qua sunt Ravennae et quinque aliae civitates, et Faventia, Forumlivii, Forumpompilii, Caesena et Cervia, de Ariminio, in dubio nam quidam scriptores tradunt eam urbem a Romanis in Gallia conditam et sic erit in Flaminia, Lucanus

autem dicit fiumen Rubiconem quod labitur inter Ariminum et Caesenam esse tertium inter Galliam, et Ausoniam loquens de Rubicone sic dicit et Gallica certus limes ab Ausoniis disterminat arva colonis. Ausoniam enim dicit regionem Italiae, quae habet Rubiconem ab occiduo Galliam vero dicunt eam regionem Italiae in qua Liguria Aemilia et Flaminia sunt, et haec Gallia Cisalpina vel togata dicitur; in hac Flaminia metropolis, est Ravenna dicta -quondam Pentapolis a quinque civitatibus quibus preerat, fines autem Flaminie sunt hi ab oriente Picennum ab occiduo Aemilia, a meridie Alpes medie, inter eam et Umbriam, a septentrione mari Adriatico terminatur. Haec regio est uberrima cunctis bonis frugibus, vino, oleo, pomis, piscibus, pecoribus et sale, hec habet montes foelices campos pro plana porrectos Flaminia, mare paludes et silvas et viros armorum peritos, et faciles confligere praelio.

Item in eodem libro et loco sequitur videlicet:

De Aemilia caput LXI.

Undecima est Aemilia ab Aemilio preside olim recta, ab oriente Flaminia, ab occiduo Liguria, a meridie Alpes Apeninae quibus adiacet Thuscia, a septentrione Padi fluenta; in hac sunt Placentia, Parma, Regium, Mutina, Bononia, et Imola quae Cornelia dicebatur, hec est pulcherrima pars orbis, et foelix et fructibus et prestantia morum, in hac sunt montes commodi plana Ferraria, et paludes ad pisces; in hac sunt viri regium cor habentes.

Postquam incontinenti predicti ser Franciscus Tizzonus ser Joannes Maria Ferrettus et ser Thoma Cellinus notarii civitatis Ravennae et deputati ad auscultandum dicta tramsumpta cum eorum propriis scripturis documentis monumentis libris antiquissimis omnibus repertis in archivio publico ut supra in actis productis retulerunt se dicta transumpta invenisse concordari de verbo ad verbum cum eorum propriis scripturis documentis monumentis et libris antiquissimis in dicto archivio inventis et repertis una insimul cum predicto domino iudice et commissario praesenti et insimul cum ipsis vidente audiente et auscultante de verbo ad verbum et ut supra invenisse concordare omni meliori modo etc.

Presente dicto r. domino Joanne Petro Ferretto procuratore antedicto et predictis instante et petente pronunciari et declarari dicta transumpta concordari inventa cum dictis propriis originalibus et scripturis repertis in dicto archivio publico fuisse et esse auctoritatemque pariter et decretum prefati domini potestatis et commissarii ac maiestatis caesareae interponi omni meliori modo etc. et hoc in presentia prefati domini Nicolai procuratoris predicti ill. domini ducis presentis et audientis.

Qui magnificus d. potestas et commissarius ut supra sedens predicta admisit si et in quantum, et visis testibus, examinatis et aliis hinc et inde productis et visa extractione dictarum scripturarum per ipsummet d. commissarium ex dicto archivio seu cartilogio pronunciavit et declaravit predicta transumpta concordari cum dictis matricibus auctoritatem instrumentis monumentis documentis et scripturis inventis in dicto loco, et auctoritatem, et decretum suum, et dicti commissariatus videlicet caesareae maiestatis interposuit et fidem adhibendam fuisse et esse in iudicio et extra similiter pronunciavit omni meliori modo etc.

Presente dicto d. Nicolao dicto nomine et inherendo omnibus deductis, et exceptis per eum dicente non consentire predictis nisi in parte et partibus faciente pro ill. d. duce principali suo.

Acta fuerunt haec omnia supradicta in civitate Ravennae in ecclesia cathedrali seu metropolitana presentibus magnifico domino Petro Sperindeo de Fano . . . . de urbe d. Cornelio Monaldino canonico sanctae Ravennatis ecclesiae, et donno Bellino q. Melchioris Ranutii clerico Ravennatensi testibus ad predicta adhibitis vocatis specialiter atque rogatis.

Et ego Joannes Franciscus Benincasa notarius p.. rogatus etc.

Et ego Joannes Jacobus filius q. supradicti d. Joannis Francisci Benincasaa civis Ravennatensis publicus apostolica auctoritate notarius, et iudex ordinarius supradictos processus fol. no. 31 ex ipsius prefatiq. primis mei rogatibus, et prothocollis transcribere feci aliena manu mihi fida de verbo ad verbum prout iacet, nil addito vel diminuto quod sensum mutet vel variet intellectum ex auctoritate mihi concessa a magnifico d. potestate Ravennae levandi et authenticandi quoscumque

rogitus, et documenta prefati quondam patris mei prout constat ex actis d. Gabrielis Florii civis et notarii publici Ravennatensis. Ideo in premissorum fidem hic me subscripsi manu propria, signum nomenque meum consuetum apposui requisitus ad instantiam magnificae comunitatis Ravennae sub die 23 mensis Julii 1586.

Locus † signi.

Sapientes civitatis Ravennae.

Universis et singulis presentes lecturis fidem facimus indubiam et attestamur retroscriptum q. d. Joannem Franciscum Benincasam de retroscripto processu rogatum fuisse notarium publicum legalem fide dignum et matriculatum dictae civitatis, et prefatum d. Joannem Jacobum eius filium qui illum authenticavit fuisse ante hac, et nunc esse publicum legalem fide dignum et matriculatum notarium pariter dictae civitatis bonaeque conditionis et famae, et eius scripturis in publicam formam redactis fidem indubiam adhiberi in iudicio et extra. In quorum fidem etc.

Datum Ravennae die 13 Julii 1586.

Locus † sigilli. Petrus Joannes Mercatus cancellarius.

Magnificus et excellens dom. Drudus Racus nob. Ravennatensis I. U. D. or. ad presens comunitatis Ravennae medio iuramento tactis etc. manus et personas suprascripti domini Joannis Jacobi Benincasa notarii d. potestatis Ravennae ac d. Petri Joannis Mercati cancellarii comunitatis Ravennae, necnon sigillum comunitatis superius impressum in forma recognovit. d. Joseph Ilii Caesaris Terponi de Saxoferrato medio iuramento tacto etc. recognovit ut supra in forma.

Extractum de mandato r. p. d. Joffredi Lomolini camerae apostolicae generalis commissarii et archivii eiusdem camerae prefecti per me Tydeum de Marchis eiusdem camerae notarium et eiusdem archivii custodem ex alio huic simili volumine ut premittitur publicato, et per supradictos testes per me de simili mandato receptos recognito et concordato quod attestor ego idem notarius et custos etc., et in fidem hic scripsi et subscripsi. Tydeus de Marchis,

camerae apostolicae notarius et custos — manu propria.

INDEX NOMINUM.